

159


*Biblioteca de la Universidad de Granada*

12-568

**P H I L I P P I  
M O C E N I C I  
A R C H I E P I S C O P I  
N I C O S I E N S I S  
R E G N I C Y P R I , & c .**

**U**niuersales Institutiones ad hominum Perfectionem;  
quatenus Industria parari potest.

*Sum Privilegijs Summi Pontificis, Cesareæ Maiestatis, Regum Christianiss.  
& Catholici, ac Ill. mi Senatus Veneti.*




**V E N E T I I S , C I O I O X X C I .  
A p u d A l d u m .**

2 400 40 *Castro*  
MADE IN SPAIN

PHILIPPI  
MOCENICI  
ARCHIEPISCOPI  
NICOSIENSIS  
REGNI CYPRI, &c.

Vniuersales Institutiones ad hominum Perfectionem;  
quatenus Industria parari potest.

*Cum Privilegijs Summi Pontificis, Cesareæ Maiestatis, Regum Christianiss.  
& Catholici, ac Ill.<sup>mi</sup> Senatus Veneti.*



VENETIIS, MDCCXXCI.  
Apud Aldum.



SANCTISSIMO  
IN CHRISTO PATRI,  
ET DOMINO NOSTRO,

Domino Gregorio XIII. Pont. Max.



ERTIVS agebatur annus Pontificatus Pij V.  
GREGORI Beatissime, cum eiusdem Pon-  
tificis Max. iussu e Cypro in Italiam nauiga-  
ui, vt res illius Prouinciæ, meæ fidei com-  
missæ, eo tempore non parum commotæ;  
quod Græcus quidam Episcopus, cum sua  
sponte inductus, tum multis impellentibus, plurimis conspi-  
rantibus, Ecclesiæ vnioni obsisteret, ab eo periculo vindica-  
rentur, possemq. in reditu pacis amatoribus Dei illam pacem  
renunciare, quæ hominum animos, intelligentiasq. optimo  
statu custodit, omnibusq. lætitijs, gaudijsq. perfundit. At, Ve-  
netias delatus, magno animi mei mærore cognoui, ea, quæ an-  
tea optimo videbantur designata consilio, ob quasdam belli  
suspiciones tum exortas, deleta penitus, ac mutata ad contra-  
riam formam deflexisse. Et quidem Deus Opt. Max. qui  
prouidet omnia, alia ratione decreuerat, vt nos exitus docuit,  
rebus illis consulere. Voluit autem iusto iudicio suo, quod de  
re Cypria pronuntiandum erat, tantum admiscere misericor-  
diæ, vt, qui manente Ecclesia eius cultui præfectus fuerat, ea  
amissa seruaretur incolumis ad munera, sacrificiaq. pro eius

ira placanda, animisq. expiandis obeunda; eundemq. interea studijs illis contineri, quæ & eius dolorem lenirent, & in commune commodum aliquando cedere possent. cum enim me ea spe excidisse animaduertentem, cuius causa nauigationem illam tanto animi ardore susceperam, potestate mihi a Pontifice Max. facta, Patauium secessi. Et quidem me cum ciuitatis studiorum meorum altricis iucundus aspectus non parum recreabat, tum vero mirificam capiebam voluptatem ex congressibus, sermonibusq. Magnorum virorum, qui eo tempore optimarum artium, excellentisq. scientiæ fama florebat. aderant enim Speronus, Macinius, Tomitanus, quos adolescentulus præclaros Doctores cognoueram; in quibus multæ erant ingenij suauitates, doctrina vero prope singularis. At in diuinis litteris tractandis eximiæ cuiusdam venustatis habebatur Ambrosius Barbauarius: excellebatq. in prima philosophia Thomas Peregrinus, duo D. Dominici familiæ ornamenta, & lumina. Franciscus autem Picolomineus, Federicusue Pendasius, æquales loci, & dignitatis gradu, Peripateticam scholam magna omnium admiratione sustinebant. in qua & Archangelus Mercenarius, & Iacobus Zabarella, præstantissimi ambo philosophi, alter etiam nobilissimus Patauius ciuis, summa cum laude versabantur. Cum his eram assidue, frequenterq. congregiebar, multa de Natura, de Rebus diuinis, de moribus exquirendo, tanta cum animi delectatione, vt vel integros dies in his colloctionibus libentissime collocarem. Quarum rerum amore illectus, cœpi ea in memoriam reuocare, quibus adolescens summa cupiditate operam dederam. Cumq. animum diligentius aduerterem in aliorum scripta, haud obscure perspexi, humanæ Sapientiæ cursum, vel planius pertexere nos posse, quam Antiqui fecerint, vel Christiano discipulo tutiorem, Christianouæ magistro digniorem. Neque enim culpa vacare possunt ij, qui, cum optimam causam habeant, tamen, dum antiquorum principia, auctoritatesq. sequuntur, vel eam defendere non audent; vel,

si cupiant.

si cupiant etiam in illa consistere, id faciunt tam periculose, vt ferendi minime videantur. aiunt enim se ex philosophia multa decernere, quæ improbent in Theologia. quo cum perniciosius nihil iuuenum animis ad eos peruertendos afferri potest; tum improbis, perditisq. hominibus ad interiores prauosq. sensus dissimulandos nihil vniquam vidi accommodatius. Hoc consilium dum mecum ipse reuoluo, belli illæ suspiciones, quæ iam resedisse videbantur, repente erumpunt. magna enim armorum uia a Turcis non occulte comparata, Reip. per Nuncium, nisi Cypri Insulam sibi sponte tradant, bellum indicunt. quod cum paulo post terra, mariq. arderet, tandem illud nobilissimum Regnum tanto incendio corrui. Luxi ego vicem meam: Luxi Ecclesiæ meæ casum: angebarq. intimis sensibus, mihi quo tempore minime oportuit, ab ea administratione abesse contigisse. Cumq. fletum vix cohibere possem, in medio dolore visus mihi sum interiori quodam sensu admoneri, vt me ad preces verterem, neue illum casum omnino desperarem; Deo omnia facilia esse, permissam hostibus vineam illam diuino consilio, vt, conculcatis, euulsisq. ijs, quæ ipse non plantauerat, pulchrior aliquando, & illustrior restitueretur: interim, quidquid superesset otij tribuerem contemplationi, atque in contextum illum philosophiæ, quem Patauij iam cogitaueram, omne studium conferrem. Qua cogitatione non mediocriter sum confirmatus. Et, quamquam me a proposito, cum operis magnitudo, tum eiusdem summa varietas, & difficultas non parum deterrent, perspiceremque, si illam mihi prouinciam sumpsissem, & opus maximum a fundamentis, ac si nulla antea a quoquam iacta essent, excitandum, & id mea industria nullius Architecti, aut ministri opera, (præter eam quam ex Antiquorum doctrinis hauseram) præstandum esse; tamen, sacra illa sententia permotus, quæ cogitationes nostras in Deum iactatas enutrirî ait, in spem veni, vt vel res tota Deo bene iuuante a me perficeretur, vel aliquis existeret ætate, ingenioue præ-

stantior, qui meos conatus ad exitum meliori fortuna perdu-  
ceret. Neque enim admodum difficile est, Humanæ sapien-  
tiæ principijs probe constitutis, contemplandiq. methodo di-  
ligenter expressa, & aliqua ex parte in vsum deducta, contento  
studio reliqua pertractare. his enim, qui a recta contemplan-  
di ratione non discedunt, quæcumq. in disciplinis vel ambi-  
gua, vel obscura, vel ignota sunt, certa, facilia, atque illustria  
occurrunt: falsa autem haud secus, quam tenebræ appulsu So-  
lis, sua sponte recedunt. Et, quamquam me animo tam gra-  
uiter perculso perdifficile opus conantem nouæ curæ intertur-  
barent, tamen diuino auxilio fretus animum non despondi,  
fortitudinemq. illam, quam D. Paulus ex infirmitate exoriri  
suo in animo sentiebat, identidem in me experiens, non prius  
ab incepto destiti, quam his lucubrationibus finem imposui.  
Quas cum in commune studiosorum commodum edere sta-  
tuisssem, vt Tuo potissimum Nomine, Pater Beatiss. inscriptas  
emitterem, multæ me causæ impulerunt. Cum enim me ti-  
bi maxime obstrictum videam, quod a te susceptus tuo sum  
beneficio recreatus, tum, vel ea de causa me tibi debere pluri-  
mum sentio, quod cum in Cyprio casu plurimæ mulieres, iu-  
uenes, ac viri ab hostibus in seruitutem abducti essent, pleriq.  
postea ab ea calamitate tuis opibus liberati sunt. Et cum ma-  
gnus illorum numerus esset, qui eo periculo exempti fortunis  
omnibus destituti ad tuam clementiam confugerent, nemo  
tamen repertus est, cui non sit certis pecunijs in vitæ vsum li-  
beraliter, pieq. subuentum. In quo etiam tua pietas eo illu-  
strior, admirabiliorq. fuit, quod, cum egentium hominum ad  
te concursus vndiq. fierent, ipse tamen numquam tanta multi-  
tudine aut deterritus, aut benefaciendi satietate es captus.  
Quin potius, dum Matronarum Cypriarum, quæ a te in Vr-  
be alebantur, numerum adaugeri conspiceres, vt te caritatis  
adimplendæ vere cupidum ostenderes, hospitium summe ap-  
tum conduxisti, illisq. commune esse voluisti. Deinde tua  
auctoritate factum est, vt eruditissimi quidam viri statis die-  
bus

bus domi meæ conuenirent; cumq. liber legeretur, ipsi audi-  
rent, deq. rebus singulis vbi opus erat, liberas sententias dice-  
rent, factum est de toto fere opere diligenter, acriterq. pericu-  
lum. Præterea, cum Episcopus sim, cognosco nemini hos  
meos fructus æquius, quam Pontifici Max. idest Episcopo-  
rum Principi, deberi. Tu etiam, cum vniuersæ Ecclesiæ,  
atque adeo totius terrarum orbis, a Deo Pastor constitutus sis,  
præter alia, tua quoque ea videntur esse, quæ eidem Ecclesiæ,  
vel docendo, vel moribus effingendis conducere possunt.  
Denique in hanc voluntatem, vel cupiditatem potius, me de-  
duxit cura; quam adhibes, ut Iuuenes ab excellentibus viris ad  
omnem virtutem instituuntur, incredibilem certe, ac singula-  
rem. Quis enim aut vidit, aut legit vnumquam, uel antiquis il-  
lis, tamq. celebratis temporibus, tot in Vrbe extitisse stu-  
diosorum, qui publice alerentur, Collegia, quot nunc extant  
a te vno instituta, tam multa iuuentute referta? At qua iuuen-  
tute? non ea, quæ sese ad diuitias, aut honores ijs artibus con-  
sequendos parat, sed quæ pro defendenda Religione aduersus  
hostes acerrimos, vel optimis studijs, vel uita ipsa, si casus in-  
ciderit, subire periculum non recuset. Quam enim aliam cu-  
piditatem præsert Collegium totum Anglorum? Italicum  
autem, Germanicum, Pannonicum, Græcorum, Assyriorum  
quas præclaras artes non complectuntur? Neophiti vero,  
ac Cathecumeni quibus modis institui possunt accuratius?  
Omitto alia, quæ extra Urbem sunt, cum in Italia, tum in Pro-  
uincijs ceteris per te vnum excitata. Qui sumptus in ijs su-  
stinendis, quæ sollicitudo in augendis, ac certis prouentibus  
locupletandis? Satis hoc vnum mihi erit attigisse, optasse qui-  
dem nonnullos superiores Pontifices idem, quod tu efficere;  
præstitisse vero præter te alium neminem. quæ tua propria laus  
me (vt dixi) pellexit, vt hos meos labores tibi dicarem, qui  
cum eundem finem spectent, quem tu tantopere adamasti,  
spero fore, ut nec tibi iniucundi accidant, nec ad erudiendam  
iuuentutem infructuosi sint futuri. Nemo enim vnquam ex-  
titit

titit vel magnus Theologus, vel præclarus morum institu-  
tor, qui per vberimos philosophiæ campos ad eas virtutes  
non peruenerit. Etenim Humana sapientia ita interposita est  
inter illa, quæ fide diuinitus nobis immissa excipiuntur, & ea,  
quæ agenda sunt, vt vtrisque plurimum prodesse, & obesse  
possit. nam, si ex Antiquarum disciplinarum perturbatis fon-  
tibus hauriatur, quando illi & impia, & falsa cum veris per-  
mixte in legentium animos immittunt, timendum magnope-  
re est, ne adolentes, qui sese ijs addicunt, in fraudem dedu-  
cantur. Cui malo si quis opem ferret, cum ego non paruum  
gratiam apud omnes litterarum amatores, bonorumq. mo-  
rum cupidos initurum considerem. Ipse vero vt id facerem,  
diu multumq. elaborauit; existimauitq. hanc prouinciam vi-  
ro Episcopo, Ecclesia sua præsertim orbato, & omni admini-  
stratione vacuo, atque soluto indignam non esse. Nec puto  
me in alicuius reprehensionem incursum, quod in philoso-  
phia potius, quam in Theologia tractanda operam sumpse-  
rim. nam, etsi illud præstabilius fuisset, quod non tam omni-  
simus, quam nostris studijs, nostræq. voluptati reseruauimus;  
id tamen, quod fecimus, magis fuit hoc tempore necessarium.  
Nam, cum Philosophia ad Theologiam, tamquam ad finem,  
ducat, non erat ad hanc ita properandum, ut illam impedi-  
tam, & iniuriam relinqueremus. Neque enim minus peccant  
ij, qui in medio hærent, quam qui finem præpropere conantur  
attingere. Qua de re satis a nobis copiose in Politicis est di-  
sputatam, vbi totam exposuimus Iuuenum instituendorum  
formam. quo loco demonstraui, hanc nostram scientiam,  
quam Philosophiam appellamus, Diuinæ Sapientiæ imita-  
tionem quandam esse eodem fere modo, quo homo est ima-  
go Dei. Ea itaque non percepta, non video, quomodo certa  
methodo ex sacris litteris, vel ea colligere possimus, quæ ve-  
luti principia quædam sunt, ac fundamenta ad peruincendas  
hæreses, vel diuinas illas sententias, quæ in iisdem extant litte-  
ris, & in sanctorum Patrum monumentis leguntur, certa arte  
contexere,

contexere, id quod ad faciliorem, expeditioremq. totius Chri-  
stianæ doctrinæ comprehensionem, & vsum multi adhuc  
desiderare videntur. Atque hæc de facti nostri ratione dicta  
sint satis. Dicamus aliquid de libertate, qua in Vero inqui-  
rendo vsi sumus, nullis addicti sententijs, vel auctoritatibus  
Philosophorum. videntur enim esse aliqui, qui non solum  
hunc philosophandi morem inanem esse dicant, propterea  
quod a recentiorum exemplo recedat, sed improbent etiam,  
ac vehementer accusent. Hos primum ex ingenui animi sen-  
tentia admonitos velim, minime conuenire certorum quo-  
rundam hominum laudi ita seruire, vt reliquum humanum  
genus præ illis contemnatur: cum præsertim Veteres hanc lau-  
dem nec a nobis contendant, nec ipsi antiquioribus villo mo-  
do tribuerint. Nam, & in suis libris edixerunt, non oportere  
sapientiæ cupidos auctoritatem magis, quam rationem, spe-  
ctare; & aliorum opiniones tam crebro oppugnant, vt nobis  
idem conantibus exemplo potius, quam impedimento, esse  
debeant. Quapropter, vt non negamus, magnas priscis Phi-  
losophis Philosophiæ nomine habendas esse gratias, maiores  
etiam illis, qui posteris plura certo tradidere; ita, vt nobis qui-  
dem uideatur, iniuria reprehenduntur ij, qui, eadem ratione du-  
ce, eandem laudem, in qua ipsi vixerunt, vel etiam meliorem  
æmulantur. Cur enim liberum omnibus non sit, in præcla-  
ris rebus cognoscendis proprias ingenij vires exercere? præser-  
tim si quis nulla ambitione ductus, nulla maleuolentia suffu-  
sus, sed amore quodam, & caritate impulsus, id in studioso-  
rum vtilitatem præstare conetur. Ceterum, si nostra scripta  
alia ratione reprehendenda censuerint, quando mihi iam se-  
nescenti, præstantioraq. cogitanti, in posterum liberum non  
erit his disputationibus detineri, confidimus non defuturos  
doctos viros, qui, cum propositam methodum, constantemq.  
illius vsum, necnon perennes, & nusquam interruptas causa-  
rum, ac rerum series inspexerint, cum nostri, tum veritatis cau-  
sa respondendi munus non recusent, atque id eo libentius effi-  
cient,

cient, si te viderint, Beatiss. Pater, hoc meum munusculum,  
singularis meæ in te obseruantiaæ argumentum, ea humanitate  
suscipere, qua me, meaq. tueri semper consueuisti. quod etsi  
pro tua benignitate ita fore mihi persuadeam, tamen æquum  
est me pro hoc impetrando vel precibus apud te magnopere  
contendere. Vale, Pater Beatissime, diuque, felixq. vive.  
Romæ, prid. Id. Iulij. CIO IO XXCI.

Humillimus Seruus,

**Humillimus Seruus,**

**Philippus Mocenicus,**

**Archiepiscopus Nicosiensis**



I N D E X  
 C O N T E M P L A T I O N U M  
 A C P A R T I V M  
 T O T I V S O P E R I S



*Totum opus distinguitur in Contemplationes quinque. nam  
 uniuersalia, quæ in eo contemplantur, totidem  
 contemplandi rationes exposcunt.*

¶ P R I M A Contemplatio Humanæ Industriæ initia, processus, ac consummationem attingit, obijcitq. exordia, series, ac dispositiones eorum, quæ præterea contemplanda sunt. pag. 1

¶ S E C V N D A Contemplatio, quæ versatur circa Entia rationis, & logicam facultatem constituit, distinguitur in quattuor partes. Quarum

Prima explicat simplices animi conceptiones, ac illarum differentias. pag. 13

Secunda idem præstat, circa simplicium copulationes, seu circa propositiones. pag. 61

Tertia versatur circa varias propositionum copulationes ad nouam ueritatem eliciendam, seu circa Argumentationes. pag. 84

Quarta docet logicæ facultatis usus. pag. 131

¶ T E R T I A Contemplatio, quæ Primam scientiam parit, diuiditur in duas partes. Quarum

Prima contemplatur Ens, ut est ens, necnon Entis species, ut eliciuntur ex priori diuisionis usu. pag. 157

Secunda contemplatur species Naturæ corporeæ, ut subiicitur Primæ Scientiæ, colligunturq. ex contracto, ac repetito eiusdem diuisionis usu. pag. 208

¶ Q V A R T A Contemplatio, quæ naturalem philosophiam complectitur, diuiditur in quattuor partes. Quarum



# Index.

Prima detinetur circa corpora, quæ seu in generabilium ordine sunt prima, seu ex imperfecta primorum mixtione constituuntur, necnon circa perfectæ mixtionis causas, & accidentia. pag. 237

Secunda versatur circa species, & differentias mixtorum perfectorum non excedentium corporeum operandi modum. pag. 317

Tertia contemplatur sentiendi virtutes spiritaliter cognoscentes ea, quæ omnino corporea sunt, simulq. affectus, ac exequendi potentias, easdem essentialiter concomitantes, necnon animalia, quæ ab illis constituuntur vna cum ijs, quæ primo aptantur singulis illorum ordinibus. pag. 350

Quarta versatur circa præstantiores brutorum animalium sensus, quæ illos consequuntur, & quæ ab illis constituuntur, circa sensum homini proprium, circa humanæ naturæ virtutes, ac partes: necnon circa ea, quæ præterea desiderantur ad consummationem huius scientiæ. pag. 404

¶ QUINTA Contemplatio, quæ humanorum actuum directricem philosophiam constituit, distinguitur in tres partes. Quarum

Prima explicat ea, quæ ad volendi actum recte instituendum conducunt, simulq. demonstrat omnium moralium virtutum, ac vitiorum fundamenta, species, differentias, causas, progressus, ac fructus. pag. 435

Secunda continet Institutiones comprehensionum internis animi affectibus deseruientium, simulq. demonstrat humanarum societatum naturas, differentias, ac partes. pag. 502

Tertia complectitur Institutiones humani consilij, ceterorumq. actuum consilio exercendorum, ac præsentis doctrinæ usus demonstrat. pag. 561



# INDEX CAPITVM SINGVLARVM PARTIVM.



Prima Contemplatio continet quattuor capitula, quæ sic inscribuntur.

I. *De primis Humanæ Industriae causis, exordioq. a scientifica perceptione sumendo.* pag. 1

II. *De scientificarum perceptionum copulatione, deriuationeq. in ea, & ex ea, qua singuli hominum tute asserunt, De unaquaque re verum esse affirmare, seu negare.* pag. 4

III. *De tribus Rerum ordinibus ex tribus primæ Certitudinis partibus colligendis: ac de his, quæ seu omnibus sunt communia, seu singulis propria.* pag. 6

IIII. *De singulorum ordinum connexionibus, ac limitibus. De duplici eorumdem, ac humanarum cognitionum serie, deq. illius cognitionis, ex qua Humana Perfectio deducenda est, partibus, ac dispositione.* pag. 9

Pars prima Contemplationis secundæ continet Cap. XVII. quæ sic inscribuntur.

I. *De huius Contemplationis subiecto, partibus, ac dispositione.* pag. 13

II. *De conceptuum, ac rerum conceptibilium, quatenus certis signis, ac vocibus proferri possunt, natura, & proprietatibus.* pag. 16

III. *De pluribus rationibus concipiendi, ac de illis primo, ex quibus oriuntur conceptiones Substantiua, & Denominatiua, Absoluta, & Relatiua, Concreta, & Abstracta.* pag. 19

IIII. *De varijs simplicium Conceptionum visibus, ex quibus deducuntur Conceptus uniuersales, communes, medijs, ac particulares.* pag. 22

V. *De simplicium conceptuum differentijs, quæ ex natura rerum conceptibilium deduci solent. ex quibus oriuntur conceptus Unioci, & Analogi.* pag. 25

VI. *De rerum conceptibilium distinctionibus, ac seriebus.* pag. 27

VII. *De singularum serierum proprietatibus.* pag. 30

†† ij VIII. De

## Index.

- VIII. De conceptuum simplicium, rerumq. simpliciter conceptibilium relationibus, simulq. de Terminis, & Copula, de Prædicato, & Subiecto. pag. 31
- IX. De Relationibus tum affirmatiuis tum negatiuis, quæ ex mutuis conceptibilium copulationibus tum affirmatiuis, tum negatiuis oriuntur, simulq. de diuersis, de genere, de specie, & de Indiuiduis. pag. 34
- X. De differentijs, ac proprietatibus. de definitibili, ac proprio subiecto. pag. 37
- XI. De differentiarum, proprietatumq. analogarum, ac uniuocarum natura, & proprietatibus. pag. 41
- XII. De relationibus, ex quibus plures res, unum, seu non unum, pluribus modis appellari solent, atque de varijs earundem oppositionibus. pag. 42
- XIII. De primo ordine Relationum, quæ aptari solent rebus, quatenus existunt, atque ob mutuam copulationem concrete concipiuntur, ex quibus deducendæ sunt terminorum copulationes Essentialis, & necessaria, Essentialis, & non necessaria, Necessaria, & non essentialis, Nec essentialis, nec necessaria. pag. 44
- XIIII. De secundo ordine Relationum, quæ Rebus existentibus aptantur, ex quibus constituuntur plures respectus Totius tum permanentis, tum successiui, ac partium suarum. pag. 47
- XV. De Copularum differentijs, atque viribus multiplicibus. pag. 49
- XVI. De Rerum conceptibilium dispositionibus. pag. 53
- XVII. De terminorum proprietatibus, quæ ex illorum dispositione pendere solent: ac de illorum denominationibus, simulq. de definiendi rationibus. pag. 58

### Capitula secundæ Partis Contemplationis secundæ sunt octo, videlicet.

- I. De propositionum natura, partibus, partiumq. muneribus, in quibus Propositiones omnes conueniunt. pag. 61
- II. De propositionum denominationibus, quæ ex diuersa terminorum natura deducuntur, deq. varijs earundem formis. pag. 63
- III. De Propositionum proprietatibus, quæ pendent ex formarum, ac materierum relationibus. pag. 67
- IIII. De relationibus ac viribus Propositionum, in quibus certæ formæ certis materiis associantur. pag. 69
- V. De viribus Perfectissimæ proponendi formæ, quæ pro qualitatis, quantitatisq. differentijs non parum inter se distant. pag. 71
- VI. De viribus, ac infirmitatibus Propositionis Diuinæ, Indeterminatæ, Conditionalis, & Interrogatiuæ. pag. 76
- VII. De

## Index.

- VII. De his, in quibus Propositionum vires, seu conueniunt, seu non conueniunt. pag. 79
- VIII. De Propositionum dispositionibus. pag. 80

### Capitula tertię Partis Contemplationis secundæ sunt XIII. videlicet.

- I. De communi Argumentationum natura. pag. 84
- II. De Argumentationum generibus, speciebus, figuris, modis, ac perfectionum gradibus. pag. 87
- III. De syllogismorum rectorum figuris. pag. 90
- IIII. De primo modo syllogismorum rectorum figuræ primæ, atque de materierum, circa quas exerceri potest, differentijs, simulq. de Demonstrationibus Potissima, Propterquid, Signi, & Quia. pag. 92
- V. De reliquis primæ figuræ modis, atque de singulorum materijs. pag. 97
- VI. De modis syllogismorum rectorum secundæ figuræ. pag. 103
- VII. De modis syllogismorum rectorum tertię figuræ. pag. 105
- VIII. De syllogismis obliquis, seu ad impossibile ducentibus. pag. 108
- IX. De quattuor formationibus, ac vigintiseptem modis Conditionalium Propositionum, in quibus tota Conditionalium syllogismorum vis continetur. pag. 111
- X. De conditionalium syllogismorum formis, ac modis, simulq. de Conditionalium Propositionum usu ex singulorum formatione eliciendo. necnon de Conditionalium syllogismorum ex Cathegoricis deductione, atque ad eosdem reductione. pag. 117
- XI. De syllogismis Diuisiuis, atque de illorum modis. pag. 124
- XII. De inductionibus. pag. 126
- XIII. De fructu, qui ex imperfectioribus Argumentationibus, Argumentationumq. modis elicitur. deq. syllogismorum Diuisiuorum, atque Inductionum usu ad principia indemonstrabilia elicienda. pag. 128

### Capitula quartę Partis Contemplationis secundæ sunt octo, videlicet.

- I. De Triplici logica doctrinæ usu, videlicet Perfecto, Imperfecto, & Depravato. pag. 131
- II. De Recto, ac perfecto Logica doctrinæ usu. pag. 132
- III. De recto, sed imperfecto Logica doctrinæ usu: & de duplici Questionū ad illam pertinentium ordine, Dialecticarum scilicet, & Rhetoricarum. pag. 134
- IIII. De

## Index.

- III. De *Questionis Dialecticæ natura, materia; & quænam in ea supponantur, seu ignorentur.* pag. 136
- V. De *quinque præcipuis muneribus Dialecticæ, quorum unumquodque re-ete sustineri potest, Logicis terminorum relationibus animaduersis.* pag. 138
- VI. De *usu logicarum relationum in collectione, ac dispositione eorum, quæ nota sunt, in inuentione eorum, quæ ignorantur, & in decenti usu iam collocatorum; ex quibus consecutæ sunt Locorum vocem respectu terminorum, ac propositionum, respectu questionum, & respectu terminorum, mediolorum, præmissarum, & Argumentationum.* pag. 144
- VII. De *locorū enumerandorum rationibus, ac de tota illorum serie.* pag. 151
- VIII. De *Imperfecto, ac Deprauato Logicæ doctrinæ usu.* pag. 154

Capitula primæ partis Contemplationis tertiæ  
sunt XXVI. videlicet.

- I. De *huius scientiæ certitudine, ac prioritate.* pag. 157
- II. De *Ente in communi, deq. communissima illius natura, ac communissimis proprietatibus.* pag. 158
- III. De *relationibus internis Entis, ut est Ens, & de externarum exordijs, ac differentijs.* pag. 161
- III. De *ratione, qua Ens communissimum diuidendum est, atque de præcipuis Entium differentijs.* pag. 162
- V. De *Ente, quod a se per se, & in se est, seu de Deo Opt. Max. necnon de supereminenti eius virtute.* pag. 163
- VI. De *Diuinis Proprietatibus absolutis, ac primo de Veritate.* pag. 165
- VII. De *Diuina Bonitate.* pag. 167
- VIII. De *Diuina Existentiâ, siue Existendi modo.* pag. 168
- IX. De *Diuina Duratione, siue de Aeternitate.* pag. 170
- X. De *Diuina Vnitâte substantiali.* pag. 172
- XI. De *Dei perfectione, pulchritudine, ac virtute, qua ipse sibi consentit.* pag. 174
- XII. De *Diuinis Relationibus internis.* pag. 174
- XIII. De *Diuinis Relationibus ad extra, quatenus Deo sunt essentielles: seu de Diuinis proprietatibus relatiuis, atque de libero earundem usu.* pag. 175
- XIII. De *ijs, quæ creatis Entibus sunt communia, deq. reali illorum Esse, ac plenitudine.* pag. 178
- XV. De *Entibus, quæ a se non sunt, sed per se, & in se, seu de Abstractis Intellectibus.* pag. 180
- XVI. De

## Index.

- XVI. De *Abstractorum Intelligibilium Veritate, numero, distinctione, ac dispositione.* pag. 181
- XVII. De *Abstractorum Intelligibilium bonitate, existentia, ac reliquis proprietatibus absolutis, & relatiuis, internis, ac externis.* pag. 184
- XVIII. De *Entibus, quæ neque a se, neque per se, sed in se operantur & sunt, seu de humanis mentibus.* pag. 185
- XIX. De *ratione, qua humana mens humanis corporibus tamquam propria illorum forma adiungitur: ac de humanarum animarum multitudine corporum multitudini equali.* pag. 187
- XX. De *Entibus, quæ neque a se, neque in se sunt, sed per se operantur: seu de ijs, quæ ab alijs recepta propriam in ipso recipiente vim retinent, atque exercent.* pag. 190
- XXI. De *Entibus, quæ neque a se sunt, neque per se, aut in se operantur, sed ex coniunctione subsistunt. Et primo de substantiali illorum virtute, & quantitate, quæ in infinitum diuisibilis est.* pag. 193
- XXII. De *communi operatione substantiæ corporeæ, seu de Motu locali, & de ijs, quæ & motum, & mobile essentialiter concomitantur.* pag. 196
- XXIII. De *Loci natura communi, ac proprietatibus.* pag. 200
- XXIII. De *Temporis natura communi, ac proprietatibus.* pag. 201
- XXV. De *ijs, quæ præter extensionem corporeis substantijs adiungenda sunt.* pag. 203
- XXVI. De *ratione, qua indiuisibilis, ac diuisibilis Existentiæ, ac Durationes seinuicem compatiuntur, ac coexistunt.* pag. 203

Capitula secundæ partis Contemplationis tertiæ  
sunt XIII. videlicet.

- I. De *Corpore, quod a se, per se, & in se mouetur, seu de primo Cælo.* pag. 208
- II. De *Cælorum, quæ a primo Cælo continentur, necessitate, natura, numero, dispositionibus, atque de Cælorum omnium proportionibus ad Abstracta intelligibilia.* pag. 211
- III. De *Primi Cæli, Cælorumq. inferiorum Veritate, ac bonitate.* pag. 214
- III. De *Cælorum Existentiâ, ac duratione.* pag. 216
- V. De *reliquis communioribus proprietatibus Cælorum.* pag. 219
- VI. De *Corporeis naturis, quæ neque a se, neque per se, sed in se mouentur, seu de Generabilibus, ac Corruptibilibus in communi.* pag. 219
- VII. De *præcipuo influxuum ordine, qui corpora attingit, simulq. de Natu-*

## Index.

va communi, & de illius insufficientia respectu eorum, quæ semper generantur ex propagatione. pag. 222

VIII. De influxibus, qui a corporeis ad corporea fiunt, simulq. de impulsu locali: de Alteratione, de Generatione, de Corruptione, & de Augmētatione. pag. 224

IX. De corporali natura, quæ neque per se, neque in se operatur, seu de prima, & omnium communissima Materia. pag. 225

X. De præcipuis essendi modis, qui Entibus aptari possunt, Eminenti scilicet Ideali, Virtuali, Potentiali, ac formali. pag. 229

XI. De formarum materialium, ex quibus oritur formalis essendi modus, causis, natura, ac differentis: & de Seminali essendi modo. pag. 230

XII. De dignitate formarum materialium, ac de rationibus, quibus principij, causæ, ac Naturæ voces aptentur, his formis, illarumq. materijs, Naturæ communi, ac Primæ Materiæ. pag. 232

XIII. De mutuis Intelligibilium, ac corporeorum relationibus, atque amplexi-  
bilibus. pag. 234

### Capitula primæ Partis Contemplationis Quartæ sunt XXXI. videlicet.

I. De ijs, quæ pertinent ad huius scientiæ subiectum, atque exordia. pag. 237

II. De Primorum corporum constitutionibus, simulq. de eorundem formis, seu virtutibus substantialibus, ac proprietatibus primis. pag. 238

III. De Elementorum virtutibus actiuis, quibus & aliorum offensam, & propriam conseruationem respiciunt. pag. 241

IIII. De veris Elementorum proprietatibus. pag. 243

V. Elementorum numerum quaternario, neque maiorem, neque minorem esse: eundemq. ex noua diuidendi ratione constitui. pag. 245

VI. De Elementorum dispositionibus, dispositionumq. fructibus. pag. 248

VII. De Elementorum generationibus, ac corruptionibus, atque de earundem principijs, & causis. pag. 249

VIII. De ijs, quæ ab Elementis recipiantur ex sola caelestium luminum participatione, atque absque ulla propriarum qualitatuum immutatione. pag. 251

IX. De simplicibus Elementorum alterationibus, quæ caelestibus luminibus tamquam agentibus ascribuntur. pag. 252

X. De ijs, quæ a Terra, & Aqua primo patiuntur, caelestium luminum ui, caelestium motuum concurrente virtute: ac de Maris fluxu, refluxuque. pag. 254

XI. De Aquarum, ac Terrarum conglobatione. pag. 257

XII. De ijs, quæ in Aere generantur, ac de humidioribus primo. pag. 258

XIII. De

## Index.

XIII. De ijs, quæ fiunt ex fumosa exhalatione, ac generantur in mediâ, ac superiori Aeris regione. pag. 260

XIIII. De ijs, quæ fiunt ex fumosa exhalatione in inferiori, ac media Aeris regione, seu de Ventis. pag. 262

XV. De Maris constitutione. de fontibus, ac fluminibus. pag. 267

XVI. De Terræmotibus. pag. 269

XVII. De quattuor Terrarum, & Aquarum differentijs præcipuis, ex quibus quattuor mixtorum præcipuorum ordinibus materiae constituuntur. pag. 273

XVIII. De Temperamentorum, ex quibus perfecta mixta constituuntur, essentia, & causis, tam efficientibus, quam materialibus. pag. 275

XIX. De concoctionibus, concoctionumq. defectu, ac excessu, simulq. de illarum differentijs. pag. 277

XX. De Temperamentorum ordinibus, ac differentijs. pag. 280

XXI. De Temperamentorum consensu, ac dissensu, simulq. de Sympathiarum, ac Antipathiarum rationibus. pag. 283

XXII. De Mixtorum proprietatibus, seu Accidentibus communioribus, quæ illis intimiora videntur esse. pag. 286

XXIII. Accidentium, quæ a Mixtorum natura censentur remotiora, dari quinque genera. ac de primi generis speciebus. pag. 291

XXIIII. De Saporum speciebus, & causis. pag. 293

XXV. De ijs, ex quibus Marium falsedo, ac fontium saporis oriuntur. pag. 297

XXVI. De Odoribus. pag. 298

XXVII. De Sonorum, ac Vocum differentijs, & causis. pag. 300

XXVIII. De Colorum speciebus, proportionibus, ac dispositionibus. pag. 305

XXIX. De causis Colorum, qui pendent ex subiectorum temperamentis. pag. 307

XXX. De Coloribus, qui externe accipiuntur, simulq. de causis perspicui, & opaci. pag. 311

XXXI. De ijs, quæ vere colorata non sunt, sed colorum specimen referunt. pag. 312

### Capitula secundæ Partis Contemplationis Quartæ sunt XI. videlicet.

I. De ijs, quæ præterea in hac scientia tractanda sunt; ac de tractandorum ordine. pag. 317

II. De lapidum materia, causis, ac differentijs. pag. 318

†††

III. De

## Index.

- III. De varijs lapidum coloribus, ac proprietatibus. pag. 323  
III. De Salibus, Aluminibus, Sulphure, Argento viuo, & alijs, quæ generantur ex Terris, & Aquis putridis, ac fœtentibus. pag. 328  
V. De Metallorum causis, ac generatione. pag. 331  
VI. De Metallorum speciebus, ac proprietatibus. pag. 334  
VII. De Viuentium seminibus, deq. illorū causis, ac generatione. pag. 337  
VIII. De Plantarum differentijs communioribus, ac de ijs, quæ illarum unamquamque essentialiter concomitantur. pag. 338  
IX. De duobus imperfectioribus Viuentium ordinibus, quos tubera, ac fungi ingrediuntur. pag. 341  
X. De duobus Viuentium ordinibus perfectioribus, ad quos pertinent plantæ, arbuta, atque arbores omnes. pag. 344  
XI. De Plantarum partibus tum organicis, tum similaribus, deq. earundem muneribus, ac differentijs. pag. 347

### Capitula tertiæ Partis Contemplationis Quartæ sunt XVI. videlicet.

- I. De ijs, quæ ad communem animalium naturam pertinent. pag. 351  
II. De imperfectissima animalium perceptione, seu de Naturæ sensu, necnon appetitu, ac exequendi virtute, quæ illi annectuntur. pag. 354  
III. De animalibus, quæ constituuntur ex imperfectiori gradu imperfectissimi sensus, ac de eorundem generationibus. pag. 356  
III. De animalibus, quæ ab eiusdem imperfectissimi sensus gradibus perfectioribus constituuntur. pag. 358  
V. De ijs, quæ externis sensibus communiter conueniunt. de sensoriorum perfectis sensibus deseruientium constituendorum, rationibus, & de primis sensuum differentijs. pag. 359  
VI. De sensu Tactus, ac de ijs, quæ Tactum consequuntur, necnon de animalibus ab his constitutis. pag. 362  
VII. De Gustus sensu, ac de his, quæ gustandi virtutem consequuntur, necnon de animalibus ab eo constitutis. pag. 365  
VIII. De Olfactus sensu, ac de ijs, quæ Olfactum consequuntur, necnon de animalibus ab eo constitutis. pag. 367  
IX. De Somno, & Vigilia, quæ olfactum primo concomitantur, ac de eorundem causis. pag. 370  
X. De Auditu, ac de ijs, quæ Auditus sensum concomitantur, necnon de animalibus ab eo constitutis. pag. 374  
XI. De

## Index.

- XI. De sensu visus, ac de ijs, quæ videndi virtutem concomitantur, necnon de animalibus, quæ ex ea constituuntur. pag. 376  
XII. De sensus Communis differentijs, affectibus, ac exequendi potentijs, necnon de animalibus ab his constitutis. pag. 380  
XIII. De Phantasiæ sensu, deq. illius appetitu, ac exequendi virtute, necnon de animalibus, quæ ab illis constituuntur. pag. 386  
XIII. De his, quæ ad pleniorum animalium doctrinam præterea explicanda sunt, & primo de Insomnijs. pag. 390  
XV. De causis deceptionis, quæ Insomnijs conueniunt. & de his, quæ in somno reipsa exerceri possunt. pag. 393  
XVI. De principijs, ac constitutione fœtus animalium perfectorum in materno utero. pag. 395

### Capitula quartæ partis Contemplationis quartæ sunt XII. videlicet.

- I. De necessitate quorundam sensuum, qui Phantasiæ dignitatem transcendunt, ac in specie de Memoria, Memoria appetitu, ac exequendi virtute, necnon de animalibus ab ea constitutis. pag. 404  
II. De Aestimatiua, deq. illius tum affectione, tum executiua virtute, necnon de animalibus ab ea constitutis. pag. 406  
III. De Cogitatiua, deq. Intellectus humani ad humanum corpus copulatione, tum respectu essentiæ, tum respectu intellectiōnis. pag. 408  
III. De causis determinationum, ac indeterminationum, quæ simplicibus conceptionibus aptantur. De obiectis Cogitatiuæ proprijs, respectu modi, gradus, & Naturæ. ac de perceptionibus, quæ pluribus cognoscentibus ascribendæ sunt. pag. 410  
V. De primis Humanæ animæ perceptionibus, ex quibus deducitur vis Humanæ Industriæ. pag. 413  
VI. De Præfagijs, Prænotionibusq. multiplicibus, quæ ab homine exerceri possunt. pag. 415  
VII. De humani Intellectus, ac Cogitatiuæ affectu, affectusq. partibus, deq. trium superiorum obiectis, finibus, conuiescendi rationibus, ac appetendi modis. pag. 418  
VIII. De Affectus simpliciter humani obiecto, fine, conuiescendi ratione, & appetendi modo. pag. 422  
IX. Quousque, & quo pacto ea, quæ homini interna sunt, humanæ rationi subesse, ac præesse possint. pag. 425  
X. Qua

## Index.

- X. *Qua ratione Affectus imperfectiores, qui primo vigent in pueris, ac iuuen- culis, non intercludant aditum perfectioribus, sed eos prouocent potius.* pag. 428
- XI. *De Obedientia, ac Inobedientia, quas externa homini præstant, ac de naturali hominis sociabilitate.* pag. 430
- XII. *Hominum actus pertinere ad vniuersum corporeum, ac intellectuale. De fato, de contingentia, de casu, de fortuna, de humanis actionibus, fruitio- nibus, ac factiionibus, de diuina Prouidentia, ac coniuuentia.* pag. 432

### Capitula Primæ partis Contemplationis Quintæ sunt XXIX. videlicet.

- I. *De necessitate huius scientiæ, muneribus, ac partibus.* pag. 435
- II. *De affectuum, ex quibus actio omnis oritur, distinctione, ac naturali di- spositione, necnon de rationibus, quibus illorum vnusquisque communi concordia, seu discordia, simulq. humano bono, seu malo fauent.* pag. 437
- III. *De affectuum aptitudine ad certos habitus admittendos, quibus Mora- lium virtutum, seu vitiorum nomen aptatur, ac de communiori, atque adhuc in- consummata Virtute, illiusq. causis, ac partibus.* pag. 440
- III. *De duobus vitijs communioribus, altero Omissionis, altero Perpetratio- nis, quæ communi virtuti opponuntur, ac de illorum causis, & partibus.* pag. 442
- V. *De rationibus, quibus tam obiecta, quam bona, ac mala ab affectibus respi- ei possunt: deq. eorundem bonorum, ac malorum differentijs.* pag. 443
- VI. *De rationibus, ob quas idem bonum, seu idem malum magis, ac minus expetendum, seu fugiendum est, simulq. de malis, ac bonis, quæ rationabiliter sustineri, ac sperni possunt, & Fortitudinis, ac Temperantiæ vires admit- tunt.* pag. 447
- VII. *De gradibus, quibus affectus, respectu eorum, quæ primo appetunt, seu declinant, intendi, ac remitti possunt, & respectu eorum, quæ intuentur, con- sequenter extendi, ac contrahi.* pag. 448
- VIII. *De quattuor præstantiorum affectuum decenti intensiõne, ac exten- sione.* pag. 450
- IX. *De quattuor Virtutibus præcipuis, quattuor affectus præstantiores per- ficientibus.* pag. 453
- X. *De Optima virtute, quæ oritur ex quattuor virtutum præstantiorum co- pulatione, ac de illius vi ad humanam felicitatem huic peregrinationi consonam inducendam.* pag. 456
- XI. *Non concepta Optima Virtute, impossibile esse, humanam felicitatem con- cipere, ac occurrentia dubia soluere.* pag. 459

XII. De

## Index.

- XII. *De rectis, & non rectis affectuum præstantiorum, quatenus seinui- cem intuentur, intensiõibus, ac remissionibus, extensiõibus, ac contractiõni- bus.* pag. 461
- XIII. *De Magnanimitate, ac Aequanimitate.* pag. 463
- XIII. *De vitijs Magnanimitati, & Aequanimitati oppositis.* pag. 466
- XV. *De ratione, qua ex Optima virtutis, ac humanæ caritatis intuitu Ma- gnanimitas, ac Aequanimitas induci, ac retineri possint, & vitia opposita decli- nari.* pag. 466
- XVI. *De decenti contractiõne, communis caritatis ad seipsum, ex qua oriuntur decens suimet amor, ac Ingenuitas. necnon de vitijs, quæ dictis vir- tutibus opponuntur.* pag. 467
- XVII. *De decenti extensiõne proprii amoris, ad coniugem, ad virum, ad filios, ad parentes, ad fratres, ad sorores, ac ad vnumquemque ceterorum; ex quibus oriuntur decentes caritatis contractiõnes, ad coniugem, & alios, ac de Vi- tijs oppositis.* pag. 470
- XVIII. *De Paçtionum causis, ac rationibus, de virtute, quæ dicitur Humana fides, ac de Vitijs oppositis.* pag. 473
- XIX. *De duplici Iustitia, ac Iniustitia.* pag. 475
- XX. *De Discretionem, ac Modestiam; necnon de oppositis vitijs.* pag. 478
- XXI. *De Affabilitate, Familiaritate, Veritate, Comitatem, animi Modera- tione, Humilitate, Mansuetudine, & Amicabilitate.* pag. 480
- XXII. *De Vitijs virtutibus nuper enarratis oppositis.* pag. 482
- XXIII. *De ijs, ex quibus Virtutum moderamen est colligendum.* pag. 483
- XXIII. *De recta Aemulatione, ac de veræ Amicitia gradibus.* pag. 485
- XXV. *De Beneficiæ partibus, ac speciebus.* pag. 487
- XXVI. *De decenti bonorum vtilium sollicitudine, de frugalitate, de de- sidia abominatione. de cura agilitatis, ac sanitatis ex motu, ac cibis. de conti- nentia a Venereis, ac de oppositis vitijs.* pag. 490
- XXVII. *De septem vitijs capitalibus, ac de ceterorum vitiorum ab eis- dem ortu.* pag. 492
- XXVIII. *De triplici tam vitiorum, quam moralium virtutum statu, ac usu.* pag. 497
- XXIX. *De communi consensu Virtutum, ex quo communis virtus perficitur, & virtutes omnes vnus virtutis vndequaque perfectæ specimen refe- runt.* pag. 499

Capitula

## Index.

Capitula secundæ Partis Contemplationis Quintæ  
sunt XXVII. videlicet.

- I. De ijs, quæ in hac parte contemplanda sunt, ac de propriis fontibus Iuris naturalis, Iuris gentium, Iuris diuini, ac Iuris socialis. pag. 502
- II. De ijs, quæ instituere possunt internam comprehensionem, quæ præselectioni legis vere diuinæ a non diuinis, & Pietati deseruit. pag. 503
- III. De ijs, quæ Humanam societatem constituunt, seu ad illius perfectionem desiderantur. pag. 505
- IIII. De Humanarum societatum differentijs, ac differentiarum principijs. pag. 508
- V. De licentia, & Auaritia, quibus affici solent societates quatenus ex primo Naturæ cursu constituuntur. quarum priori Popularis, posteriori Senatoria potestas essentialiter conuenit. pag. 509
- VI. De Popularis Reip. imperfectione. pag. 511
- VII. De Rep. Senatoria. pag. 512
- VIII. De Regio Dominatu. pag. 513
- IX. De Ciuitatis perfectione, ac imperfectione. pag. 514
- X. Perfectam plurium Ciuitatum associationem admittendam esse, ac de rationibus, quibus plures Ciuitates imperfeete associantur. pag. 515
- XI. De ijs, quæ dirigunt ad concipiendam formam, qua plures Ciuitates associari possunt ad commune vniuscuiusque bonum. pag. 517
- XII. De ordinibus humanorum actuum, quatenus ad hominum societates pertinent, ac earundem munia obijciunt. pag. 520
- XIII. De ratione, qua societatis partes communiores sunt constituendæ. ac de septem Magistratuum ordinibus, quorum vnusquisque iterum in tres diuiditur, seu certe tria munia sustinet. pag. 523
- XIIII. De Artium omnium, ac Magistratuum, qui Artibus præficiuntur, fontibus. pag. 527
- XV. Totius societatis imaginem ab vnoquoque societatis munere vtrumque referri. pag. 529
- XVI. De recta ad munia socialia sustinenda aptitudine. pag. 530
- XVII. De Ciuium perfectam societatem ingredientium ordinibus, ac de singulorum muneribus. pag. 532
- XVIII. De Iuniorum educandorum, ac erudiendorum rationibus, ac sollicitudine. pag. 534
- XIX. De ijs, quæ desiderantur ad plenioram Perfectissimæ societatis perceptionem.

## Index.

- ceptionem. & de duabus rationibus, quibus Sacerdotes, ac Sapientes contemplari possunt. pag. 541
- XX. De Summi Sacerdotij constitutione, obtemperandi debito, præcipiendi potestate, moderamine, ac sede. pag. 542
  - XXI. De Sacerdotum inferiorum constitutione, obtemperandi debito, præcipiendi potestate, moderamine, numero, ac sede. pag. 544
  - XXII. De Sapientum constitutione, obtemperandi debito, præcipiendi potestate, moderamine, numero, ac sede. pag. 545
  - XXIII. De potestate, ac rationibus eligendi Magistratus, qui essentialiter pendent ab Humana societate. pag. 548
  - XXIIII. De Deliberantium constitutione, obtemperandi debito, præcipiendi potestate, & moderamine. pag. 549
  - XXV. De Deliberantium ordinibus, numero, ac sedibus. pag. 551
  - XXVI. De Inferiorum Magistratuum constitutione, obtemperandi debito, præcipiendi potestate, moderamine, numero, ac sede. pag. 553
  - XXVII. Ex his, quæ hactenus dicta sunt, propositæ societatis formam plene concipi, hancq. vere perfectam esse. pag. 557

Capitula tertiæ partis Contemplationis Quintæ  
sunt XIII. videlicet.

- I. De ijs, quæ in hac parte tractanda sunt. de communioribus actuum humanorum differentijs, & de ijs, quæ humanorum actuum rectitudinem inducere, seu amouere solent. pag. 561
- II. De ijs, quæ recto humanorum actuum vsui obsistunt. de Voluntario, ac Inuoluntario, quæ etiam pluribus rationibus copulari solent. & de ijs, quæ facilius, ac difficilius, seu consilio decernuntur, seu executioni mandantur. pag. 563
- III. De triplici præsentis scientiæ vsu, ac consilij exercendi ratione, ac de consilij natura, & partibus. pag. 567
- IIII. De ijs, quibus Attentionis actus sunt instituendi. pag. 569
- V. De Prænotionis, Perpersonis, Dijudicationis, ac Electionis institutionibus. pag. 572
- VI. De recta, simulq. perfectâ consilij exercendi ratione. pag. 573
- VII. De recta, sed imperfeeta consiliorum exercendorum ratione. de animi conciliationibus, affectuumq. excitationibus, seu repressionibus, quæ dum imperfeetis consulitur, probationibus adiungendæ sunt. pag. 574
- VIII. De locorum Dialecticorum sufficientia ad ea omnia suppeditanda, quæ

## Index.

- quæ in consiliorum usu desiderantur; & de quibusdam, quæ ad quorundam promotionem proprii ratione deseruiunt.* pag. 578
- IX. *De ijs, quæ ad morum habitus inducendos vim habent.* pag. 580
- X. *De Moralium Meditationum materia, & materiei dispositione.* pag. 582
- XI. *De Meditationum partibus, consummatione, & fructu.* pag. 583
- XII. *De deprauata consulendi ratione.* pag. 585
- XIII. *De Contemplationum percursorum viribus ad Industriam hominum Perfectionem pariendam.* pag. 587

F I N I S.



PHILIPPI MOCENICI  
ARCHIEPISC. NICOS.

REGNI CYPRI,

VNIVERSALIVM INSTITVTIONVM  
AD HOMINVM PERFECTIONEM

QVATENVS INDVSTRIA

PARARI POTEST,

### Contemplatio Prima:

Quæ, humanæ industriæ initia, processus, atque consummationem attingens, ceterorum, quæ præterea ad humanæ perfectionis decentem adeptionem contemplanda sunt, exordia, series, ac dispositiones constituit.



*De primis humanæ Industriæ causis, exordioq. a scientifica perceptione sumendo.* Cap. I.



ATVRAE diuina uis rerum omnium bonum, ac consummationem intendit. Itaque ijs, quæ rationis, electionisq. munere sunt destituta, indelibilem quandam ad proprium opus propensionem ingenuit, ut, arte, quam nec percipiunt, nec imitantur, sed referunt tantum, impellente, ac dirigente, & propria munia obeant, & eorundem fructus abunde recipiant. Homines uero, qui ratione, ac electione ducuntur, ipsamq. diuinam artem percipiunt, & imitantur, ne a recto harum usu facile recedere possent, illius legis uinculo deuinxit, quæ eiusdem proprii muneris amorem, ac functionem indefinenter proponit, & imperat, simulq. hominum rationem,

A nem,



nem, electionē, ac vires ita coarctat, vt huius uinculi dissolutionem neque aggredi, neque expetere, neque concipere possint. Ideoq. homini propriissimum est, singula cum regulæ alicuius constanti seu inquisitione; seu vsu aggredi, & exercere, arte scilicet ac industria vti. Hinc etiam euenit, vt hominum vnicuique uehemens quidam sensuum omnium, ac in primis oculorum amor diuinitus tribuatur, mira q. cupiditas sentiendi, ac singula experiendi: dum enim, his impellentibus, sensus exercet, ac experimentis insistit, non nulla illi interne infiguntur, quæ totius humanæ industriæ exordia ac femina continent, & hominem quam tutissime dirigere possunt ad cetera omnia, quæ uim habent ad eiusdem tam fundamenta tutius iacienda, firmanda, excitandaq. quam cursum omnem (prout conuenit) consummandum. Ex his autem illa præcipuum sibi locum vindicare videntur, quibus certiores reddimur, De singulis rebus uere affirmare nos posse, aut negare; Infinitum pertransiri non posse; Bonum amabile, ac optabile esse; Malum fugiendum, & odio prosequendum; Quæ Natura constant, appetere bonum, ceteraq. eiusdem generis, quibus propter summam eorum euidenciam vnusquisque assentitur.

His vero absque vilo erroris metu superadduntur alia, videlicet: Ex rebus quasdam cuique vtilis, quasdam inutiles esse; Ex actionibus, alias perfectas, alias imperfectas; Ex cogitationibus, atque sententijs quasdam certas, incertas alias, erroribusq. inuolutas. Itaque, nisi his Dei, ac Naturæ directionibus obstitamus, ad id deducimur, vt quam tutissime decernamus, hæc mala a nobis fugienda esse, bona uero his opposita prosequenda, simulq. summam operam nauandam, vt ab operationibus nostris defectus, a cogitationibus, ac sententijs error omnis repellatur. In his autem assidue, ac sedulo persistentes, facile percipiemus, tutissima perfectionis humanæ femina, simulq. humanæ industriæ exordia, ex illa perceptione sumenda esse, quæ præstantiori hominis parti uere aptatur, quæque, communiore ratione, scientificæ vocem obtinuit. quamuis enim Industriæ humanæ vis uersari possit, & soleat circa corpora externa, circa proprii corporis operationes, circa eiusdem corporis habitus, morales actus, morum habitus, circa certa, ac determinata proposita, circa consultationes, discursusq. omnes, & circa ipsum scire; reliquorum tamen nullum, nisi scientiæ præceptis diligentissime cultum fuerit, ad summam perfectionem perueniet.

Ad

Ad scientiam uero eatenus industria ualet, quatenus nos ad illius inquisitionem excitat, & in eius quasi prospectum, atq. complexum adducit; illam uero perfectione aliqua decorare nullo modo potest. ueritas namque, & certitudo scientiæ, ita naturales sunt, ut, si quis harum alteram ab ea seiungat, ipsamet scientiam tollat; scientia enim seruari non potest, falsitati seu ambiguitati adiuncta.

Cum igitur imperfectio oriatur ex permixtione boni, & mali, prauitas uero ex superato bono, & excedente contrario malo, manifestum est, scientificam perceptionem ex suimet natura ab omni imperfectione, ac prauitate liberam esse, simulque perfectionem, ac bonitatem sibi consonam essentialiter obtinere.

Hoc ceterorum nulli conuenit. nam consilia, proposita, morum, artiumq. habitus, & actiones Perfectæ, & Imperfectæ, Bonæ, ac Malæ appellantur, & sunt. Aliud quoque singulare, ac uere præclarum, quodq. ceteris omnibus est denegatum, ipsum scire obtinuit, vt scilicet ex propriæ naturæ vi non tantum ceteris omnibus propriam uirtutem iniiciat, sed ea etiam ratione, vt tum circa se ipsum, tum circa alia omnia uersari possit. licet enim discursus, consiliaq. præstantissime huic actioni nobilitate proxima circa se ipsa etiam, & circa alia omnia exerceantur, hoc tamen non ex propriæ naturæ vi illis conuenit, sed quatenus principijs aliquibus ab ipso scire acceptis, arte quadam proprias reflectant vires, atque circa se ipsa uersentur.

Quantum autem attinet ad Voluntatis nostræ proposita, ad morum habitus, eorūdemq. vsus, ad artes, corporisq. actiones, quisque sui ingenij vi intueri poterit, horum vnumquodq. ab amplissima scientificæ cognitionis amplitudine, ac potestate longe recedere.

His rationibus patere potest, inter ea, quæ ad hominum perfectionem Industria parandam aliqua ratione ualent, Scientiam primas partes ita sibi vindicare, vt primam perficiendi uirtutem obtineant; alia uero omnia, perfectibilia esse, & ipsius scientiæ uirtute tantummodo purgari, ac perfici posse.

*De scientificarum perceptionum copulatione, derivationeq. in ea, & ex ea,  
qua singuli hominum tute asserunt, De unaquaque re verum  
esse, affirmare, seu negare. Cap. II.*



VAE superius constituta sunt, continent exordia humanæ Industriæ, ac perfectionis. Nunc earundem incrementa, processus, ac consummationē percipere intendendum est. his enim recte delineatis, tutius postmodum dirigemur ad adeptionem ipsius humanæ perfectionis, quatenus ab Industria oritur; simulq. longe decentius obtemperabimus legi iam constitutæ, qua ad proprium munus indefinenter impellimur. in quorum vnoquoque nobis constanter infundandum est, ne deficiamus nobis ipsis, ac ceteris, quibus Dei, ac Naturæ legibus deuincimur. Quæramus igitur Certitudinem aliquam, quæ prima sit, quæque, si referatur ad cetera, quæ sub scientiam cadunt, eandem vim habeat in illis dirigendis, quam in consilijs, propositis, moribus, alijsq. disponendis, scientiam ipsam obtinere diximus. asserendum siquidem est, Certitudines omnes ea ratione dispositas esse, vt altera ab altera pendeat, vnaq. aliam consequatur, omnes vero perducantur ad vnam, omnium euentissimam, atque primam, a qua exortæ sunt. Siquis autem ex certitudinibus hanc connexionem tollere, easdemq. omnino disiunctas asserere velit, is facile re ipsa fateri cogetur, quod verbis negat. nam vel rationem aliquam ad suam sententiam confirmandam adducet, vel nullam. Si nullam proferet, inanem opinionem ostendet, & voluntariam: si aliquam, eam ex Certitudine alia ducet. Certitudinum igitur connexionem, re vtetur, quam verbis sustulerat. Si vero concedat, esse quidem coniunctionem aliquam Certitudinum, sed quamlibet a superiori pendere, nullamq. esse primam; infinitum certitudinum numerum inducet, quo nihil repugnantius dici potest. Quid enim magis certitudinem tollit, quam Infinitas? Denique, si ad id confugerit, vt & certitudinum ordini assentiat, & Infinitati aduersetur, dicatq. illud tertium, reperiri plures ordines certitudinum, ac in horum vnoquoque aliquam primam esse, ex qua oriantur aliæ, quæ in eodē sunt genere, primas tamen neque ab eodem principio hauriri, neque in eundem finem tendere, sed inter se omnino disparatas esse; rerum, ac Naturæ ordinem labefactabit, initia nostræ perfectionis, quæ ab ipsa scientia pendere diximus,

ximus, atque adeo scientiam, & Perfectionem ipsam diuellet. Deinde, vt acutius etiam huiusce opinionis falsitatem videamus, sciscitor, Ex his multis Certitudinum generibus vnumne ad omnis scientiæ constitutionem sufficiat, vel omnia requirantur? Si vnum sufficit, reliqua inania erunt, quod repugnat Naturæ. sin vero omnia necessaria sunt, singula quoque vim aliquam in hanc scientiæ constitutionem conferent; quod, nisi ab vno principio in vnum finem ducantur, intelligi non potest. nam, quæ impulsus plane diuersos habent, finesq. penitus disiunctos aspiciunt, commune opus constituere nullo modo possunt. Est itaque vna prima omnium euentissima Certitudo, a qua ducuntur aliæ. At vero prima hæc Certitudo sedulo perquirenda est. hæc enim comprehensa, & tamquam communi aliquo semine in animum admissa, ex illius vi in eorum prospectum facile deueniemus, quæ ad Industriam texendam, perfectionemq. prosequendam, præterea expetenda sunt. Illud autem in primis animaduertendum censemus, hanc, quam nunc instituimus, contemplationem pertinere non ad Res, quæ cognoscendæ sunt, sed ad cognoscendi modum, ad ipsam videlicet Certitudinem. quamquam enim nulla est scientia, si nihil est quod sciri possit, rerum tamen scibilibus recta dispositio ex Certitudinum ordine ducenda erit. nam scientia ipsa existit, ac constituitur non ex re sibi subiecta, sed ex certo Rationis obtutu, qui illius est forma.

His animaduersis, quam quærimus, Certitudo se ipsam obijciat. neque enim, quod certissimum est, ac ceteris omnibus certitudinem impertitur, inquirentium intuitum aufugere potest. Erit igitur illa satis vulgata, qua asseritur, De unaquaque re vere affirmare nos posse, aut negare. hæc siquidem talis est, vt reliquæ omnes illius viribus innitantur, ipsa vero a se ipsa tantummodo pendeat. Id facile animaduertet, qui eam in dubium reuocare tentauerit. nam simul omnes nostras cogitationes adducet in suspensionem, de eodem idem affirmabit, atque negabit, demumq. omnem affirmandi, ac negandi rationem tollet. qua sublata, nulla erit Certitudo. deniq. vel inuitus eo reuoluetur, quo minime vult. nam, cum hanc assertionem oppugnat, affirmationibus, aut negationibus vtitur. statuit ergo affirmandi, negandiue rationem.

Rationes vero, quibus ceteræ Certitudines, scientificæq. perceptiones a prima, quam iam constituimus, deriuari possunt, præcipue

pue colligendæ sunt ex illius partibus, ex earundem partium vi, ac dispositione. necessarium siquidem est, has partes, quæ primæ Certitudinis materiam vere constituunt, rerum omnium differentias, ac Certitudinum omnium materias virtute haud secus continere, quam ipsa ceteras omnes Certitudines virtute contineat. Siquis enim hoc in dubium reuocare velit, hic Primæ certitudinis munus non attinget, vel iam constitutis aduersabitur. Simili etiam ratione, harum partium vires, ac dispositiones, ceterorum omnium cognoscibilium vires, ac dispositionem obijcient. patet autem, rerum omnium differentijs, simulq. earundem viribus, ac dispositionibus recte perceptis, nos vltius latere nō posse, quid primo loco ac quo pacto contemplandum sit, seu quo ordine cetera sint prosequenda.

*De tribus Rerum ordinibus, ex tribus Primæ Certitudinis partibus colligendis, ac de his, quæ seu omnibus sunt communia, seu singulis propria. Cap. III.*

**R**IMÆ Certitudinis partes sunt tres. Res, de quibus vere affirmare, seu negare possumus; Ea, quæ vere affirmantur, seu negantur; & ipsamet Affirmatio, seu Negatio. Harum vnaquæque non vnum tantum, sed plura obijcit. nam, cum dicitur, De vnaquaque re verum est, affirmare, seu negare, clare admodum demonstratur, Res, de quibus aliud quid vere affirmatur, seu negatur, plures esse. Ex hoc autem tam eorum, quæ de eisdem affirmantur, seu negantur, quam affirmationum, ac negationum multitudinem recte colligi, exploratum est. Ex his igitur Primæ Certitudinis partibus non tres res, sed tres Rerum series colligantur necesse est. Ea vero, quæ harum serierum, seu vnicuique communia sunt, seu singulis propria, ex earundem partium vi, atque ex ipsa communissimæ Certitudinis sententia, facile demonstrari possunt, simulq. probari, Nullum cognoscibile extra has dari posse. conuincitur enim, omnia, quæ seu primam, seu secundam, seu tertiam seriem ingrediuntur, posse Rei nomen admittere, mente concipi, verbis proferri, ac veritatem, simulq. seu affirmationem, seu negationem sustinere. nam trium partium vnaquæque in ipsa communissima Certitudine certis quibusdam vocibus profertur, quæ cum neque inanes, neque inutiles sint, rem aliquam, mente conceptam, seu concipiendam,

dam, ex necessitate proponunt. Vtrum autem ea, quæ Rei nomen admittunt, ac concipi possunt, apta sint ad veritatem, assertionemq. sustinendam, ex eadem prima certitudine aperte colligitur. asserit enim, Rei vnicuique veritatem adiungi posse, huiusmodiq. adiunctionem affirmatione, vel negatione proponi. Hæc, trium partium vnicuique, simulq. vnicuique Rerum seriei, communia sunt. Quænam autem singulis sint propria, non dissimili ratione colligi poterit. cum enim vnaquæque vox certum conceptum excitet, ac rem certam obijciat, manifestum est, plures voces, in prima certitudine assumptas, plures conceptus vere excitare, ac res plures obijcere. hoc enim non admissio, sequeretur, Vocum multitudinem vanam esse. Præterea, coniunctio absque rerum coniunctarum multitudine dari non potest. Itaque, nisi hæ voces diuersæ diuersa obijcerent, nulla ex his partibus copulatio, copulationisue certitudo speranda esset. Patet etiam, priorem partem, quæ Rei nomine proponitur, respectu illorum, quæ illi vere adduntur, fundamenti, seu subiecti munus exercere, ita tamē, vt ex illorum adiectione manifestetur, Secundam, Adiuncti, seu prædicati; Tertiam vero assumi neque tamquam fundamentum, neque tamquam adiunctum, seu prædicatum, sed vt demonstrantem modos, quibus subiecti, ac prædicati copulatio adimpleri potest. Ideoq. quatenus respiciatur, vt Res, quæ veritatem, necnon affirmationem, seu negationem admittit, eam Rerum seriem pariet, quæ a primâ, atque a secunda rerum serie sustineri potest, ita tamen, vt ad vtriusque manifestationem pertineat.

Primus igitur Rerum ordo ex illis rebus erit constituendus, quæ veræ, reali, ac propriæ existentie innituntur; ideoque ad alias omnes relatæ, fundamenti partes sustinere possunt, ac Rerum, seu Primarum rerum nomen sibi decentissime assumunt, perfectiori tamen, ac imperfectiori ratione, prout perfectius, seu minus perfecte subsistunt. supposita enim harum remotione, reliqua omnia auferri necesse est.

Huiusmodi sunt Deus Opt. Max. Angeli, Homo, Cælum, Elementa, Corpora mixta, Arbores, Plantæ, atque Animalia, necnon singulæ illorum partes, quatenus re ipsa, determinateq. subsistunt.

Secundus ordo illas res complectetur, quæ nulla propria subsistentia præditæ sunt, vel certe respectu propriæ subsistentie contemplari non possunt, sed mentibus nostris sese intuendas obijciuntur, quatenus

quatenus Rerum vere subsistentium occasione excitatæ exercent propriam concipiendi vim. Hæ igitur, quæ diuersorum sunt graduum, atque in rebus vere subsistentibus affirmari, seu negari possunt, si prioribus vocibus utendum sit, non Primæ res, sed Secundæ, seu Realitates appellandæ erunt: propria enim subsistentia carent, ac rebus subsistentibus innituntur. Talia sunt Esse, Essentia, Veritas, Bonitas, Pulchritudo, omnesq. vniuersales conceptus, utputa, Homo, animal, & alia huius ordinis, quæ vere propria subsistentia carent. neque enim Essentia aliqua actu reperiri potest, quæ non sit vel ipsius Dei, vel alicuius Angeli, vel alterius Rei vere subsistentis, quemadmodum neque communis homo per se subsistit, licet per se concipi possit.

Tertius rerum ordo (ut ex eisdem colligi potest) illas res continet, quæ neque propria subsistentia fulciuntur, neque mentibus nostris, quatenus vere subsistentia respicit, sese obijciunt, sed nihil aliud sunt, quam Modi, quibus ratio sese exercet circa vere subsistentia, ac circa ea, quæ in vere subsistentibus relucent, & hoc rationis actus admittere solent. Quapropter neque Res absolute, seu Primæ res appellandæ erunt, neque res Secundæ, seu Realitates, sed res Tertiaræ, seu Rationalitates, vel Rationis Entia. Huiusmodi sunt, affirmatio, negatio, subiectum, prædicatum, species, differentia, syllogismus, inductio, & reliqua similia.

Primo Rerum ordini proprium est, non tantum mente concipi posse, sed sensu etiam utcumque percipi, licet non eodem modo. aliqua enim per se ipsa sensum mouent, aliqua vero per effectus. Eisdem etiam conuenit, posse proferri non tantum communibus, sed proprijs etiam vocibus, nominibus scilicet, illarum unicuique singulariter, seu ex singulari relatione impositis.

Secundo rerum ordini, ipsis scilicet Realitatibus, proprium est, sensu percipi non posse, sed rationis tantummodo vi attingi, ita tamen, ut nullam animi reflexionem requirant. Eisdem etiam proprium erit, proferri posse non tantum vocibus communibus, sed proprijs etiam, quæ tamen relatiue tantummodo determinentur, ac ut Res subsistentes respiciunt.

Tertio demum rerum ordini, ipsis scilicet Rationalitatibus, proprium erit, a ratione concipi posse, quatenus aciem suam circa proprios actus reflectit. Quare Secundæ etiam Intentiones appellari solent. Hæ vocibus poterunt significari, sed omnino communi-

bus,

bus, non autem seu absolute, seu relatiue proprijs. deficiunt enim non tantum a subsistentia absoluta, sed etiam a relatiua.

Nullum autem Rerum ordinem præter hos inueniri posse, & ratio, & rerum experientia demonstrant: quemadmodum enim ratio conuincit, fieri non posse, ut res aliqua inueniatur, quæ neque propria virtute subsistat, neque his, quæ propria virtute subsistunt, adhareat, neque ad harum conceptionem, seu explicationem rationis vi constituatur: ita etiam ex rerum usu assentiri cogimur, Ea omnia, quæ mentibus nostris obijciuntur, ac concipi possunt, ad horum ordinem vere pertinere.

*De singulorum ordinum connexionibus, ac limitibus. De duplici eorum serie, ac humanarum cognitionum serie, deq. illius cognitionis, ex qua Humana perfectio deducenda est, partibus, ac dispositione. Cap. IIII.*



VAE pertinent ad dispositionem horum ordinum, nec non partium, quæ ab illorum vnoquoque continentur, facilius, ac tutius percipientur, si duo prius innotuerint, quæ eorundem copulationem Naturæ consonam demonstrare possunt. Primum est, idem respectu eiusdem subiecti, & prædicati partes sustinere non posse; idem enim eodem, atque eadem comparatione & notius esset, & ignotius, indicaret, & indicaretur, quod Primæ certitudini repugnat. Secundum est, subiectorum, & prædicatorum ordines, certos habere fines; extra quos non exeant. alioquin infinite progredierentur. Itaque ex rebus, quæ vere subsistunt, aliqua subiecti tantummodo partes agere poterunt, non autem prædicati; ex rebus secundis, seu ex Realitatibus, quædam respectu rerum subsistentium, Prædicati, quædam vero respectu Entium rationis, subiecti tantummodo partes admittent: Ex rebus tertijs, seu ex rationis Entibus quædam Prædicati tantummodo, non autem subiecti, locum obtinebunt. Neque tamen suspicandum est, ex huiusmodi constitutionibus infirmari communissimæ certitudinis veritatem, quæ asserit, unamquamque rem veritatem, seu expressionem admittere. nunc enim attendenda non est prædicatorum possibilitas, quæ ad Primæ assertionis veritatem tutandam sufficit, sed prædicatorum utilitas, quæ ex noui alicuius perceptione tantummodo deduci potest. Ut igitur

B

tur

tur non est negandum, aliquid addi posse Rei, cui inter prædicata vltimus locus aptandus est; sic diuersum aliquid vere addi posse, ad firmare non licet. Itaque dato, significabile huiusmodi esse, licebit quidem dicere, significabile est significabile; at, cum nihil externum, aut ignotum addatur, talis additio inutilis erit. frustra enim tentatur, illustrare id, quod non tantum ex seipso clarum est, sed cetera omnia clara reddit. Simili ratione, illa alio subiecto fulcienda non sunt, quæ ceteris omnibus comparata subiecti partes exercent, nam seipsa sustinent. Licebit tamen dicere, exempli gratia, (quamuis sine vilo commodo) Socrates est Socrates.

Quæ hæcenus dicta sunt, demonstrare possunt, primam, ac communissimam certitudinem proponere non tantum scibilia omnia, & reliqua, quæ quacumque alia ratione cognoscenda sunt, sed duplicem etiam eorundem dispositionem obijcere, alteram scilicet, quæ ab his exordiat, quæ subiecti tantum munus admittunt; alteram huic oppositam, cuius initium ab his sumitur, quæ tantummodo prædicantur. Et hæc quidem series respondent duplici rationis nostræ prospectui. dum enim Naturæ tantum impulsus viget, mens nostra prius intuetur Res primi ordinis, quæ ceteris rerum ordinibus subijciuntur; harumque perceptioni accedunt comprehensiones eorum, quæ his vere, ac realiter annectuntur; & postremo loco animaduertuntur, quæ magis rationalia sunt, & respectu aliarum rerum ac ceterorum rationis Entium semper Prædicati munia sustinent. Dum vero non Naturæ, sed artis potius, atque industriæ exercetur vis, perfecta quoque contemplatio exordianda, ac contexenda est, ordine omnino commutato, primo loco speculanda sunt rationis Entia, quæ a rebus existentibus quam maxime distant, quæ ceteros rerum ordines illustrare, ac manifestare & possunt, & debent; ac de eisdem prædicantur, & vere prænosceda sunt. nam, sicut absque illorum perceptione cetera perfecte cognosci non possunt, ita his recte perceptis ad cetera tute descenditur. Et hæc quidem series, ea etiam disponent, quæ continentur in vnoquoque rerum ordine: semper enim ex simplici Naturæ impulsu ea prius attenduntur, quibus fundamenti partes magis aptantur; ex industriæ vero directionibus contemplatio ab illis est exordianda, quæ, si alijs comparentur, de illis prædicantur. Tunc igitur scientificæ perceptiones decentissime consummabuntur, dum exordio accepto ex his, quæ a rebus subsistentibus quam maxime distant, singulæ series absque vilo saltu perlustrabuntur. Si-

lenticio

lenticio tamen demandandum non est, Res omnes tertij, ac secundi ordinis, pertinere ad ipsum scire. nam, cum illarum vnaquæque immutabilis sit, scientificæ perceptionis certitudinem, ac inuariabilitatem sustinere potest. Rerum vero, quæ ingrediuntur primum ordinem, plurimæ, corruptioni obnoxia sunt, ideoque non scientiæ, sed sensu tantummodo percipiuntur. Æternis etiam quædam aptantur essentialiter, & necessario, ideoque scientiam decentissime patiuntur; quædam non necessario, sed voluntarie. quorum nullum scientificam perceptionem admittit, sed ex diuina reuelatione cognoscenda sunt. Itaque humanæ cognitionis tres seu ordines, seu gradus admittendi sunt, videlicet, Scibilium; Eorum, quæ ex libero electionis actu circa æterna contingunt; & Sensibilium, quatenus reipsa subsistunt, ac sensu tantummodo percipiuntur. Si quis autem hos ordines ad inuicem conferat, facile intueri poterit, Scientificam perceptionem plurimum excellere eam, quæ sensibus exercetur, sed summe deficere ab illius dignitate, quæ obijcit æternorum mutationes, uoluntatis uim complectentes, quæque neque sensuum, neque rationis ui, sed diuina reuelatione tantummodo attingi possunt. Igitur non dissimili ratione, horum perceptio erit desiderabilior quauis scientificæ perceptione, quam tamen esse summe expetibilem ex propria natura, ex superioribus patet. Corruptibilium perceptio ex propria natura homini neque bona, neque expetibilis erit. omnis siquidem illius bonitas in eo tantummodo constituitur, quod seu scientiis adipiscendis, seu consilijs ineundis, atque propositis dirigendis, ceterisque agendis deseruire possit. Ipsa uero scientificæ perceptio, quæ hominum naturæ quam maxime propria est, ea ratione inter præstantiorem, ac minus perfectam constituitur media, ut & consilijs, humanisque omnibus præsit, simulque sensibilium, ac corruptibilium omnium cognitionem exerceat, ac moderetur, & præstantiorem intelligentiam assidue exoptandam, seduloque prosequendam demonstrat. Horum autem utrumque eo firmiter præstare poterit, quo plenius, ac firmiter ea omnia percurret, quæ sub illam cadunt, quorumque unumquodque propria quadam ratione ad scientiæ consummationem conducit. decens siquidem Entium rationalium perceptio deducit ipsum Scire ad decentem dispositionem, ac distinctionem, simulque mentem nostram paratissimam reddit ad proprios actus recte, tuteque exercendos, & ob id facultatem logicam parit. Comprehensio eo-

B ij rum,

rum, quæ secundum Entium ordinem constituunt, necnon Æternorum omnium, quatenus scientificè percipi possunt, si plene perlustrentur nostrum Scire primo præstantiori resolutione illustrabit, primamq. scientiam constituet, simulq. rationem præclarissimis veritatibus ornabit, eidemq. suauissimos sapientiæ fructus delibandos obijciat: Secundo scientiæ vim ad pleniorè resolutionem perducet, ex qua oriuntur Naturalis Philosophia, & scientiæ Mathematicæ; mentemq. nostram admirabili rerum omnium dispositione, proportioneq. decorabit, ac nutriet. Postremo Scire nostrum ad summam plenitudinem, ac consummationem diriget, parietq. Morum directricem Philosophiam, & Medicam facultatem, ex quibus oritur decens Scientiarum extensio ad inferiores animi vires, & ad corruptibilium perceptionem; simulq. recta ratio consulendi, propositi, intentionisq. firmandæ, ac dirigendæ tum ad Morum virtutes actu adipiscendas, tum ad eas actu exercendas. Hac autem Scientiæ perfectione constituta, sicuti rationis humanæ vis his omnibus decorabitur, ex quibus deducenda est hominum perfectio, quatenus ab Industria pendet; ita sperandum est, illi defuturas non esse illustrationes eorum, quæ diuinitus reuelanda sunt, ceteraq. dona præstantiora. Obtemperantes igitur præceptis huius Contemplationis, quæ complectitur ceterarum semina, has omnes Scientiæ partes, eodemq. seruato ordine, pro uiribus prosequemur, ijs tamen prætermittis, quæ pertinent ad Mathematicas, atque ad Medicinam: nam hominum perfectioni infirmius deferuire videntur.



## CONTEMPLATIONIS SECUNDÆ,

Quæ circa rationis Entia versatur, & Logicam facultatem constituit,

### Pars Prima:

In qua simplices animi conceptiones, illarumq. multiplices differentiæ explicantur.



*De huius Contemplationis subiecto, partibus, ac dispositione.*  
Cap. I.



**R**ATIONIS Entia, vt ex superioribus patet, nihil aliud sunt, quam modi, quibus tum humana ratio aspicere potest Res, rerumq. veritates omnes, tum res ipsæ, ac veritates Rationis vim recipere possunt. Rationis vero, dum res, veritatemq. pure respicit, tres sunt præcipuæ operationes. Prima aliquid simpliciter concipit. Secunda, quod simpliciter concipit, simpliciter copulat. Tertia, quod simpliciter copulauit, ad nouam, ignotamq. veritatem eliciendam coniungit. Id autem est discurrere, seu ratiocinari. Cetera rationis opera ex horum repetitione varia exoriuntur. Ex hoc autem manifestum est, horum trium usuum vim non parum immutari posse, simulq. ad longe præstantiorem ordinem perducì, dum ratio sibi ipsi, seu discurrenti, seu proponenti, seu simpliciter concipienti, singulari quadam ratione assistit, & præest. Quapropter ex huiusmodi vñu si non quarta rationis operatio, quartus certe operandi modus deducendus erit, qui, vt ceterorum actuum unusquisque, propriam

propriam contemplationem videtur exposcere. Ex his vero quatuor, quæ præsentem pertractationem in quattuor partes secant, illud primo loco contemplandum erit, quod magis ab ipsis Rebus distat, ideoq. reflexum rationis intuitum postremo loco exercet.

Reliqua etiam eadem lege disponenda erunt. Primo igitur simpliciter concipiendi, secundo proponendi, tertio discurrendi, quarto moderandi, seu dirigendi actus contemplabimur. ratio enim, dum ex Naturæ ordine reflexum intuitum exorditur, primo attingit propriam in proprijs actibus dirigendis virtutem, secundo discurrendi, tertio proponendi, quarto simpliciter concipiendi. Eidem autem dispositioni illæ quoque rationes fauent, quæ docent, In speculandi actu simpliciora præferenda esse magis compositis, & communiora minus communibus. constat enim, Simpliciter animi perceptiones, tamquam ceteris simpliciores, ingredi proponendi, discurrendiq. actus, necnon horum actuum directionem, non autem e contra. Patet etiam, horum posteriorum actuum vnumquemque simpliciter concipi posse. propositiones siquidem, discursus, & directiones singularibus vocibus, quatenus singulis aptantur, interne obijciuntur. Ipsæ vero simplices perceptiones, vt communiores, neque proponendi, neque discurrendi, neque moderandi actus admittant. Harum autem partium tres priores, quæ sibi explicandos assumunt tres rationis actus, necnon dispositiones omnes eorundem, rerumque, ac veritatum, hos actus respicientiũ, sustinentiumque, quatenus decenter percurrantur, parient rationalis huius contemplationis, (quæ Logica appellari solet) theoriam, seu ipsam docentem Logicam. Quarta vero, a qua demonstrandæ sunt directiones, moderaminaq. decentissima eorundem actuum iam apprime perceptorum, constituet praxim eiusdem rationalis contemplationis, seu Logicæ, finemq. huic nostræ contemplationi imponet: recte enim conceptis singulis rationis actibus, eorundemq. directionibus, nihil præterea expetendum erit, quod ad veritatem seu indagandam, seu dijudicandam conducat. In ipsarum autem simplicium perceptionum pertractatione, quæ primo loco contemplationem nostram exercere debent, tria potissimum præstanda sunt. Primo singularum ordines, ac differentiarum proponendæ sunt, ut absolute, atque in seipsis rationis vim admittunt.

Cap. 8. Mox variarum eorundem relationes perquirendæ; quarum vnaqueque simplicem conceptionem admittit. Postremo rimandæ, atque

enar-

enarrandæ erunt series, ac dispositiones omnes, quibus simplices conceptiones Rationis vim admittere, atque attingere solent. Vltra autem hæc, simplicium conceptionum doctrina extendi non potest: singula enim ex communi dispositione, ac ordine & perficiuntur, & conquiescunt. Ad vniuscuiusque vero conceptionis consummationem tria pariter sunt necessaria: videlicet Res, seu veritas concipienda; Certus aliquis concipiendi modus; & Certa aliqua concipiendarum expressio, quæ, licet ex sui natura externam prolationem aspiciat, ad internam tamen conceptionem consummandam, atque illustrandam plurimum conducit. Igitur cum horum vnumquodque simplicem rationis nostræ conceptionem admittat, manifestum est, eorum, quæ absolute, atque in seipsis simpliciter concipi possunt, tres ordines dari.

Primus rerum expressibilitatem omnem una cum exprimendi rationibus complectitur. Cap. 2.

Secundus continet simpliciter concipiendi rationes, & rerum easdem recipientium aptitudines. Cap. 3.

Tertius docet rationes, quibus res simpliciter conceptibiles distinguendæ, ac disponendæ sunt. Cap. 6.

Horum autem ordinum vnusquisque complectitur quidem ex necessitate eadem tria, Conceptibile scilicet, Conceptionem, atque Expressionem; ea tamen ratione, vt ordo postremus aptetur rebus conceptibilibus potius, quam Conceptioni, seu Expressioni; Secundus conceptionem præcipue respiciat; Tertius demum circa expressionem, expressibilitatemq. quammaxime detineatur. Quapropter, sicuti hic tertius a rebus, rerumq. veritatibus plurimum distat, ita primus recipiet repetitum, atque omnino rationalem rationis intuitum, nostræq. huic contemplationi primo loco subijcietur. Neque vero latere nos debet, admirabili rerum omnium dispositione factum esse, vt rerum significabilium, certisq. signis expressibilium doctrina nos recto quasi tramite ducere possit primo ad multiplices concipiendi rationes, mox vero horum doctrina accedente, ad conceptibilium omnium decentissimas dispositiones attingendas. quemadmodum enim certa signa certos animi conceptus excitant, certi conceptus certam aliquam rem, seu rei veritatem obijciunt, ita signorum doctrina communis ad conceptuum doctrinam communem nos dirigit. Et hæc conceptuum doctrina nos manu ducet ad res recte comprehendendas, quatenus concepti-

conceptibiles sunt. quod easdem ob causas circa cetera omnia, quæ decenti ferie, horum contemplationi accedunt, euenire credendum est.

*De conceptuum, ac rerum conceptibilium, quatenus certis signis, ac uocibus proferri possunt, natura, & proprietatibus. Cap. II.*



IGNORVM, quibus animi conceptus, resq. ipsæ, ac rerum veritates proferri possunt, quædam visibilia sunt, quædam vero auditu percipiuntur. Quemadmodum autem inter visibilia, characteres, characterumq. copulationes diuersæ, ita inter ea, quæ ad Auditum pertinent, articulatae hominum voces, præcipuas sibi vindicant partes. Hi præcipue signorum ordines, seipso mutuo signare possunt. characteres enim, qui certas referunt voces, certis uocibus signari solent. Manifestum tamen est, Characteres constitui ad certas voces, uocumq. dearticulationes signandas, Voces uero ad certos animi conceptus excitandos, certasq. res, seu rerum veritates interne obijciendas. Characterum igitur vis ex solo signantium, ipsosq. constituentium arbitrio pendet. a rebus enim rerumq. ueritatibus est omnino seiuncta, simulq. his legibus soluta, quibus deuiinciuntur res, rerumq. veritates ex ea aptitudine, qua naturaliter exprimi possunt. Eandem etiam ob causam ipsi characteres subterfugiant contemplationem omnem, qua res, rerumq. veritates intueri solent. Voces uero dearticulatae, atque ad significandum assumptæ, licet a rebus, rerumq. ueritatibus non parum distent, ab illis tamen omnino non seiunguntur: ex naturali enim dispositione ad illarum internas obiectiones essentialiter pertinent. Quare arbitrium illorum, qui rebus singulis nomina, uocesq. imponunt, seu iam impositarum usum recipiunt, non perducitur ad ea, quæ effluunt ex rerum expressibilium natura, ac differentijs, sed ad certarum uocum delectum tantummodo extenditur. Quapropter, licet res eadem pluribus uocibus signari soleat, neque tantum ex idiomatum diuersitate, sed in eodem etiam idiomate; ex quo synonyma constitui solent; significandi tamen modi neque augeri, neque minui, neque immutari possunt. Ideoq. ipsæ uoces ad significandum assumptæ, utcumque pertinent ad contemplationem rerum, ac ueritatum, Expressionem admittentium. In illarum

rum

tum uero speculatione, illarum rerum expressibilitates tantummodo attendendæ erunt, quæ simpliciter, ac primo conceptibiles, atque explicabiles sunt, quæque nullam præterea concipiendi rationem complectuntur, neque in alias priores, ac notiores uoces possunt resolui, seu ullam interpretationem recipere, illa excepta, quæ seu ex rei ipsius obiectione, seu per synonyma exerceri solet. Huiusmodi sunt, homo, albedo, scribere; ea nempe, quæ his uocibus exprimuntur, uere primo ac simpliciter expressibilia sunt: neque enim illarum uoces ullam seu resolutionem, seu interpretationem sustinent. quod alijs pluribus uocibus euenire constat, ut puta, humanum, album, scribens, & huiusmodi, & alia, quæ illis Rebus aptantur, quæ primo expressibiles non sunt. quod ex eo manifeste deducitur, quoniam illarum unaquæque resolutionem, atque interpretationem admittit. dicimus enim, humanum esse id, quod homini conuenit; Id esse album, quod albedinem continet; & eum esse scribentem, qui scribendi actum exercet. Horum autem unumquodque sicut certum aliquem modum continet eorum, quæ primo ac simpliciter expressibilia, ac conceptibilia sunt; ita ex certo hoc concipiendi modo expressibile redditur, ac propterea ad posteriorem simplicium conceptuum ordinem deducendus erit, qui tamen ex hoc reflexo rationis intuitu primo obijcitur. Ipsa autem primo ac simpliciter expressibilia, necessario communia, seu indeterminata sunt. licet enim particularia primo sensibus nostris subijciantur, nihilominus, ut alibi clarius demonstrabitur, horum nullum expressionem admittit, absque illius uirtutis adiectione, cui indeterminata, & communia attingere datum est, quæque eorundem expressibilitatem uere concipit.

His autem primo ac simpliciter expressibilibus commune est, solitariam tantummodo perceptionem, atque conceptionem admittere. cuius illud certissimum signum est, quoniam uocum significantium vim exprimere tentantes, uoces singulas seiunctim perpendere cogimur, neque nobis illarum copulationes, ( nisi forte exempli alicuius gratia ) intueri permittitur. Eadem etiam abinuicem differunt, quoniam quædam non solitarie tantum concipi possunt, sed ea etiam ratione, ut nullum aliud significabile innuant, seu connotent: quædam alterius significabilis connotationem necessario complectuntur. Priora, quæ nihil præterea innuunt, nomine tantummodo proferri possunt. E contra, etiam, quæcum-

C

quæ



que nomine proferuntur, si primo expressibilia sint, singulariter possunt proferri, & nihil præterea connotare. huiusmodi sunt, homo, albedo, paternitas.

Posteriora, quæ aliud præterea connotant, non tantum nomine, sed alia quoque orationis parte proferri possunt. quatenus enim vnum tantum præter id, quod significant, innuunt, seu verbo, seu pronomine, seu aduerbio proferenda erunt. id siquidem, quod innuitur, quandoque nihil aliud est, quam Duratio quædam; tuncq. Verbi usus requiritur, vt puta, amare, amari, esse, quorum vnumquodque rem, & rei durationem explicat: quandoque nominis expressionem requirit, tuncq. id totum, quod exprimitur, pronomine erit proferendum: pronomini enim proprium est, alicuius, quod nomine proferri potest, contractionem, determinationemue intuendam obijcere, vt puta, ego, tu, ille. quandoque verbalem prolationem admittit, tuncq. Aduerbij vox requiritur, vt puta, dum dicitur, Velociter. Aduerbia igitur pronomini proportione quadam respondent. vt enim pronomen, illius, quod nomine signandum est, contractionem, determinationemque proponit, illudque ob id ex necessitate innuit; ita Aduerbium, illius, quod verbalem prolationem admittit, contractionem proponit, seu respectu temporis, seu loci, seu modi, seu alterius circumstantiæ: Ideoq. illud idem connotet, necesse est.

Dum autem ea, quæ significantur, non vnum tantum connotant, sed plura, illis proprium erit, seu coniunctione, seu præpositione (quarum differentias ipsa Grammatica docet) explicari posse: nam, quæ plurium copulationem, seu disiunctionem proponunt, Coniunctione; quæ vero plurium ordinem, seu relationem obijciunt, Præpositione signanda sunt. Præter has conceptibilia, ac expressibilia differentias, nulla alia præterea dari potest. nam, quæcumque primo expressibilia, ac conceptibilia sunt, seu nomine, seu verbo, seu pronomine, seu aduerbio, seu coniunctione, seu præpositione, optime proferri, ac exprimi possunt. Participium vero, atque Interiectio, quæ his Orationis partibus adiungi solent, alterius ordinis videntur esse. Participium siquidem concipiendi modum essentialiter continet, neque ea obijcit, quæ primo conceptibilia sunt. Interiectio vero animi potius affectionem, quam conceptionem obijcit.

Cum autem constitutum sit, Ea, quibus expressibilitas primo

ac

ac simpliciter conuenit, solitarie tantummodo exprimi, ac concipi posse, manifestum est, horum relationes nullas dari. quæcumque enim solitarie concipiuntur, quatenus ita concipiuntur, ab omni relatione subtrahi necesse est. Neque vero his aduersantur, quæ de eorundem innuentionibus, ac connotationibus dicta fuere. huiusmodi enim innuentiones, ac connotationes exercentur non ex vtraq. parte, seu mutuo, sed singulariter tantum: ideoq. relationum quidem femina, ac exordia continent, sed relationes perficere nullo modo possunt.

*De pluribus rationibus concipiendi, ac de illis primo, ex quibus oriuntur Conceptiones, Substantiua, & Denominatiua, Absoluta, & Relatiua, Concreta, & Abstracta. Cap. III.*



INTER ea, quæ primo, ac simpliciter significabilia, atque conceptibilia sunt, (de quibus superius diximus:) quæ Coniunctionibus, ac Præpositionibus, proferuntur, vnica tantum ratione concipi possunt. Idem ijs euenire videtur, quæ seu Aduerbio, seu Pronomine proferri solent. hæc tamen aliquando ex Nominum, seu Verborum, quibus adiunguntur, virtute, secundarie multiplicem conceptionem admittunt. Ea vero, quæ seu Nominem, seu Verbo significantur, primo ex propria natura, multiplici ratione, animi conceptionem exercere solent. Quapropter horum vnumquodque sicuti ex propriæ naturæ vi ab alijs, quæ eiusdem ordinis sunt, diuersum est; ita ex concipiendi ratione a seipso differre potest. Reliqua vero essentialiter tantum inter se distinguuntur.

Ea, quæ seu nomine, seu Verbo proferri solent, tribus ex causis multiplicem conceptionem admittunt. Prima ex eo sumitur, quoniam horum vnumquodque humanæ rationis intuitum multipliciter exercere potest. Secunda, quoniam singuli illarum conceptus, pluribus rationibus ad usum deduci solent. Tertia, quoniam non vnaquæque eodem pacto potest significari. Cap. 4.  
Cap. 5.

Quod ad primam attinet, manifestum est, Res huiusmodi non tantum in seipsis, ac primo conceptibilia esse, seu substantiue: sed etiam, quatenus alijs copulatur, seu denominatiue; quatenus ad alia non referuntur, seu absolute; quatenus ad alia referuntur, seu relatiue; quatenus a nullo eliciuntur, seu concrete; & quatenus ab alijs eliciuntur, seu abstracte.

Sciendum autem, Denominatiuam, & Relatiuam conceptionem sem

C ij per

per concretā esse: simulq. connotare aliquid, cui oppositæ conceptiones conueniant, substantiua scilicet, & absoluta; conceptionē abstractam semper esse absolutam, ac substantiuam: ipsam vero substantiuam conceptionē tam concretæ, quam abstractæ associari: euenireq. ob id, ut eorum, quæ Nominis ui primo proferenda sunt, quatenus primo concipiuntur, quædam substantiuam, absolutam, & concretā conceptionem exercent, ut puta, Homo; quædam substantiuam, absolutam, & abstractam, ut puta, Humanitas, albedo, & paternitas. Horum vero, vt alijs copulantur, quædam Denominatiuam, & concretam conceptionem inducunt, vt puta, Albedo, ex qua oritur album: quædam Relatiuam & concretam, vt puta Paternitas, ex qua oritur Pater: quædam pariunt conceptionem simpliciter substantiuam & concretam, vt Humanitas, qua ipse homo constituitur.

Ea, quibus verbalis prolatio primo, & essentialiter conuenit, substantiuam, absolutam, atque concretam conceptionem non sustinent. namque huiusmodi res, Relationis semina essentialiter continent. Relatio vero sicut Absolutioni aduersatur, ita absque concreta, ac substantiua conceptione non datur.

Prima igitur illorum conceptio, quæ proferri solet ex Modo infinito Nominum naturam referente, atque æmulante, eatenus Substantiua, atque Absoluta appellari potest, quatenus conceptio sit abstracta, vt puta, dum dicimus, amare, currere.

Horum vero abstractio, si idem Infinitus modus ad Nominis naturam propius accedat, atque ad verbalia Nomina perducatur, clarius admodum apparebit, vt puta, dum dicitur, Amor, cursus, & reliqua huiusmodi, quæ omnia cum abstracta sint, Substantiua etiam, atque Absoluta sunt. Eadem, quæ Verbis proferri solent, Denominatiuam quoque, ac relatiuam conceptionem admittunt, quarum vnaquæque semper concreta est. Et prior quidem, quoniam magis absoluta est, Participijs, quæ Denominationem essentialiter continent, erit proferenda, vt puta, dum dicimus, Amans, & currens. Posterior vero verbalem prolationem exercet, vt puta dum dicimus, Ego amo, vel Ille amat: tunc siquidem Relatio vere elucescet, clarius tamen, seu obscurius, quatenus res prolata, magis, ac minus ad Relationem sit prona. horum enim significabilium naturæ non parum inter se distant. Ideoque, quædam quibusdam verbis proferenda sunt, quæ si alijs comparentur verbis, priori quadam ratione Relatiua appellari possunt, vt puta, Potest, Debet, aliaq. nonnulla. Siquis autem enumeratas conceptionum rationes ad inuicem confe-

rat,

rat, facile animaduertet, duas extremas, Substantiuam videlicet, simulq. Absolutam, atque concretam, necnon abstractā, simulq. substantiuam, atque absolutam duabus medijs longe clariores, ac tutiores esse. nam certa cōceptibilia, atque ex certiori quadam ratione intuentur; Medias vero Denominatiuam videlicet, ac relatiuam se mutuo arctissime, sæpe etiā indissolubiliter complecti. sicut enim Denominatio absque inhærentis, & recipientis relatione non datur, ita relatio certam Denominationem inducit, atque etiam ex certa aliqua vi, quæ denominatiuam conceptionē non indecenter exercet, necessario deducēda est. Ideoque recte nonnumquam ambigi solet, utrum cōceptio denominatiua, an relatiua sit. nulla tamen ratione dubitandum est, quin denominatiua conceptio, quatenus ex Nomine pēdet, his proximior sit, quæ ex propria natura substantiuam, absolutam, & concretam conceptionem admittunt. horū namq. rationes, & cetera omnia, quæ illis virtualiter inhærent, licet relatiua voce proferantur, denominatiue tamen sunt cōcipienda, vt puta, Rationale, in quo hominis ratio inest; & Risibile, quod in rationali virtualiter continetur.

Relatiua vero conceptio vt a substantiuis, absolutis, ac concretis longe distat, ita his quammaxime adhæret, quæ ex propria natura, abstracta sunt, quæque Conceptionum omnium ordinem claudere videntur: neque enim res ad infinitum deduci possunt. Huiusmodi autem videntur esse ea, quorum abstractio non a nomine, sed a verbo colligenda est, vt puta, Intellectio, visio, associatio, seu societas, & reliqua eiusdem ordinis: horum siquidem vnumquodque ex plurium Relatiuorum copulatione, atque concursu constituatur necesse est. nam Intellectio oritur ex concursu intelligibilis, & intellectiue virtutis, & visio pendet ex coniunctione visibilis, & videntis; sicuti societas perficitur ex societatis recipiendæ aptitudine, & eiusdem inducendæ virtutis.

Ex hoc autem demonstratur, secundam denominationē, quæ Participij vi proferenda est, huic concipiendi rationi essentialiter copulari. data enim visione, videntem, ac visum non dari, impossibile est. Animaduertendum vero est, dari etiam nonnullas denominationes, quarum fundamēta sumi solent ex relationibus rerum non omnino cohærentium, sed potius disiunctarū, vt puta In platea esse, seu Certo aliquo tempore, necnon certum situm constituere, & aliquid habere.

Ad horum autem conceptibilium vnumquodque clarius dignoscendum, Abstractæ conceptionis vsus quammaxime prodesse potest.

test. hæc enim ceteris omnibus simplicior, ac purior, alijs omnibus quodam modo assistere, atque præesse videtur. Quapropter, quemadmodum Conceptibilibus omnibus aptari potest, ita, quatenus ad concretam conceptionem deducitur, singulorum naturam optime indicat: ex eo siquidem percipimus, Hominem ex propria natura substantiuam, absolutam, & concretam conceptionem exercere, quoniam ex humanitatis adiectione nullam denominationem, nullamq. relationem, sed proprium tantummodo Esse proponit: similiq. ratione intueri licet, Patris conceptionem esse relatiuam, Albi autem denominatiuam, quoniam Pater ex Paternitatis additione, rei, cui additur, relationem obijcit; Albus vero ex albedinis additione, eiusdem rei denominationem demonstrat; horumque nullum, proprium rei Esse concipiendum proponit.

*De varijs simplicium Conceptionum usibus, ex quibus deducuntur Conceptus vniuersales, communes, medij, ac particulares. Cap. IIII.*

**E**XPLICEMVS diuersos simplicium conceptionum usus, ex quibus secundam multipliciter concipiendi rationem pendere diximus. Voces ad significandum assumptæ, aliquando solitarie proferendæ sunt, aliquando non solitarie, sed cum additione alterius uocis, quæ prioris vim seu contrahat, seu dirigat, seu determinet.

Horum vero usum unusquisque propriam quandam concipiendi rationem exercet.

Huiusmodi tamen usus, ac additiones, aliter ab his, quæ Nominibus proferuntur, admitti solent, & aliter ab his, quæ verbalem prolationem exposcunt.

Igitur, ut singula recte percipiantur, vtrumque Conceptibilium ordinem percurramus. Nomina, dum solitarie proferuntur, Rei prolata naturam absolute, atque in se ipsa concipiendam ut plurimum proponunt, ut puta, si dicatur, Homo, seu Animal. tunc enim ipsam hominis, seu animalis naturam in se ipsa respicimus, & propterea hi conceptus vere, atque absolute Vniuersales appellandi erunt. Aliquando tamen eadem hæc nomina, absque additione prolata, Rei quidem naturam proponunt, non tamen absolute, atque in se ipsa acceptam, sed quatenus indistincte, atque indeterminate, seu communicabilis est, seu iam actu communicata, ut puta, dum

dum dicimus, Homines; tunc enim naturam humanam iam ipsos homines constituentem respicimus, Ideoque ex talibus uocibus Vniuersales quidem conceptus colligendi erunt, non tamen simpliciter tales, sed qui Vniuersales vagi, seu communes, recte denominentur: illorum siquidem vis, dum rerum conceptarum natura id patitur, ita ex certorum signorum additionibus immutari solet, ut inducat conceptus tum communes, tum medios, tum particulares, seu vagos, seu pluribus rationibus determinatos. Conceptus redduntur communes, dum adduntur signa, Omnis, vel, Nullus, ut puta, si dicatur, Omnes homines, seu, Nullus homo. Conceptus redduntur Medij, dum adduntur signa, Quamplurimi, plures, perpauci, paucissimi; ut puta, si dicatur, Plurimi hominum, Plures homines, Pars hominum, Pauci, ac Paucissimi homines. Conceptus redduntur particulares, & vagi, dum adduntur signa, Vnus, Aliquis, vel Aliqui. Conceptus redduntur particulares, ac determinati, dum adduntur signa, Illi, vel Ille, Isti, vel Iste, ut puta, si dicatur, Illi homines, vel Isti homines, Ille homo, vel Iste homo. Animaduertendum vero est, talia signa decentissime adiungi posse communibus Nominibus, quæ concrete concipiuntur, seu absolute, seu substantiue, siue denominatiue, siue relatiue concipiantur; ab illis vero, quæ abstracte concipiuntur, non sustineri, Ideoque, quamuis recte dicatur, Patrum pars maior, vel Patrum plurimi, & Homines plurimi, non tamen dicere licet, Plurimæ paternitates, vel Plurimæ humanitates, quod ascribendum est Abstractæ conceptionis, summæ puritati, ac simplicitati. hæc enim omnino absolute Rei concipiendæ naturam attingit, atque ob id inflexibili quadam ratione. Quæ autem ex propria natura, substantiua, absoluta, ac concreta sunt, plures concipiendi rationes admittunt non tantum ex supradictorum signorum additionibus, sed etiam ex propriorum Nominum additione. quod nulli aliorum conceditur, nisi forte, quatenus ad hæc referuntur. Et hæc quidem propria nomina, puta, Socrates, & Plato, quorum vnumquodque certum hominem signat, minus determinant, quam signa Iste, vel Isti. Nomina enim propria rem tamquam supradictorum signorum vi contrahibilem, videntur proponere; signa autem modo enumerata Rem, ut iam contractam, obijciunt.

Præter iam constituta signa, quæ Vniuersalibus vagis tantummodo adiungi, atque ut plurimum præponi, consueuerunt, alia etiã recipienda

recipienda sunt, quæ non tantum his apponuntur, quæ vniuersaliter concipi solent, sed ijs quoque, quæ ex priorum Nominum prolatione obijciuntur. Hæc duorum ordinum videntur esse. quædam enim condicionem, seu expressionem aliquam continent, vt puta, dum dicimus, Homo philosophus, Deus iratus, Socrates sanus, & similia.

Et hæc quidem, quemadmodum participialibus addita, ea vt cum que contrahunt, ita vniuersali vago adiuncta illud ad particulare vagum deducunt, atque ea ratione, vt ex talibus additionibus magis contrahatur, quam ex signorum, quæ particulare vagum constituunt. dum enim dicimus Homo philosophus, Conceptus hominis, vniuersalis magis contrahitur, quam si dicatur, Vnus homo, seu Aliquis homo. Quædam non condicionem, sed potius limitationem, seu certam quandam vim videntur afferre. Hæc autem signa duo sunt, videlicet signum Quatenus, & signum Quia, seu alia, quæ eandem vim continent. Horum vnumquodque ita postponitur, vt alterius etiam vocis additionem requirat.

Primum vocibus communibus decentius additur: decentissime enim dicitur, Homo, quatenus homo, &, Homo, quatenus civilis. quorum vis obrundi videtur, si dicatur, Homo, quia homo, & Homo, quia civilis.

Secundum proprijs nominibus rectius adiungitur: rectissime enim dicitur, Deus, quia bonus, &, Socrates, quia philosophus.

Differunt etiam inter se, huiusmodi signa, quoniam signum Quia, vim causæ manifeste explicat, licet non semper propriissimam causam obijciat. signum vero Quatenus, aliquando vim causæ non exprimit, sed rem tantummodo contrahit, vt puta, dum dicimus, Homo, quatenus libertate præditus; dum autem causam exprimit, propriissimam causam exprimit.

Sed iam deueniendum est ad enumerationem signorum, immutantium Conceptionem rerum verbis proferendarum. Horum præcipua, atque ipsis Verbis quammaxime consona, signa illa videntur esse, quæ temporis differentias, ac partes obijciunt. Hæc ideo singulariter enumerasse sufficiet, quoniam cetera, quæ locorum, modorum, ac reliquarum circumstantiarum distinctionem offerre solent, his recte perceptis, facile admodum colligentur. Signa, quæ Verbis adiuncta, temporis rationes, differentias, ac partes proponunt, sunt, Semper, Numquam, Veris tempore, Illo tempore, &

Hoc

Hoc tempore. Horum autem proportionem ad illa, quæ communibus nominibus adiungi solent, numerumque respiciunt, vnusquisque facile intueri potest. constat enim, Id, quod respectu numeri est Omnis, seu Nullus, respectu temporis esse Semper, seu Numquam. similiq. ratione id, quod in numero est Plurimi, Plures, & reliqua huiusmodi, respectu temporis esse Sepissime, Sæpe, Raro, Rarissime, & eiusdem ordinis reliqua: quod in numero est Aliquis, vel Vnus, in tempore esse Aliquando, vel Vno tempore: quod in numero est Ille, vel Illi, Iste, vel Isti, in tempore esse Illo tempore, & Hoc tempore.

*De simplicium Conceptuum differentijs, quæ ex natura rerum conceptibilium deduci solent.*

Cap. V.



Tertia ratio, ex qua simplices Conceptus multipliciter exerceri solent, clarius attingi possit, animaduertendum esse existimamus, Communibus omnibus proprium esse, ex communi eorum, quibus aptari possunt, ratione constitui, ac denominari; huiusmodiq. rationem aliquando eandem omnino esse, vt puta Animalis conceptio, quæ eadem penitus ratione Homini, Equo, Leoni, ac reliquis omnibus conuenit. horum enim vnumquodque ideo animal appellatur, quoniam singulis æqualiter conuenit, sentiendi virtute præditum esse. Et hi quidem communes conceptus Vniuoci, vocesque eosdem referentes Vniuocæ appellari solent. Aliquando vero communis Denominationis ratio neque omnino est eadem, neque omnino diuersa, ita tamen, vt res communiter acceptæ, realem, simulque absolutum conceptum admittant ex communi ipsarum rerum conceptarum intuitu, atque obiectione, vt puta Entis conceptio, quam huiusmodi vere esse supponimus, idque suo loco clarius demonstrandum erit. Ipsius igitur Entis vox neque eadem omnino, neque diuersa omnino ratione prædicabitur de Deo, & de rebus, quæ a Deo sunt. Quapropter illius conceptus, ceteriq. huiusmodi conceptus, ac voces ex Analogia denominationem accipient. Voces vero, quæ rebus pluribus ratione omnino diuersa aptari possunt, Æquiocæ dicuntur, vt puta Canis vox, quæ animali, ac stellis duabus, quæ in Leone sunt, conuenit.

D

Hæ

Hæ nullum certum animi conceptum referunt, ideoq. eliminantur erunt non tantum a perfectis scientijs, sed etiam a quocumque discursu, si veritatis solius conceptio, atque expressio attendatur. Siquis autem Vniuoca, Analoga, & Æquiuoca inter se conferat, facile intueri poterit, Analoga medium locum decentissime obtinere, Ideoq. eo magis, ac minus certe, ac tute animi intuitum, atque conceptionem dirigere, quo magis, ac minus accedunt seu ad Vniuoca, quæ omnino perfecte significant, seu ad Æquiuoca, quæ quammaxime decipere possunt. Inter Analoga ea videntur Vniuocis proximiora, quæ substantiuam, absolutam, atque concretam conceptionem exercere possunt, vt puta Ens, quod vere huiusmodi esse demonstrabitur, dum de rebus agitur. huius enim denominationis ratio quamuis ex certa aliqua re, omnibus Entibus communi elici non possit, elicitur tamen ex quodam reali, quod a nullo Ente seiungitur, & vere eandem conceptionem admittit. Analoga vero, (quæ & Denominatiua sunt, & denominatiuam conceptionem requirunt, ut puta, uox sana, quæ aptari solet corpori re ipsa sano, Medicinæ corporis sanitatem inducenti, Urinæ eandem indicanti,) licet uere non sint Æquiuoca, ab illorum tamen defectu non omnino recedunt. Hoc autem manifeste percipiemus, animaduertentes, harum uocum, conceptionumq. rationes ita inter se distare, vt conceptionem omnino diuersam requirant. corpus enim concipitur sanum ex denominatiua conceptione, reliqua uero dicuntur sana ex conceptione relatiua, quæ etiam pro multiplicibus relationibus, multiplicibus rationibus essentialiter distinctis innititur. Supradicta tamen sanitatis uox, ac reliquæ eiusdem ordinis, Æquiuocæ appellandæ non sunt, quoniam, vt superius constitutum est, Denominatiuæ, atque Relatiuæ conceptiones ea intuentur, quæ inter se mutuo arctissime, sæpe etiam indissolubiliter copulantur. Ideoq. licet diuersa proponant, ea tamen, non vt diuersa, sed ut se mutuo parientia, atque ad idem tendentia obijciunt. Ad Æquiuocationem autem facilius deprehendendam, simulq. ad Analogorum virtutes tutius dignoscendas, non parum conducere posse existimamus, si singula ad abstractam conceptionem deducantur: ipsa enim abstracta conceptio, tamquam ceteris omnibus purior, atque simplicior, vt animi intuitum non diuertit, ita eundem a quacumque alucinatione quammaxime tutum reddit.



**H**is, quæ de uarijs concipiendi rationibus hætenus dicta sunt, quamtutissime colligere licet, plures Rerum conceptibilium series admittendas, easq. ex quatuor præcipuis fontibus deducendas esse, uidelicet, Ex his, quæ substantiuam, absolutam, atque concretam conceptionem exposcunt, & ex triplici abstractorum ordine; quorum prior deduci solet ex Denominatiuis puro nomine proferendis, Secundus ex Relatiuis, Tertius ex Denominatiuis, quæ participio sunt exprimenda, atque etiam ex alijs Denominatiuis, de quibus superius dictum est. Quæ substantiuam, absolutam, simulq. concretam conceptionem exposcunt, eam Rerum seriem obijciunt, quæ ceterarum omnium est præcipua. Hoc autem ex eo demonstrari potest, quoniam ex his Concretis ea Abstracta eliciuntur, quæ nullam Rerum seriem constituere possunt. ea enim ratione Concretis adijciuntur, vt neque relatiuam, neque denominatiuam conceptionem inducant, sed ad eiusdem Concreti essentiam uere pertineant. Horum exemplum Homo præbere potest: ex homine enim humanitas abstrahitur, quæ licet non sit homo, sicut neque homo est humanitas; nullam tamen circa hominem denominatiuam, seu relatiuam conceptionem inducit: ad hominis enim Esse, atque constitutionem essentialiter pertinet. Ideoque, cum homo absque humanitate dari non possit, neque e contra, manifestum est, horum unumquodque ad eandem seriem uere deducendum esse. hoc autem Abstractorum nulli conuenit, horum enim nullum Rei, cui adiungitur, essentiam complectitur. Quapropter neque ab eadem seiunctum destruit illius Esse, seu constitutionem. Ex quo demonstratur, horum Abstractorum unumquodque certam Rerum seriem constituere.

Sicut igitur illorum, quæ substantiue, absolute, & concrete concipiuntur, unica tantummodo series est admittenda, cui etiam, tamquam præcipuæ, decentissime aptanda erit substantiæ uox; ita ceterorum series plures erunt, quæ etiam, quoniam substantijs innituntur, Accidentium uoce proferri solent. Ad harum autem serierum numerum, ac dispositionem recte concipiendam, animaduertendum esse existimamus, Denominatiuam concipiendi rationem (seu Nomi, seu Participio innitatur) inniti posse pluribus, quæ essen-

tialiter distinguuntur. ideoq. obijcere plures etiam series Abstractorum, simpliciterq. conceptibilium. Eorum enim, quæ a Denominatiuis puro Nomine proferendis eliciuntur, quædam ipsam substantiam quotam reddunt, vt Numerus, seu Discreta quantitas, quæ diuisionis iam consummatæ vim continere videtur;

Quædam quantam, vt quantitas Continua, quæ primam rerum diuisibilitatem obijcit;

Quædam aliam quandam Denominationem illi addunt ex multiplici seu forma, & figura, seu passione, & passibili qualitate, seu naturali potentia, vel impotentia, seu habitu, ac dispositione. Hæc tamen communi Qualitatis nomine signari solent, sicuti Numerus, ac Continua quantitas, communem Quantitatis vocem admittunt.

Animaduertendum vero est, non tantum substantiam vi quantitatis denominari Quantam, sed etiam Tempus, & Locum, Orationem quoque, ac ceteras actiones, & passiones; quorum tamen nullum Quantitatis vocem abstracte admittit. neque enim primo diuisibilia sunt, vt ipsa quantitas. Supradictarum autem Denominationum vnaquæque ex his elicitur, quæ vere permanentia sunt, & omnino intrinseca ipsi substantiæ, cui adhærent.

Relatio vero omnis, quæ ex Relatiuorum abstracta conceptione deducitur, atque vnicam conceptibilium seriem parit, licet permanens sit, substantiæ tamen, cui adhæret, non est omnino intrinseca, sed partim intrinseca, partim extrinseca. Quare tamquam media constituitur inter Abstracta eorum, quæ puro Nomine explicantur, & eorum, quæ Verbalis nomine sunt proferenda, ac reliquorum. Ea, quæ a Verbis eliciuntur, cum Relatione conueniunt, quoniam substantiæ, cui inhærent, partim intrinseca, partim extrinseca sunt. Differunt autem ab eadem, quoniam Permanentia carent, sed in fluxu quodam constituuntur, seu certe Durationem vtrumque connotant; Cetera vero permanentia quidem sunt, sed substantiæ, cui inhærent, omnino extrinseca. Quæ ex Verbis eliciuntur, ad duas præcipuas series deducenda videntur, ad Actionem scilicet, & Passionem. Reliqua Substantiæ omnino extrinseca, quattuor series parient, Eam videlicet quæ dicitur Vbi, quæque elicitur ex Re, quatenus est in loco, vt puta, Domi, seu in Platea; Eam, quæ Quando appellatur, quæque colligitur ex Re, quatenus est in tempore, vt puta, Hoc tempore. Hanc autem re-

rum seriem, sicut & seriem Loci, & duas posteriores, ideo permanentia continere diximus, quoniam temporis fluxum respicit, non quatenus est huiusmodi, sed quatenus definitur, ac permanentium naturam exercet.

Tertia Rerum series, omnino extrinseca substantiæ, cui aptatur, oritur ex Rei, Quantitatis, & figuræ relatione, quatenus aliorum quantitatem, figuramue associat, seu aliter respicit, & Situs denominatur, vt puta Erectus, Pronus.

Quarta e contra, oritur ex relatione alienæ quantitatis, & figuræ, propriam quantitatem, & figuram associantis, seu aliter respicientis; & dicitur Habere, vt puta, armatus, vestitus. His autem sex postremis Rerum conceptibilium seriebus commune est, oriri ex Relatiuorum concursu. nam ipsa Relatiua, dum actu concurrunt, exuunt relatiuam, simulq. denominatiuam naturam, atque, prout vnicuique conuenit, deducuntur ad certam Absolutorum seriem. idque ex eo conijcere licet, quod, hac copulatione remota, concurrentes partes ad Relationis seriem reuertuntur. licet enim Actio, & Passio ingrediantur Actionis, ac Passionis series, Agens tamen, & Patiens relatiua sunt.

Idem etiam facile demonstrari potest circa Locum, vt non adhuc continet, sed vt contentiuus est; nec non circa Tempus, vt non adhuc definitum, sed vt definibile est; circa figuram, vt non adhuc collocata, sed vt collocabilis; & circa vestem, vt non adhuc induta, sed vt induenda. horum enim vnumquodque vt sic acceptum, non pertinebit ad seriem seu Loci, seu Temporis, seu Situs, seu Habere, sed tantum ad Relationis seriem.

Harum serierum vnaquæque complectitur vniuersalia, & non vniuersalia. cum enim ea, quæ in singulis seriebus continentur, neque idem penitus, neque diuersa esse possint, necessarium est, vt in aliquibus conueniant, (ex quo Communia, & Vniuersalia constituuntur) & in aliquibus differant, quod tandem ad non vniuersalia perducit. Vniuersalium autem quædam fortasse dicenda erunt Analoga, quædam Vniuoca. quod tamen circa Relationis seriem, locum habere non videtur: Relatiua enim omnia ex eadem penitus ratione Relationi subiiciuntur, ex eo scilicet, quod ad Aliud dicantur.



**S**UBSTANTIAE, vt substantia est, proprium videtur esse, continere vim primam seu agendi, seu recipiendi. Quin etiam illi fortasse conuenit, nulla ratione recipere Magis, seu Minus, nisi forte respectu illorum, per quæ perfectius, seu imperfectius propria munia exercere potest, quæ maiorem, minoremq. perfectionem admittunt. quod tamen ascribendum est potius Accidentibus, substantiæ ministrantibus, quam ipsi substantiæ. Et hæc quidem conueniunt tantum substantijs singularibus, ac particularibus, non autem vniuersalibus.

Numerus conuenit cum communi substantia, quoniam nulla ratione recipit Magis, seu Minus. ab eadem vero quammaxime differt, quoniam illi nulla agendi, patiendiue vis decenter aptari potest.

Quantitas sicuti ex diuisione efficitur minor, ita ex alterius quantitatis adiectione efficitur maior.

Inter Qualitatis series, forma, & figura circa quantitatem continuam præcipue versantur, atque Absolutorum naturam perfecte retinent. Reliquæ vero ad Relationem quammaxime propensæ sunt.

Formæ igitur, atque figuræ conueniunt cum Quantitate, quoniam respectu extensionis adaugeri, ac diminui possunt: ab eadem tamen Quantitate differunt, quoniam, tamen nullam agendi, seu patiendi vim afferant substantiæ, cui adhærent, utcumque tamen deseruiunt Actioni tamquam instrumentum, Passioni vero tamquam dispositio.

Passio, & passibilis qualitas, substantiæ, cui inhærent, agendi vim, seu patiendi aptitudinem videntur afferre, vel certe Actionem, Passionemue consequuntur. Illis etiam propriissimum est, respectu Intentionis admittere Magis, ac Minus. quod tamen de medijs illarum gradibus est intelligendum: nam, quæ summe intensæ sunt, vltius intendi non possunt.

Naturalis potentia, vel impotentia, quæ videntur oriri ex concursu duarum qualitatis specierum iam constitutarum, recipit Magis, ac Minus, respectu virtutis, quæ firmior, seu infirmior esse potest. Huic proprium est, Substantiæ, cui inest, afferre agendi, vel patiendi vim, seu illius priuationem. *Habitus, & Dispositio præci-*

præcipue inseruire videntur Naturali potentia, uel impotentia seu firmandæ, seu debilitandæ. quare hac etiam ratione respicient Actionem, seu Passionem. Illis proprium est, admittere Magis, ac Minus, idque respectu tum perfectioris, vel imperfectioris gradus, tum firmioris inhærentiæ, vel minus perfectæ.

Relationis uis admirabilis omnino est. nam pluribus rationibus extenditur ad unamquamque Rerum seriem, & ad singulas vniuscuiusque partes, seu communes, seu propriæ, seu analogæ, seu uniuocæ sint, atque, vt ad actum deducitur, vnumquodque coniungit, seu separat. Illius partes enumerare neque Logici munus est, neque certæ alicuius Scientiæ, sed unaquæque speculatio, atque scientia, pro subiectorum suorum latitudine, atque limitibus demonstrat certas quasdam relationes. Manifestum tamen est, eas, quæ a nostra hac facultate respiciuntur, esse ceterarum omnium communissimas, & reliquarum omnium rationem utcumque complecti. Hoc autem clarius admodum intuebimur, cum de totius huius Doctrinæ usu agendum erit.

Actionis, & Passionis seriebus proprium videtur, recipere Magis, ac Minus non tantum respectu Extensionis, & Intentionis, sed Velocitatis etiam, ac Perseuerantiæ.

Quattuor postremi Accidentium ordines, qui sunt omnino exteriores Substantiæ, cui conueniunt, nullum Accidens recipiunt, neque enim Res ad infinitum deduci possunt, Ideoq. etiam Magis, ac Minus penitus subterfugiunt. Omnis autem illorum diuersitas accidentaliter ortum ducit ex diuersis ceterorum Accidentium concursibus, atque relationibus.

*De Conceptuum simplicium, Rerumq. simpliciter conceptibilium relationibus, simulq. de Terminis, & Copula, de Prædicato, & subiecto. Cap. VIII.*



**C**ONCIPIENDI rationes multiples non tantum constituunt distinctionem Conceptuum simplicium, Rerumq. simpliciter conceptibilium, sed eosdem etiam Conceptus, simulq. Res sic conceptas, idoneas, atque aptas reddunt ad exercendas mutuas relationes, prout vniuscuiusque naturæ conuenit. Harum relationum vnaquæque certas denominationes exposcit, certasque proprietates inducit.

*Ille*

Illā uero uidetur prior, atque simplicior, quæ pender ex certa Conceptibilium aptitudine mutux copulationis admittendæ, & ex certa eiusdem copulationis consummandæ virtute. Ex hac igitur relatione, Coniungendi virtus, Copulæ, ipsa uero coniungibilia, Terminorum denominationem consecuta sunt. Terminis proprium erit, Nomine tantum proferri posse, seu alia Orationis parte, quæ Nominis uim seu explicite, seu implicite complectatur, quatenus huiusmodi uim complectitur. Copulæ uero admittent expressiōnem, tantummodo uerborum, ut uerbalem naturam retinent, & indicatiue proferuntur. Dum autem Verba, certi alicuius Termini partes sustinent, semper resolui possunt in Participium, atque in aliud Verbum, sententia nullatenus immutata, ut puta, dum dicitur, Homo currit. quæ sententia, Verbo ad Participium resoluta, similiter proferitur, dum dicitur, Homo est currens.

Hoc tamen semel tantum euenire potest: Verbo enim semel resoluta, Verbum, Est, quod Participio annectitur, uerbalem naturam ea ratione retinet, ut ulteriores resolutionem non patiatur, Ideoq. Copulæ tantummodo munia sustinet.

Huic primæ Conceptibilium relationi illa adiungitur, qua Termini, priori quadam ratione ad se inuicem referuntur. nam illorum aliquis necessario Copulationem ingreditur tamquam manifestabilis, simulq. sustinens, aliquis uero tamquam manifestans, atque sustinenti adiunctus. Ex huiusmodi autem relatione, Terminis sustinens, Subiecti uocem sortitus est, Adiunctus uero Prædicati. Subiecto, ut subiectum est, proprium uidetur esse, Nominis uim, explicite prolata, tantummodo proferri, ita tamen, ut Verborum Modus infinitus non repellatur, quem diximus Nominum naturam æmulari. Eidem etiam subiecto, Substantiua, atque Absoluta conceptio ea ratione conueniunt, ut si denominatiuum, seu relatiuum aliquod assumatur ad subiecti locum, assumi tantummodo possit ex substantiua atque Absoluta conceptione, Ideoq. dum exempli gratia dicitur, Album est coloratum, uox Albi præcipue subijcit rem substantiuam, atque absolutam, cui albedo inest. Simili etiam ratione dum dicitur, Pater est philosophus, illum præcipue subijcimus, cui accidit Patrem esse, quique uere substantiuam, atque absolutam conceptionem exercet. Hæc autem substantiua, & absoluta conceptio, quæ Subiecto quammaxime conuenit, indistincte copulari potest conceptioni tam Concrete, quam

Abstra-

Abstractæ. Homo namque concrete acceptus, & Albedo abstracte, & reliqua eorundem ordinum, Subiecti partes decentissime sustinent.

Prædicatum, ut prædicatum, seu explicite, seu implicite Nominis uim complectatur, non incongrue de Subiecto prædicari poterit: quatenus enim Nomen implicite contineat, Copulæ etiam uirtutem complectitur, ut puta, dum dicitur, Homo currit; quæ illi æquipollet, qua dicitur, Homo est currens. Eidem prædicato est proprium, omnes concipiendi rationes admittere, Ideoq. illius uim, singula adiungi possunt, prout uniuscuiusque natura patitur. Quemadmodum autem Prædicatum omnes concipiendi rationes decentissime sustinet, ita omnem Signorum additionem repellit: nam ad Subiecti manifestationem pertinet. Itaque sicuti ab ipsius Subiecti uniuersitate deficere non potest, ita neque propriæ uniuersitatis uim ultra illius limites extendere, atque exercere. Subiecti autem manifestatio, adimplenda Prædicati uirtute, consummari solet aliquando ex certæ alicuius rei adiunctione, aliquando ex certæ alicuius rei remotione. Quapropter ex Prædicati adiectione, semper quidem certa animi conceptio Subiecto adiungitur: at ex huiusmodi adiectione non semper denotatur Rei conceptæ adiectione, sed sæpe seiunctio. Dum rei conceptio, & res ipsa Subiecto adiungitur, Prædicatum affirmatiuum appellandum erit: illius enim copulatio affirmationem constituit. Dum conceptio tantum annectitur, res uero concepta rejicitur, Negatio constituetur, ipsumque Prædicatum Negatiuum dicetur.

Et hæc quidem denominationes aptandæ etiam erunt ipsi Copulæ, cuius uim tam Affirmatio, quam Negatio consummanda est. Quatenus autem ipsa Copula sit affirmatiua, proferetur absque ulla adiectione, ut puta, dum dicimus, Homo est animal. Quatenus sit negatiua, signum, Non, illi præponendum erit, ut puta, dum dicitur, Homo non est lapis.

.B

De



*De Relationibus tum affirmatiuis, tum negatiuis, quæ ex mutuis Conceptibilium copulationibus tum affirmatiuis, tum negatiuis oriuntur; simulq. de diuersis, de genere, de specie, & de indiuiduis. Cap. IX.*



**N**ARRATIS Relationibus illæ accedunt, quæ ortum ducunt ex eorundem Conceptibilium mutuis copulationibus tum affirmatiuis, tum negatiuis Naturæ dispositioni congruis. Has autem quattuor ordinum esse, manifestum est. quædam enim constituuntur ex plurium conceptibilium seriebus, quatenus propriam concipiendi rationem retinentes, se mutuo respiciunt. Quædam pendent ex mutuo intuitu eorum, quæ eandem Conceptibilium seriem ingrediuntur. Quædam oriri solent ex associatione plurium serierum, quatenus ex concreta, simulq. denominatiua conceptione seu inter se copulantur, seu ab inuicem disiunguntur. Quædam demum exurgunt ex plurium tum eiusdem, tum non eiusdem seriei associatione, quatenus ex concreta, simulq. relatiua conceptione concurrunt ad certum aliquod seu constituendum, seu destruendum. Si distinctæ rerum Conceptibilium series ad inuicem referantur, & singulæ propriam concipiendi rationem retineant, (ita scilicet, vt, quæ ad Substantiam pertinent, concrete concipiantur; quæ vero ad Accidentium series, abstracte) illarum vnaquæque vna cum his, quæ a singulis continentur, ab vnaquaque diuersa erit. nam sicuti substantia distinguitur a numero, a quantitate continua, a quacumque qualitate, a relatione, atque a ceteris rerum conceptibilium seriebus, ita illarum vnaquæque ab vnaquaque seiungitur. Hæ igitur series sic conceptæ, negatiue tantummodo inter se annectentur, non autem affirmatiue. Illa, quæ eandem conceptibilium seriem ingrediuntur, neque inter se omnino conueniunt, neque omnino discrepant, pluresq. vniuersalitatis gradus complectuntur, duabus rationibus ad inuicem referri poterunt, quatenus scilicet in eodem gradu vniuersalitatis non conueniunt, & quatenus in eodem conueniunt. Ex ea relatione, quæ oritur ex diuerso vniuersalitatis gradu, semper affirmatiue inter se copulari poterunt, ita tamen, vt id, quod est vniuersalius, prædicetur de eo, quod est minus vniuersale, & non econtra. Et ex hac quidem prædicationis exercendæ virtute, singulæ conceptibilium series, certi alicuius Prædicamenti nomen obtinere, sicut etiam, id, quod est magis vniuersale, & prædicatur de alio vniuersali,

uerfali, Generis denominationem est consecutum; Vniuersale vero, quod illi subijcitur, species appellatur. Hæc autem cum vniuersalis sit, prædicari poterit de particularibus ab ea comprehensis, ipsaq. particularia ex huiusmodi relatione, Indiuidua dici consueuerunt. Harum prædicationum vnaquæque in Quid exercenda erit, vt scilicet pertineat ad responsionem illius interrogationis, qua Rei natura inquiritur; Prædicatum enim vniuersalius spectat ad essentiam Subiecti minus vniuersalis, & ex eadem serie accepti. Sicut igitur Genus prædicatur de Specie in Quid, vt puta, dum dicitur, Homo est animal: ita Species de Indiuiduis in Quid prædicabitur, vt puta, dum dicitur, Socrates est homo.

Quoniam vero in unaquaque rerum conceptibilium serie, magis, ac minus vniuersalia, ea ratione admittenda sunt, ut neutra ex parte Res possint deduci ad Infinitum, in unaquaque conceptibilium serie, seu in unoquoque prædicamento admittenda erunt & Genus communissimum, & Species, quæ de nullo alio vniuersali prædicari possint. Et ipsum quidem communissimum genus, Genus generalissimum appellatum est; Species vero, ultimum locum obtinens inter vniuersalia, Speciei specialissimæ denominationem accepit. Media vero decentissime dici solent & Genera subalternæ, & species subalternæ. quatenus enim de minus vniuersalibus prædicantur, Generis munia sustinent; speciei vero, quatenus magis vniuersalibus subijciuntur. Vniuersalia, quibus conuenit affirmari de multis, quatenus respectu Prædicabilium vniuersaliorum retineant partes subiecti, admittunt additionem signorum tam communium, quam particularium; Mediorum autem omnino refugiunt. sicut enim decentissime dicitur, Omnis homo est animal, & Hic homo est animal, ita nullo pacto dicendum est, Hominum pars maior est animal. Copula quoque, dum Prædicatum est huiusmodi, proferenda erit absque vlla additione. neque enim dicendum est, Homo veris tempore, seu, Hoc tempore est animal: nam ea, quæ vniuersaliter insunt, sicuti singulis insunt, ita semper, & vbique insunt.

Vtrum autem Analoga conceptio aptari, seu non aptari possit singulis Rerum ordinibus, vt ab alijs seiunguntur; nostra hæc Contemplatio nihil continere videtur, quod ad id seu asserendum, seu negandum nos dirigat. Ideoque id ex Rerum ipsarum speculationibus eliciendum erit. Illud tamen compertum est, admittendam

esse Communissimam conceptionem, quæ de vnaquaque Rerum serie prædicari possit; hancq. analogice necessario prædicari. analogica enim conceptio, quæ neque rem communem, neque communem rerum gradum obijcit, sed communem tantum conceptibilitatem, communior est vniuoca conceptione, quæ semper rem communem, seu rerum communem gradum attingit. Siquis autem interroget, an communissima hæc conceptio, concreta, vel abstracta sit, respõdendum fortasse erit, vtramque harum conceptionum vel indeterminate ab ea recipi, vel vtrumque in ea copulari. superius enim constitutum est, neque concreta de abstractis, neque abstracta de concretis ita affirmari posse, vt concretum sit abstractum, aut abstractum concretum. Quapropter, si communissima conceptio esset simpliciter concreta, recte quidem prædicaretur de Substantiarum serie concreta, sed de Accidentium seriebus, quæ Abstracta tantummodo complectuntur, dici non posset. Econtra vero, si simpliciter abstracta esset, aptaretur tantummodo Accidentium seriebus, non autem substantiarum seriei.

Præterea, præstantissimarum rerum natura est huiusmodi, vt concreta, & abstracta illarum conceptio nihil diuersum obijciat, ut puta, Deus, & Deitas. Itaque manifestum est, Communissimum genus analogum vtroque modo de his prædicari posse: sicut enim recte dicimus, Deus est Ens, ita etiam quamtutissime dicere licet, Deitas est Ens, quod nullo pacto liceret, si communissima Entis conceptio seu simpliciter concreta esset, seu simpliciter abstracta. Animaduertendum tamen existimamus, si res, vt reipsa sunt, attendantur, Communissimam hanc conceptionem Concretam potius esse, quam abstractam, quæ ex rationis conatu elici solet. patet enim neque quantitatem, neque qualitatem alia ratione dari posse, nisi quia Quantum, & Quale datur. idemq. compertum est euenire tum in ceteris rerum seriebus, tum etiam in his, in quibus abstractum, & concretum idem sunt. Quamobrem rectissime asseruere dicentes, horum vnumquodque appellandum esse Ens, non quia Ens, sed quia Entis.

Eandem ob causam etiam sciëntia exercenda erit primo circa Substantias, consequenter vero circa Accidentia.

Numerus tamen, & Quantitas, quoniam magis adherent substantiæ, priori quadam ratione contemplationem admittunt, licet non ex propria existendi vi, sed potius ex humanæ rationis conatu.

At,

At, quoniam superius a nobis sancitum est, Ea, quæ Participio proferuntur, Denominatiuam potius, quam Substantiuam conceptionem exercere; animaduertendum videtur, Genus analogum communissimum, licet proferri soleat Entis voce, quæ Participij naturam retinet, vere tamen requirere substantiuam cõceptionem haud secus, quam si Rei nomen proferatur. Ideoque decentius loqui videntur proferentes non Ens, sed Id, quod est. Communissimo igitur generi, quod necessario est analogum, propriissimum erit, substantiuam, & absolutam conceptionem ea ratione recipere, vt concretæ, & abstractæ conceptionis vim complectatur. Ideoque de omnibus, quæ seu concretam, seu abstractam conceptionem exercent, affirmatiue prædicari poterit.

Specierum autem analogarum, quædam prædicabiles erunt, & iccirco generis vniuoci communissimi partes exercere poterunt, ut puta, Corpus corruptibile: quædam vero non erunt prædicabiles, ut puta, Deus. Et hæc quidem ita Species specialissimæ appellandæ erunt, vt, dum propriæ naturæ vim indiuisibiliter complectuntur, simul Indiuidui sustineant partes. quæ tamen Indiuidua, dicenda erunt potius singularia, quam particularia, cum ea, quæ speciebus specialissimis uniuocis subijciuntur, particularia potius, quam singularia appellari possint.

Horum autem tum singularium, tum particularium conceptio nullam signorum additionem patitur. neque enim dicendum est, Omnis Deus, Aliquis Deus, Hic Deus; siue, Omnis Socrates, Aliquis Socrates, & Hic Socrates; nisi forte dum Vocum æquiuocatio timenda est.

*De differentijs, ac proprietatibus, de Definibili, ac proprio subiecto.*

Cap.

X.



RE RVM conceptibilium eandem seriem ingrediētium, atque ex uario Vniuersitatis gradu disiunctarum Relationes ita explicatæ sint. Quantum autem ad earum relationes, quæ eandem similiter seriem ingrediuntur, simulq. eandem uniuersalitatem retinent, sciendum est, horum quasdam suscipere affirmatiuam tantummodo copulationem, quasdam vero negatiuam tantummodo.

Quæ affirmatiue tantummodo copulantur, ea ratione sibi mutuo

tuo

tuo inhærebunt, vt non tantum Subiectum absque Prædicato dari non possit, sicut in generis, ac speciei copulationibus euenit, sed neque Prædicatum extra Subiectum reperiatur, quod eisdem generis, ac speciei copulationibus negatum est. etenim genus, cum sit speciei communius, necesse est etiam extra illam inueniri posse.

In huiusmodi autem copulationibus, Prædicatum, duorum alterum subiecto adiungit, videlicet vel ipsius subiecti constituentem, ac maxime essentialem virtutem, vel ea, quæ eandem virtutem primo atque essentialiter consequuntur. neque enim præter hæc aliquid inueniri potest, quod Subiecto affirmatiue addatur, atque vniuersale æqualiter sit. Dum Prædicatum profert virtutem maxime essentialem, ac constituentem, assumit nomen Differentiæ constituentis, simulq. adæquatæ, ac definientis. Subiectum vero ex huiusmodi relatione Definibile dicendum erit. Horum exemplum ex ipso homine, ac rationali accipere licet. rationale enim est hominis differentia adæquata, atque constituens; homo vero ex rationalis adiectione definitur, atque explicatur. Dum Prædicatum ea proponit, quæ primo ac essentialiter consequuntur propriam Subiecti virtutem, prædicatum ex huiusmodi relatione, Proprietatis vocem consequitur. Subiectum vero Subiectum proprium dicendum erit. Horum exemplum præbere possunt Homo, atque risibilis: risibilis enim est hominis proprietas, homo autem huius proprietatis subiectum proprium. Huiusmodi autem differentiæ, ac proprietates eatenus Subiecti prædicamentum ingrediuntur, quatenus simpliciter referant internam illius vim, in qua virtualiter continentur. Quatenus vero huiusmodi vis, in qua continentur initia relationis, effluit, ad aliam Prædicamenti seriem deducenda erit, neque proponet amplius differentiam, seu proprietatem, sed differentiæ, ac proprietatis vsum. Hæ autem differentiæ, ac proprietates conueniunt tantummodo vniuersalibus, atque singularibus, quæ speciei partes sustinere possunt; particularibus vero non aptantur. neque enim Socrates, seu Plato ex certa differentia particulari constituitur, sed ex certa tantummodo contractione communioris differentiæ. Quapropter certas similiter specificarum proprietatum contractiones recipient. Ipsæ autem differentiæ, ac proprietates, priori quadam prærogatiua conueniunt his, quæ substantiæ prædicamentum ingrediuntur. Differentiarum tamen, ac proprietatum vsum clarius recipiunt ea prædicamenta, quæ absoluta, ac per-

manentia sunt, vt puta, Numerus, Quantitas, & Qualitatum ordines. Relationum vero differentiæ, ac proprietates omnes videntur consequi tantummodo rerum relatarum naturam; idemq. Actioni, ac Passioni fortasse euenit: harum enim vnaquæque oritur ex relatiuorum concursu. Reliquis remotioribus Rerum ordinibus nullæ differentiæ, seu proprietates aptari possunt, nisi forte ex ceterarum rerum annexionibus. Et hæc quidem Rationi omnino consona sunt. nam, si vnaquæque rerum series ex propriæ differentiæ, ac proprietatum vi posset remotiora recipere, & noua parere, infinitæ Rerum series exorirètur, harumq. copulatio consummatione careret, quam tamen decentissime adimpleri manifestum est, dum remotiora a prioribus pendent, & priora a remotioribus determinantur.

Vniuersalia autem, quibus differentiæ constituentibus, & proprietates recte aptari possunt, necessario sunt seu species, seu genera, atque horum vnumquodque non eadem ratione. Differentiarum igitur, ac proprietatum, quædam Genericæ erunt, quædam specificæ. Eadem etiam admittēt denominationem tum Specialissimarum, tum Subalternarum, atque etiam Analogarum, & vniuocarum, quatenus scilicet proponunt virtutem primam Generis, vel generalissimi, vel subalterni, & speciei vel specialissimæ, vel subalternæ, & Analogorum, siue Vniuocarum; atque ea, quæ primam virtutem consequuntur. Eisdem etiam ob causas, tam differentiarum, quam proprietatum, quædam erunt magis communes, quædam vero minus communes, prout aptari possunt generibus, ac speciebus magis, ac minus communibus. Et illæ quidem, quæ magis communes sunt, prædicari poterunt de minus communibus tum speciebus, tum differentijs, ac proprietatibus, neque ideo infirmabitur veritas eorum, quæ superius constituta sunt circa genera, ac species: differentia enim, ac proprietates quatenus de minus communibus prædicantur, suscipiunt, atque exercent naturam Generis, quatenus vero eisdem subijciuntur, Speciei. Quamuis autem propriissimum Differentiæ opus sit Costituere, illi tamen decentissime aptari potest etiam Diuisibilitas, ex qua colligenda est omnis rerum diuersitas. neque enim Genus, Speciebus vniuersalibus, ad Species contractiores deduci posset, nisi differentia, ipsum constituens, diuersimode contrahi posset, atque ex huiusmodi contractionibus constituere plures species sub eodem Genere. Hoc tamen non conuenit Differentijs, species specialissimas constituentibus: hæ enim indiuisibiles sunt.

sunt. Proprium autem differt ab ipsa Differentia, quoniam constitutiendi vi caret, & essentialiter est consecutum. Differt etiam ab eadem differentia, quoniam ipsa respectu cuiuscumque generis, vel speciei, (cuiuscumque ordinis sint) vna tantummodo est.

Proprietates autem sæpius sunt plures. quemadmodum enim posito aliquo genere, vel specie aliqua, atque vniuscuiusque differentia constituta, aliqua Proprietas consequitur, ita etiam accidere potest, atque sæpius accidit, vt prima proprietate posita, alia consequatur, quæ secundum teneat locum; Secundam consequatur tertia; Tertiam quarta, atque ad ampliorem etiam numerum deueniatur; ita tamen, vt infinitum omnino vitetur, sed in illis terminis constituatur, ex quibus apparere potest, quoniam pacto Res, cuius proprietates rimamur, communem Rerum omnium ordinem ingrediatur, in eoque proprium bonum seu alijs impertiatur, seu ab alijs recipiat, seu etiam vtrumque præstet.

Euenit etiam, dum id, quod constituitur, simplex non est, sed compositum, vt duæ proprietates, seu duo, quæ ad proprietatem pertinent, Rei constitutionem primo consequantur; quod rebus corruptibilibus quammaxime conuenit, vt ex scientia Naturæ constare poterit.

Proprietatum autem, (prout magis, minusue, Essentiæ adherent) quædam erunt magis absolutæ, quam relatiuæ, quædam magis relatiuæ, quam absolutæ. Absolutarum etiam, quædam erunt Primæ, quædam Non primæ, sicut relatiuarum quædam constituent relationem internam, quædam vero externam. Horum tamen vnumquodque de illis proprietatibus est intelligendum, quæ Substantias consequuntur. Reliqua vero, quæ ex Relatiuorum concursu exoriuntur, vel paucis, vel nullis proprietatibus fulciuntur, siue quoniam iam ingrediuntur communem ordinem, siue quoniam ita ad illum accedunt, vt proprietatum multitudine ad illum deducenda non sint, sed vel pauca sufficiant, vel nulla requirantur.

De

De differentiarum, proprietatumq. analogarum, ac vniuocarum natura, & proprietatibus. Cap. XI.



**S**UBSTANTIVORVM absolutorum, ac concretorum differentia semper respiciunt aliquam subiecti virtutem, prout illius naturæ conuenire potest. Et siquidem differentia sit analogæ, & communissima, illi proprium erit, a nulla certa, determinataq. virtute procedere: ita enim tantummodo communissimo generi absoluto, omnia comprehendenti, proportione respondebit. Differentijs analogis specificis proprium erit, inniti varijs operandi, ac essendi modis, illorumq. virtute specierum naturam exprimere. Et hæc quidem prius Nobilissimam constituent speciem, reliquas vero posterius, ea serie seruata, qua a Perfectissima recedunt. cum enim innitantur operandi modis, nisi perfectissimi præcedant conceptus, Imperfectiores oriri, aut dari non possunt.

Differentia vniuocæ, Substantiuum, atque absolutum aliquod constituentes, semper innitentur alicui actioni determinatæ: ita enim tantummodo Enti reali, atque vniuoco recte aptari possunt. Prius igitur Rerum essentiam proponunt, postea vero essendi, atque operandi modos. Et siquidem sint generalissimæ, innitentur illi rei, aut actioni, quæ ceteras omnes, quæ sub eodem genere continentur, præcedit, & ab illarum vnaquaque supponitur, ob idque ceterarum omnium erit imperfectissima.

Differentia vniuocæ subalternæ ita communissimam contrahent, vt prius imperfectissimam constituent speciem, gradatim autem perfectiores, quousque ad perfectissimam deueniatur, quæ comprehendens omnes huiusce generis perfectiones, perfectionem maiorem non admittit. Et harum vnaquæque pro Specierum dignitate innitetur virtuti nobiliori, vel ignobiliori. Dum autem perfectiores gradus, imperfectioribus adduntur, neque commiscetur rerum naturæ, speciesue, neque plures species constituuntur, sed vnica species; quæ, licet virtute sit multiplex, rerum tamen perfectarum multitudinem omnem repellit. minus enim perfecti gradus ex perfectioris additione perducuntur ad nouum Essendi ordinem, ex quo rerum species vere consistunt.

Proprietates eorundem absolutorum substantiuorum, ac concretorum, quatenus pendent a generibus analogis, non procedunt a

genere, tamquam a causa reali. nam analogia certo rerum gradui non innituntur, sed ab eo ortum ducunt, quatenus ratione percipi potest. data siquidem generici conceptus veritate, multorum etiam aliorum veritatem dari necesse est. Hæ igitur proprietates, quatenus generalissimæ sint, erunt omnino indeterminatæ, quemadmodum etiam est indeterminatum Communissimum genus, res omnes comprehendens, & illius differentia constitutiua. Quatenus vero non sint generalissimæ, contrahent proprietates generalissimas, virtute diuersorum modorum, prout de analogis differentiis iam dictum est; eademque ratione plenam determinationem recipient prius nobiliores, posteriori vero ignobiliores.

Quælibet autem proprietas alijs rebus incommunicabilis est, ideoque dum recedunt a perfectissimo modo, necessario deducuntur ad naturam omnino diuersam, quod analogis etiam differentiis euenire diximus.

Vniuocæ proprietates, eorundem Substantiuorum rationibus iam constitutis, semper oriri solent ex certis rerum aptitudinibus, ob idque etiam determinari prius ad imperfectissimam speciem, postea vero ad eas, quæ perfectiores sunt, ita tamen, ut proprietates, quæ conueniunt imperfectioribus speciebus, ratione proprii gradus sint omnino incommunicabiles, licet, quatenus perfectioribus annectantur, ad perfectiores modos, atque vsus perducere possint.

Specialissimis proprietatibus vniuocis proprium erit, nullam absolutam determinationem admittere, seu respectu modi essentialis, seu respectu Naturæ. Quamobrem omnis illarum diuersitas ortum ducit seu ex varijs relationibus, seu ex aliquorum Accidentium additione.

*De relationibus, ex quibus plures res, vnum, seu non vnum, pluribus modis appellari solent, atque de varijs earundem oppositionibus. Cap. XII.*



Is sic constitutis explicandæ sunt relationes, ac relationum differentia illorum, quæ sunt eiusdem seriei, seu prædicamenti, simulque eiusdem vniuersalitatibus, & negatiue tantummodo copulari possunt. Accipimus autem, unicuique rerum conceptibilium ordini commune esse, contineri sub genere aliquo comunissimo tum vniuoco, tum analogo, (quod vniuoci communitatem excedit) simulque complecti

plecti genera Subalterna, quæ Genus generalissimum diuidant, & Species specialissimas, quæ eadem genera Subalterna diuidant, atque etiam Indiuidua, quæ Species specialissimas contrahant. Sicut igitur hæc omnia respectu generalissimi generis vniuoci vnum sunt, ita, quatenus comunissimum genus diuidunt, necessario diuersa erunt. Siquis enim hoc neget, concedat necesse est, Omnia vnum; atque idem esse, omnemque differentiarum vim auferendam. Hæc vero vniuersalitas plurium ordinum est: Itaque ea, ex quibus generalissimi generis disunctiones priores pendent, in ipso generalissimo genere Vnum tantummodo appellanda erunt: In genere vero Subalterno Diuersa, ut puta, Corpora inanimata, & Corpora animata, seu sentientia, & non sentientia, quæ ut corpora, vnum sunt; ut talia corporum genera, diuersa. Ea, quæ ipsa etiam genera subalterna diuidunt, ac ad Species specialissimas deducunt, Vnum erunt non tantum in genere generalissimo, sed etiam in generibus subalternis. Respectu vero Speciei, diuersa, ut puta, homo, leo, bos.

Indiuidua demum, quæ ab eadem Specie continentur, atque eadem multipliciter contrahunt, Specie vnum sunt, & solo numero diuersa.

Siquis autem ea, quæ continentur a genere vniuoco, illis conferat, quæ omnem vniuocationem excedunt, ita tamen, ut eidem analogo subsint, ut puta, Deus, & homo; percipiet, hæc plusquam genere differre. Et hæc quidem tam diuersitatum, quam vnitatum rationes multiplices, communes sunt singulis seriebus rerum conceptibilium, ita tamen, ut diuersitatis vis pro vniuscuiusque natura non parum immutari possit: quod intelligendum est de diuersitate Generum, ac Specierum: Indiuidua enim semper retinent simplicem distinctionem ex solo numero acceptam. Euenit igitur, ut Substantiarum diuersitas simpliciter formalis appellari possit, quoniam vtrumque oppositorum continet certam agendi vim, cui actio oppositi generis, seu speciei non aduersatur.

Numerorum, ac continuarum quantitatum oppositiones in eo discrepare videntur a Substantiarum oppositionibus, quoniam inducere solent non agendi vim, sed passiuam aptitudinem, qua diuisionem recipere, seu non recipere possunt. Itaque tales oppositiones appellandæ erunt non formales, sed materiales. Figurarum oppositiones, mediæ videntur esse inter oppositiones Substantiarum, & eas, quæ aptantur numeris, ac quantitibus. ex eo enim, quod agendi virtute carent, formales non sunt; ex eo vero, quod

actioni deseruiunt, recedunt a natura illarum, quæ sunt simpliciter materiales. Oppositio Passibilium qualitatum, ac passionum, non tantum formalis est, sed etiam contraria. nam, quæ taliter opponuntur, se mutuo destruunt.

Naturales potentia, & impotentia ita inter se opponuntur, ut alterum oppositorum ex sola opposita virtutis priuatione constituitur. Ideoq. talis oppositio Priuatiua nomen sortita est. Habituum, ac dispositionum oppositiones pro habituum, dispositionumq. differentijs & contrarijs, & priuatiua appellari possunt.

Relatiuorum oppositio, quæ pro relatorum natura, ac relationum varijs fundamentis diuersa est, dum oritur ex simplici relatione, continet minimum oppositionis, & dicitur Relatiua.

Oppositiones actionum, ac passionum consequuntur naturam agentium, & patientium. Quapropter appellari poterunt seu simpliciter formales, seu simpliciter materiales, seu contrarijs, seu non contrarijs. Quattuor postremæ rerum conceptibilium series, ut ex superioribus colligere licet, nullam oppositionem admittunt, atque iccirco optime deseruire solent distinctioni Indiuiduorum, quæ carent omni oppositione. At silentio demandandum non est, Substantiarum oppositiones aptari primo concretis, & abstractis consequenter, Econtra vero Accidentium oppositiones aptari primo abstractis, & concretis consequenter. sicut enim humanitas opponitur formaliter equinitati, quoniam homo, & equus formaliter differunt; ita ideo calidum dicitur contrarium frigidum, quoniam caliditas est contraria frigiditati.

*De primo ordine relationum, quæ aptari solent rebus, quatenus existunt, atque ob mutuam copulationem concrete concipiuntur, ex quibus deducendæ sunt terminorum copulationes Essentialis, & necessaria; Essentialis, & non necessaria; Necessaria, & non essentialis; Nec essentialis, nec necessaria.*  
Cap. XIII.



RELATIONES, quæ aptari solent rebus subsistentibus, quatenus ob copulationem rerum plurium ordinum, concretam conceptionem admittunt, duorum ordinum sunt. Primus eas relationes complectitur, quæ oriuntur ex aptitudine, qua res, plures rerum series, seu plura prædicamenta ingredientis, varie copulari possunt Substantia,

stantia, & sibi inuicem, seu etiam ab inuicem disiungi.

Secundus ordo continet eas relationes, quæ oriri solent ex mutuo intuitu plurium Substantiarum seu perfectarum, seu imperfectarum, seu propriam vim retinentium, seu eandem immutantium, seu agentium, seu non agentium; nec non ex his, quæ easdem actiones concomitantur.

Earum, quæ primum ordinem ingrediuntur, quædam sunt Essentialis, simulq. absolute necessaria; quædam Essentialis, & necessaria, non tamen absolute, sed ex alicuius condicionis additione; quædam Necessaria, sed non essentialis; quædam Essentialis, & accidentaliter non necessaria; quædam Essentialis, & absolute non necessaria; quædam omnino Accidentales, nullaque ex parte seu Essentialis, seu necessaria. Illæ sunt Essentialis, atque absolute necessaria, quæ oriuntur ex vi alicuius naturæ, proprietatem sibi essentialem ad vsum deducentis, atque ex certa quadam externi Subiecti aptitudine, ut puta, Animas hominum a Deo creari, simulq. ad Beatitudinem dirigi. Et hæc quidem prænotari possunt communibus, ac particularibus signis, sed non medijs. Sicut enim decentissime dicitur, Omnes humanæ animæ a Deo creatæ sunt, atque ad beatitudinem diriguntur; nec non, Hæc, seu illa, seu, Socratis anima a Deo creata est, atque ad beatitudinem dirigitur; ita asserere non licet, Animarum partem a Deo creatam esse, & ad beatitudinem dirigi.

Illæ sunt Essentialis, atque etiam necessaria, non tamen absolute, sed cum alicuius, vel aliquarum condicionum appositione, seu suppositione, in quibus Prædicatum ita est essentialis, & necessarium, ut impediri possit, ut puta, dum dicitur, Animalia omnia consequuntur propriæ speciei figuram, nisi Naturæ opus impediatur, seu corrumpatur; &, Omnis hominum manus habet quinque digitos, nisi Naturæ opus impediatur. Harum autem Subiecta decentius videntur proferri vage, atque absque vilo signo.

Illæ sunt Necessaria, sed non essentialis, quæ oriuntur non ex forma, sed ex necessaria dispositione materie, ut puta, dum dicitur, Omnis coruus est niger. Hæc in eo conuenire videntur cum generis, ac speciei connexionibus, quoniam illarum Subiectum non inuenitur absque Prædicato, prædicatum autem absque Subiecto inuenitur.

Illæ sunt Essentialis, & ex accidenti non necessaria, quæ recedunt

a necessitate, atque ad contingentia delabuntur ob alicuius conditionis remotionem, vt puta, Hominis manus habet quinque digitos. Harum connexionum veritas cum a necessitate recedat, tutanda erit ex Signorum mediorum additione. Illarum exempla facile colligi possunt ex exemplis Superiorum, dicendo scilicet, Animalium pars maxima propriam consequitur formam; & Hominis manus, vt in pluribus, habet quinque digitos. Harum autem connexionum vnaquæque etiam disunctionis vim continet: cum enim concedas, Manus vt in pluribus habere quinque digitos, sequitur, Eas quinque digitis raro carere. Et hoc quidem facile demonstrare potest harum connexionum infirmitatem.

Tales connexiones, ( dum illarum Subiecta sunt particularia, seu ex Signorum additione, particularium vim recipiunt ) probabiliter tantum veritatem proferunt, vel certe Sensuum testimonium exquirunt, vt puta, dum dicitur, Socratis manus habet quinque digitos.

Illæ sunt Essentiales, & absolute non necessariae, quæ ex vsu differentiarum constituentium, seu proprietatum ea ratione colliguntur, vt neque semper, neque vt in pluribus maneant, vt puta, dum dicitur, Socrates actu ratiocinatur, actu ambulat, seu actu ridet. Hæ semper particulares erunt, & aliquo pacto artinebunt ad Subiecti seu bonum, seu malum; magis tamen, seu minus, prout sunt magis, seu minus essentiales. His totidem negatiuæ adiungi possunt.

Illæ neque Essentiales, neque Necessariæ sunt, sed omnino Accidentales, quarum Subiecta similiter particularia sunt; Prædicata autem non pertinent ad Subiecti seu bonum, seu malum; vt puta, dum dicitur, Socrates est albus, & alia huiusmodi; quæ Accidentia per Accidens dici consueuerunt. In horum autem terminorum copulationibus Prædicatum ea ratione Subiecto adiungitur, vt utrumque ab vtroque disiungi possit. Ideoq. in eorundem disunctionibus ipsi Termini eo pacto inter se disiungentur, vt etiam coniungi possint.

*De secundo ordine relationum, quæ rebus existentibus aptantur, ex quibus constituuntur plures respectus Totius tum permanentis, tum successiui, ac partium suarum. Cap. XIII.*



**N**TER secundi ordinis relationes illa communissima est, atque ob id etiam prima, qua Totum communiter acceptum, refertur ad partes constituentes communiter acceptas, & tales partes tam ad Totum, quam ad se inuicem. Hæ complectuntur ceteras omnes, tamquam species. Harum vero specierum, quædam successionem non complectuntur, quædam successionem respiciunt. Quæ successionem non complectuntur, sed ex omnino permanentibus ortum ducunt, iterum distinguendæ erunt, atque ad quattuor ordines deduci poterunt.

Primum ordinem ea ingrediuntur, quæ ita constituunt quoddam Totum, vt Totius, ac partium singularum actio sit eiusdem naturæ: Ideoq. partes a toto disiectæ, propriam virtutem conseruant, vt puta Aquæ, Aeris, ac Terræ partes. Et hæc quidem pariunt Totum omogeneum, & partes omogeneas. Ad eundem ordinem pertinere videntur rerum coaceruatarum collectio, & reliqua, quæ ad inuicem copulantur seu respectu solius numeri, seu respectu solius quantitatis, inducuntq. Totum seu numerale, seu quantitatum. Ad secundum ordinem deducuntur illa, quæ plura sunt, & Totum quoddam ita constituunt, vt vnaquæque partium propriam vim amittat, Totumque tantummodo operetur, partes vero a Toto disiungi non possint, vt puta, dum liquida miscentur, & reliqua, ex quibus oritur totum ex commixtione. Ad eundem ordinem pertinere videntur gradus qualitatum passibilium, potentia, & impotentia; habituumq. ac dispositionum, ex quibus oriri solent partes graduales, seu potentiales, seu intensiōis. In tertio ordine illa collocantur, quæ cum sint plura, ac Totum quoddam constituent, remanent quidem partium singularum virtutes, quæ etiam diuersæ sunt, sed ipsæ partes propriam virtutem amittunt, vt puta animalium membra. Hæc pariunt totum organicum, & partes organicas. inducunt etiam figurarum partes. Quartus ordo ea continet, quæ ita associantur, vt partium vnaquæque & propriam vim retineat, & propria quadam ratione eandem exerceat, atque etiam, quatenus disiungi possit, post diuisionem proprium Esse conseruet.

seruet. Huiusmodi videntur esse Vniuersi sensibilis partes, atque (si humana respiciantur) hominum multitudo ad decentis societatis formam redacta. Talis etiam est, atque longe præstantiori ratione, associatio singularium, quæ vniuocam prædicationem non admittant, ipsorum scilicet Intelligibilium.

Quæ pariunt Totum aliquod successiuum, & totius successiuum sunt partes, duorum ordinum videntur esse. quædam enim ad ipsam successionem simpliciter pertinent; quædam vero ea præterea complectuntur, quæ ad huiusmodi successus exercendos, atque consummandos, aliqua ratione concurrunt. Priores igitur dicendæ erunt Partes subordinationis: nam ex quadam subordinatione ad successionem pertinent.

Posteriores Partium concomitantium vocem admittent, quoniam successionem concomitantur.

Partium subordinatarum quædam sunt successioni essentielles, quædam accidentales. Essentialium, ex liberis actionibus erit exemplum, consultatio, deliberatio, commissio, executio. Hæ pro actionum diuersitate semper diuersæ erunt; sæpe etiam pauciores, & plures. Itaque in ædificatione Partes subordinatæ sunt fundamentorum iactio, murorum constructio, culminis superpositio, & totius operis consummatio: In oratione exordium, narratio, confirmatio, confutatio, & peroratio. hæ tamen omnes necessario pertinent vel ad initium, vel ad processum, vel ad consummationem.

Partes subordinationis accidentales illæ sunt, quæ ob aliquod accidens requiruntur, vt puta, si quis ruri existens, & aliquid Senatui persuadere intendens, rhedam conscendat, ciuitatem ingrediatur, togam accipiat, atque in Senatum ueniat. hæc enim omnia accidentaliter persuasionem præcedunt. nam, si in Senatu existens hoc decreuisset, horum nullum agendum erat.

Partium concomitantium quædam actionem, seu successionem pariunt, ideoque. Essentiales dicendæ sunt; quædam vero actionem ipsam non constituunt, sed ab ea non disiunguntur, obidque Accidentales videntur esse, licet fortasse necessariæ.

Partes concomitantia essentialia ad denarium numerum redigi possunt, eruntque. primo Ipsa res operans, quæ etiam Causa efficiens appellari solet, vt puta, Homo. Secundo, Vis illa, quæ mouentem impellit, vt puta, Ira, seu cupiditas, seu amor, seu ratio recta. Tertio, res, cui bonum, vel malum ex actione infertur, vel finis Cui, vt

puta,

puta, Patria. Quarto Bonum, quod agens intendit, atque ad illud, tamquam ad finem dirigitur, seu Causa finalis, vt puta, Patriæ libertas. Quinto, Media, per quæ finis obtinetur, vt puta Tyranni expulsio, Bonorum congregatio, atque optimarum legum promulgatio. Sexto, Res, circa quam, vel circa quas actio versatur. Septimo, Vires præcipuæ, quibus vtendum est in actionis consummatione. Octauo, Auxilia, quæ ad idem conferunt; inter quæ Instrumenta etiam ponenda sunt. Nono, Ea, quæ ex tali actione circa alia, vel ab alijs euenient. Decimo, Agendi, atque operandi modi. Hæc omnia essentialiter Actionem concomitari videntur, quoniam agens per intellectum in quælibet actionis parte ad illa respicit. Partes Concomitantia non essentielles sunt quinque. Primo enim attendendus est Rerum status ante actionis initium; Secundo Agendi occasio; Tertio Aliquorum præsentia, seu absentia; Quarto Actionis tempus; Quinto Actionis locus.

Animaduertendum tamen est, nonnumquam idem respectu diuersorum, Totius, & partis munia sustinere, Remque eandem plures relationis modos sustinere, pluresque denominationes admittere.

*De Copularum differentijs, atque viribus multiplicibus. Cap. XV.*



**D**OST explicationem relationum, quæ inter terminos inueniri possunt, aliqua circa illas relationes dicenda sunt, quæ oriri solent ex varia copularum natura, ac varijs earundem viribus. quamuis enim Copulæ ea ratione copulationem perficiant, qua Termini copulationem admittere possunt, nostræ tamen Contemplationis ratio non parum roboris adipiscetur, si ea, quæ ex terminorum relationibus sunt perlustrata, etiam ex Copularum intuitu lustrari poterint: sæpe enim euenit, vt, quæ ex vno relatiuo non attinguntur, alterum obijciat, seu longe facilius reddat. Præcipue vero statuendum videtur, Verbum Est, quatenus semel a Participio seiunctum, vltiorem resolutionem non admittit, Copulæ partes simpliciter sustinere, neque aliquid complecti, quod pertineat ad Prædicatum; cetera autem Verba, quamuis Indicatiue prolata, Copulæ munia vere sustineant, aliquod præterea complecti, quod attinet ad prædicatum, magis tamen, ac minus, prout magis, ac minus relatiua sunt: ea enim, quæ minus sunt relatiua, solitarie prolata sententiam

G

magis



magis firmant, ideoq. Prædicati potius, quam Copulæ naturam videntur afferre. E contra, quæ sunt magis relatiua, nisi aliud seu Verbum, seu Nomen addatur, nullam sententiam pariunt. Quapropter Copulæ vocem priori quadam ratione suscipiunt.

Quamuis autem harum relationum plures dentur gradus, ad id tamen, quod intendimus, perficiendum sufficere, ea uerba selegisse, quæ sunt maxime relatiua, recteq. appellari possunt fontes ceterorum, quæ sunt omnino relatiua.

Hæc sunt, Habet, Potest, Scit, Vult, Debet, & Consuevit. His communis Actionis vox accedit: reliqua enim uerba, quæ omnino relatiua non sunt, sed relationem utcumque retinent, atque Copulæ vires sustinent, certæ alicuius actionis vim continent. Ex superioribus autem patet, Copulam Est, his addendam, seu potius præferendam esse. Omnium igitur copularum radices, ac fontes ad octonarium numerum non incongrue deducuntur, eruntq. Est, Habet, Potest, Scit, Vult, Debet, Consuevit, & Agit. Hi vero copularum fontes quattuor rationibus diffundi, & extendi possunt. Prima ratio oritur ex vario illarum vsu; Secunda ex illarum actiua, seu passiva significatione; Tertia ex perfecta, seu imperfecta copulatione; Quarta ex horum copulationis seu æqualis, seu inæqualis initio, seu perseverantia, seu fine.

Si attendantur varij vsus, dicendum erit, Copulam Est manifestare Aliquando vocem seu conceptum, seu orationem, potius, quam rem aliquam, ut puta, si dicatur, Vox canis est æquiuoca; Entis conceptus est genericus; & Propositio hæc vera est, vel falsa, recte, seu non recte composita; Aliquando personam, seu personæ nomen, ut puta, dum dicitur, Hic est ille, quem vocant Socratem; Aliquando rem aliquam; quod pluribus etiam rationibus efficere potest: aliquando enim manifestat substantiua absoluta, aliquando denominatiua, aliquando relatiua, idque vel absolute, ut puta, dum dicitur, Socrates est albus; vel comparatiue, ut puta, dum dicitur, Socrates est magis albus, quam Plato; vel simpliciter, ut puta, dum dicimus, Homo est animal, Homo est albus, & Homo est pater; vel cum additionibus signorum, quæ uerbis aptari possunt, ut puta, dum dicimus, Omnis homo est animal, Aliquis homo est albus, & Socrates est pater.

Copula Habet, eatenus a logica respici solet, quatenus coniungat res permanētes, atque aliqua ratione inter se diuersas: nam dici recte

non.

non potest, seu Aliquid illud habere, quod est; seu Aliquid illud esse, quod habet. Itaque de homine, cui anima inest, vere dicitur, Homo habet animam, cum dici non possit, Homo est anima: & de eodem vere dicitur, Homo est animal, cum dici non possit, Homo habet animal, nisi quis forte abstractum accipiens dicat, Homo habet animalitatem; quod etiam in Accidentalibus admittetur. nam; cum vere dicatur, Homo est albus, vere etiam dicetur, Homo habet albedinem. Differunt autem tales loquendi modi. nam, dum dicimus, Homo est animatus, vel Homo est albus, totum hominem respicimus. Dum vero dicimus, Homo habet animam, vel Homo habet albedinem, non respicimus totum hominem, sed ipsius materialia, ac sustentantes partes, quibus & animam, & albedinem inesse asserimus.

Copula Potest, tribus præcipue rationibus ad vsum deduci solet: aliquando enim explicat intrinsecas vires, atque omnino essentialis; aliquando explicat easdem vires, quatenus naturalia instrumenta illis perfecte, vel imperfecte deseruiant; aliquando respicit exteriora, seu subiecta, seu instrumenta, necnon externas vires, ac impedientia. Priori modo dicimus de infante nuper nato, eum posse currere, licet cursum actu tunc exercere non possit. Secundo modo idem asserimus de viro perfecto, licet vel ægrotet, vel in vinculis detineatur. Tertio modo idem dicimus de eodem viro perfecto in optima sanitatis dispositione constituto, ac plena libertate fruente.

Copula Scit, & copula Vult, significant quandoque internos habitus, quandoque internos actus. Dum significant internos habitus, ea referunt, quæ admittunt etiam vim copulæ Est, & copulæ Habet. nam respectu habitus, idem est dicere, Socrates scit, & dicere, Socrates est sciens, vel Socrates scientiam habet. Dum proponunt internos actus, concurrunt quodammodo cum copula octaua.

Copula Debet, sex rationibus præcipuis ad vsum deduci solet. aliquando enim decentiam significat, ut cum dicimus, Summa bonitas debuit seipsam communicare; quod idem est, ac si dicatur, Summam bonitatem decuit, seipsam communicare. aliquando significat consonantiam, ut puta, dum dicimus, Qui incepit, debet perficere: scilicet consonum est, ut, qui incepit, perficiat. aliquando significat debitum non declinandi a virtute morum, seu debitum gratitudinis, ut dum dicimus, Qui beneficium recipit, se erga benefactorem gratum ostendere debet. aliquando significat debitum Prudentiæ,

G ij dentia,

dentia, seu propria, ac uera utilitatis, ut, dum dicimus, Vnusquisque seipsum ad perfectionem, atque ad felicitatem dirigere debet. aliquando significat debitum ex pacto, vel ex humana lege, ut puta, dum dicimus, Vnusquisque pactis stare debet, ac Reip. legibus obtemperare. aliquando significat debitum ex Naturæ, ac Dei opt. lege impositum, ut, dum dicimus, Vnusquisque Deo inferuire debet.

Copula Solet, plures vires non videtur admittere, Idemq. euenire copulæ Agit, quatenus copulæ partes sustinet; quatenus autem actiones diuersas obijcit, alterius est contemplationis.

Ex Actiua, passiuæque copulandi ratione, copula Est, copula Potest, & copula Solet, non immutantur: prima enim semper neutre profertur; posteriores vero imitantur naturam Verbi, quod illis adiungitur. Copulæ vero Habet, accedit copula Habetur; copulæ Debet, copula Debetur; copulæ Scit, copula Scitur; copulæ Vult, copula Desideratur, seu alia, eandem vim referens; copulæ Agit, copula Agitur.

Ex perfecta, seu imperfecta copulatione, copulæ dupliciter adaugentur. quandoque enim demonstrant progressum a gradu perfectiori ad minus perfectum; quandoque e contra. Deducuntur igitur, a copula Est, copulæ Efficitur, ac Destruitur; a copula Habet, copulæ Acquirit, & Amittit, Acquiritur, & Amittitur; a copula Scit, copulæ Discit, & Dediscit, Discitur, & Dediscitur; a copula Vult, copulæ Accenditur, & Remittitur in volendi actu, & quæ his passiuè respondent; a copula Debet, copulæ Adstringitur, seu Soluitur debito, & quæ his passiuè respondent; a copula Solet, copulæ Assuescit, & Desuescit, & quæ his passiuè respondent; Copula Potest, & copula Agit, quantum pertinet ad earum propriissimam vim, semper perfecte coniungunt, licet ea, quæ coniunguntur, quandoque sint perfecta, quandoque imperfecta.

Ex quarta ratione, Copulæ eatenus adaugentur, quatenus referunt durationem, seu fluxum, huncq. seu æqualem, seu inæqualem. Itaque ex hac ratione adaugebuntur copularum vires, quatenus ad ea referuntur, quæ particularia, seu singularia sunt, præsertimq. respectu illorum, quæ omnino essentialiter, omninoq. necessarie ipsis non aptantur. sicuti enim recte non dicitur, Homo incipit, seu perseuerat esse animal, seu Socrates perseuerat esse hominem, respectu substantiæ: ita decentissime dicitur, Socrates incipit currere, perseuerat in cursu, & desinit currere. At silentio demandandum non est,

est, Ea, quæ copulantur vi copulæ Est, aliquando esse Verba infinita, aliquando Nomina. Dum sunt nomina, (siue Subiecti, siue Prædicati sustineant partes) semper ponuntur in primo casu: cum enim aliquid præterea assumitur extra primū Casum, id neque Subiecti, neque Prædicati munia sustinet, sed pertinet tantum ad horum contractionem, seu determinationem. Copula Habet, nomen nomini semper adiungit ea tamen ratione, ut semper Prædicatum a primo Casu amoueat. Copulæ Potest, Debet, & Solet, semper adiungunt Subiecto uerbum aliquod Modi infiniti: dicimus enim exempli gratia, Socrates potest studere, debet studere, & solet studere. Aliquando tamen adiungunt non Verbum solum, sed Nomen etiam, non tamen primi Casus, ut puta, si dicatur, Socrates potest studere Euangelio. Copula Scit, & copula Vult, videntur associare naturas tam copulæ Habet, quam harum, quibus Verba infinita adiunguntur: dicimus enim, Socrates scit Grammaticam, & scit canere, Vult equum, & vult equitare. Copula octaua ut actus externos obijcit, semper Prædicati partes perfecte sustinet, ita tamen, ut tale Prædicatum contrahi, ac immutari possit ex adiectione illorum, quæ Actiones concomitantur. Itaque dicimus, Socrates currit, necnon, Socrates currit in platea, hodie, coram Platone, atque huiusmodi reliqua.

*De rerum conceptibilium dispositionibus.*

*Cap. XVI.*



**R**OST simplicium conceptionum enarrationem tum variationis intuitum absolute exercent, tum etiam, ut se mutuo intuentur, nunc, quod tertio loco tractandum erat, perquirendæ, atque explicandæ sunt earundem series, ac dispositiones, veritatis conceptioni deseruientes. Hæ sumendæ sunt ex iam demonstratis rerum conceptibilium relationibus, ex illisq. præcipue, quibus res associantur adinuicem, & affirmationibus deseruire possunt. quamuis enim concipiendi rationes, & res ipsæ conceptibiles absolute acceptæ, certa quadam ratione inter se disponantur, recteq. ob id, quædam primæ, quædam postremæ, quædam propria quadam ratione Mediæ appellari possint, harum tamen dispositionum vnaquæque continetur virtute in affirmatiuis eorundem conceptibilium relationibus, realibusq. copulationibus. ex quibus etiam non dissimili ratione effluunt dispositiones

positiones rerum ab inuicem disiunctarum, ac negatiuarum relationum, haud secus, quam negationes ab affirmationibus ortum ducant. Dispositiones vero conceptibilium, quæ ad inuicem associantur, (vt ex superioribus colligerelicet) sunt duorum ordinum, quorum vnusquisque iterum est bipartiendus.

Primum ordinem ingrediuntur conceptibilia, quæ licet concurrant ex vi certæ alicuius relationis, relatiue tamen proferri non solent, seu certe relatiuam uim non referunt, vt puta, dum animal, seu rationale prædicantur de hominẽ.

Ad secundum ordinem pertinent conceptibilia, quæ vere relatiue accepta, ad inuicem associantur, vt puta, dum dicitur, Totum constat ex suis partibus.

Primus ordo iterum diuidendus est, quoniam eorum, quæ absolute accepta associantur, quædam ad se inuicem referuntur, tamquam genera, & species, seu Indiuidua, & sunt inæqualis vniuersitatis; horumque dispositio, seu series, longitudinis series dicenda erit. Quædam eum intuitum exercent, qui exerceri solet a Definibili, a differentia, a proprietate, & ab Accidentibus, dum ad inuicem copulantur, ac eiusdem vniuersalitatis sunt, horumque dispositio vocabitur non indecenter Latitudinis series.

Secundus ordo rursus similiter scindendus erit, quoniam eorum, quæ relatiue accepta concurrunt, quædam pariunt totum aliquod permanens, ac latitudinis seriem quodam modo imitantur; quædam totum successiuum, seu certam aliquam actionem, & quatenus sibi inuicem succedant, Longitudinis seriem referunt; quatenus vero se inuicem concomitentur, seriei Latitudinis naturam redolebunt.

Harum serierum vnaquæque si referatur ad rationis humanæ intuitus, ac perceptiones, certè alicuius viẽ munia sustinet. Itaque, cum illarum singulæ certis limitibus vtrimque claudantur, (neque enim datur Infinitum) duplicem cursum admittunt: nam vterque terminus & primus, & extremus occurrere potest, quod neque frustra, neque inutiliter euenit, sed quammaxime necessario. nouimus enim hominum rationi duplicem intuitum aptari; quorum alter dicitur Primus, ac naturalis, quoniam Natura impellente absque vlla animi reflexione primo loco exerceri solet; alter Secundus, & rationalis, quoniam vehementiorem animi conatum exposcit, ut prior, & naturalis cognitio perficiatur. Ratio igitur ex priori intuitu, qui  
facilior

facilior est, sed imperfectior, sicuti prius fluentia, mox firma, prius relatiua, mox absoluta cognoscit, ita in his, quæ Latitudinis seriem vel imitantur, vel pariunt, primo remotiora, ac minus tum essentialia, tum necessaria attendit, postmodum magis necessaria, magisque essentialia, ac intimiora & in his, quæ Longitudinis seriem vel redolent, vel vere constituunt, primo particularia, ac posteriora, postmodum vniuersalissima, ac priora rimatur. In rationali vero progressu, qui perfectior, ac difficilior est, quique prioris vsum vt cumque supponit, singula commutantur: in eo enim primo loco inspiciuntur, quæ ex priori intuitu occurrunt postrema, & prima postremas occupant partes. Ea tamen, quæ actiones concomitantur, singulare quoddam obtinere, vt scilicet exordia, quæ, respectu vtriusque intuitus, rationi sunt propria, pro diuersarum actionum natura diuersimode commutentur. cum enim in his (vt nouimus) certa serie attendenda sint Vis agens, Vis impellens ad agendum, Finis cui, Finis propter quem, Media, Subiecta, Agendi vires, Instrumenta, ac Auxilia, Concomitantia, & Agendi modi; si actus attendantur in se, seu communiter, Modi respectu actus cognitionis, tam actiuæ, quam passiuæ, ex Naturæ intuitu postremo loco occurrunt, & ex intuitu rationali primo loco obijciuntur; horumque Modorum perceptioni annectuntur, primo Concomitantia; secundo Instrumenta, tertio Cognitionum vires, quarto Subiecta; deincepsque reliqua, quæ sequuntur. Respectu vero ceterorum actuum, hæc series in vtroque rationis intuitu omnino commutatur. nam ex intuitu Naturæ actionum certi modi primo obijciuntur, ac sensus mouent, & agendi vires vltimo loco attinguntur, quæ tamen ex rationali intuitu primo occurrunt: contemplantes nempe, prius rerum naturas, ac agendi vires intueri debent, mox vero, prout singulis contemplationibus conuenit, attendere vires, quæ ad agendum impellunt, ea, ad quorum commodum diriguntur, ac reliqua.

Hæc vero respectu cognitionum ideo commutantur, quoniam ex Naturæ ordine cognitionis actus, ceteris omnibus actionibus præest. Itaque sola rationis nostræ actio recte in his Logicis contemplatur, non prout effluit a rationis virtute, (cuius substantia adhuc ignoratur) sed in seipsa, ac prout præstatoris cuiusdam necessitatis legibus deuincta, exerceri potest, atque ab externis attingi. Neque alia ratio adduci potest, cur hæc rationis Entia seiunctam speculationem exposcant, neque plene demonstrari possint seu a prima sciẽtia;

seu

seu a naturali philosophia, licet illarum vnaquæque versetur circa Substantiam humanæ animæ, ac rationis, & ea demonstret, quæ ille essentialiter annectuntur. At silentio demandandum non est, ea, quæ ex naturali intuitu, rationi primo loco obijciuntur, semper ex ea parte rationis vim primo attingere; ex quibus postmodum rationalis intuitus erit exordiendus, idque veritatem continet respectu cuiuscumque seriei, seu longitudinem, seu latitudinem pariat. quem admodum enim dum remotum aliquod intuemur, longe tutius affirmamus, illud esse quoddam Ens, seu quoddam corpus, quam illud esse viuens, seu animal, seu hominem, seu Socratem, vel Platonem; quorum tamen vnumquodque proximius postmodum accedentes, certa quadam serie conspicimus. Ita in primo nostrarum cognitionum exordio, in quo omnia nobis ignota sunt, prius attingimus, circa ea, quæ sensibus obijciuntur, (licet omnino confuse) rationem Entis, seu corporis, mox vero eadem, prout vnicuique conuenit, certa serie intuemur vt viuentia, vt animalia, vt homines, & vt talis homo. Simili etiam ratione ex eodem recto intuitu licet remotiora, ac minus essentialia primo sensum moueant, horum tamen perceptioni necessario annectitur aliqua confusa, ac valde remota conceptio essentialium, ac interiorum. Harum veritatum signum non infirmum afferre videtur puerorum consuetudo: hi nempe cum circa parentes communia prius concipiant, omnes homines, tamquam eadem communia referentes, Patres vocare solent, eisdemq. ob causas omnes feminas Matres, mox vero propria attingentes, singulos distinguunt. Idem etiam, si irascantur, vestem alicuius percutientes, existimant, se illum vere percutere. Ideo autem hæc communia, & interna tunc rationalem intuitum non admittunt, quoniam adhuc non percipiuntur, vt vniuersalia, seu vt essentialia; neque enim adhuc attenduntur rerum conuenientia, differentia, seu consequentia, ac longe minus attinguntur horum rationes, quarum perceptio paratos nos reddit ad recte affirmandum, quidnam seu generis, seu speciei, seu differentia, seu proprietatis vocem admittat, seu subterfugiat. patet autem, nihil vere vniuersaliter, seu essentialiter concipi, nisi his rationibus recte conceptis perspiciamus, harum aliquam rei conceptæ vere aptari. nam, quæ sunt vniuersalia, & essentialia, necessario sunt vnum ex his. Igitur, cum vniuersalium rationes a Logica demonstrentur, conuincimur; absque ipsius Logicæ doctrina nihil vere vniuersaliter, seu essentialiter

sentialiter concipi posse, licet concipiatur communiter, seu uage. hæ enim cõceptiones ex recto rationis intuitu præcedunt vniuersalibus perceptionibus haud secus, quam repetiti Memoriae actus præcedant experimentis, communibusq. perceptionibus, & uariæ sensationes Memoriae constitutionem præcurrant. Itaque sensu de medio sumpto, cetera consequenter ruunt: rectissimeq. dictum est, sensu aliquo deficiente, Scientiæ partem ex necessitate deficere: nam Cæcum ex natiuitate de coloribus disputare impossibile est.

Ex ipso autem rationali progressu Absolutorum longitudinis, ac latitudinis series semper annectendæ erunt. Itaque concepto communissimo genere analogo, quod ex longitudinis serie primo obijcitur, ab eo recedendum non erit, donec omnia perlustrentur, quæ illi adiuncta pariunt primam, ac communissimam latitudinis seriei. His uero recte collectis, ex decenti diuisione Communissimum genus per differentias eidem essentialiter consonas, ad Species proximiores contrahendum erit, ipsaque longitudinis series ex primo gradu protrahenda, moxq. reuertendū erit ad latitudinis seriei, quæ speciei primo oblata aptatur. Et hæc quidem series, eadem seruata methodo, eousq. protrahendæ, ac repetendæ erunt, donec deueniatur ad illa, quæ vltiorem diuisionem non sustinent, recteq. ob id Indiuisibilia appellari solent. Hæc uero (ut nouimus ex superioribus) sunt duorum ordinum: quædam enim ideo dicuntur Indiuisibilia, quoniam ex certa quadam ratione diuidendi occurrunt ultima; quædam, quoniam omnem diuidendi rationem effugiunt. Sicuti igitur ex consummatione primæ diuisionis prima scientia consumatur, ita ex decenti usu diuisionum omnium, quæ absolutis aptari possunt, absolutorum scientiæ omnes ad proprium terminum perducuntur.

Tunc uero ad ea erit deueniendum, quæ relationum ui, scientias exercere, ac parere possunt, quæque haud secus actionibus præfunt, quam logica contemplationibus. In his omnibus pertractandis ratio nostra semper pro uiribus associabit utrumque intuitum, naturalem scilicet, & rationalem, ut ea, quæ obijciuntur rationis ui, confirmantur sensuum, ac experientia uirtute, simulq. rebus certis aptentur. ea enim rationis perceptio infirma, atque omnino fluctuans erit existimanda, quæ asserit, exempli gratia; Dari animal rationale, dum nulla experientia confirmare potest, Hominem uere, ac re ipsa talem esse. Sicuti autem scientiæ uniuscuiusque partes

ex his reddentur faciliores, ac firmiores, ita non parum conducet ad pleniorum vniuscuiusque scientiæ consummationem, si completis demonstrationibus, quæ desiderantur circa singulas species, quæ in ea tamquam indiuisibiles attendendæ sunt, animaduertentur earundem specierum relationes, quibus se inuicem intuentur, ac sibi inuicem associantur, vt generis, ac illarum natura patitur; tunc si quidem intueri licebit, quonam pacto ea, quæ in unico genere copulantur, ad vnum quoddam constituendum concurrant. Illæ tamen relationes semper attendendæ erunt, quæ oriuntur ex principijs, & causis eiusdem ordinis: relationes enim, quæ pendent a principijs, & causis diuersorum ordinum, a diuersis scientijs specularandæ sunt.

Quæ hæcenus diximus, Copularum etiam series demonstrare possunt, præsertim quatenus perfecte coniungunt. nam Copulæ eadem ratione coniungendi actum exercent, qua termini inter se coniungendi sunt.

Quod autem attinet ad imperfectas earundem Copularum copulationes, admonuisse sufficiet, In his, quæ fluxum admittunt, Naturæ progressum prius Rerum mutationes concipere, mox ad earundem mutabilitates perducere; postremo vero firma, atque immutabilia intueri, huncq. ordinem omnino commutari respectu rationalis intuitus.

*De terminorum proprietatibus, quæ ex illorum dispositione pendere solent, ac de illorum denominationibus, simulq. de definiendi rationibus.*

Cap. XVII.



**T**ERMINI, quatenus ingrediuntur, vel ingredi possunt longitudinis, siue latitudinis series, Proprietates, simulq. denominationes quasdam adipiscuntur. illi enim, qui primū locum obtinent, termini Primi vocantur; qui vero non obtinent primum locum, vocantur Non primi. Termini, qui ad alios relati, illis ita sunt proximi, vt nullus alius intercedat, vocantur termini Immediati. Qui vero ad alios relati, illis non omnino sunt proximi, (quoniam alij interponuntur) vocantur termini Mediatii. Accidit igitur, vt terminorum quidam sint Primi, & Immediati; quidam Immediati, sed non Primi; quidam nec Primi, nec Immediati. Et hæc quidem terminorum

rum.

rum differentiæ tam in longitudinis, quam in latitudinis serie admittendæ erunt. In naturali autem progressu, termini primi, simulq. immediati non dantur. nam, si longitudinis series attendatur, (vt ex superioribus patet) particularia, quæ in ipso Naturæ progressu primum occupant locum, ex communissima ratione primo concipiuntur. Quod si respiciatur latitudinis series, patebit similiter, in eodem progressu prius attendi minus substantialia, sed ea ratione, vt ab his, quæ magis sunt substantialia, non disiungantur.

Horum autem vnumquodq. quammaxime inter se distat. Ea igitur, quæ simul sunt prima, atque immediata, deducenda erunt ad rationis progressum. Et hæc quidem aptissima inuenientur ad Scientiarum principia constituenda. horum enim copulatio ex se ipsa ita euidens est, vt huic euidentiæ vterque rationis intuitus assentiatur. Terminorum mediatorū copulatio ex sui natura est ignota, seu termini sint primi, seu non primi. Ideoq. hæc semper scibilis erit, atque Immediatorum vi demonstrabilis. Hoc tamen intelligendum est respectu illius seriei, quæ latitudinis dicitur: in longitudinis enim serie nihil obstat, mediata etiam per se nota esse, licet accidentaliter, & aliquo modo demonstrantur. In ipsa autem latitudinis serie, Immediatorum, sed non primorum connexio ex se quidem nota est, non tamen absolute, & omnibus, sed illis tantummodo, quibus præcedentia sunt cognita. Termini, qui in latitudinis ordine primi sunt, semper ex differentia accipiuntur. Quare horum vnusquisque pertinet ad Definitionem, ad ipsum scilicet, quod quid est.

Hi etiam, quatenus definibile sit communissimum, constituent definitionem communissimam, illiq. aptissimam. sin autem definibile non sit communissimum, solitarie accepti, definitionem non videntur constituere. definitionis enim munus proprium est, Rei definibilis conceptum distinctum parere, non autem confusum, ut ex solius nominis prolatione euenire solet.

Vera autem distinctio in his, quæ cum alijs conueniunt, atque ab alijs differunt, oritur ex huius conuenientiæ, & differentiæ copulatione. Definitio igitur absoluta definibilis non communissimi ita deducitur ex differentia, vt illius, & generis communioris connexionem requirat. Conceptus vero specierum specialissimarum quatenus orientur ex genere plene percepto, & ex differentiæ propriæ conceptione, adipiscuntur non tantum distinctionem, sed omnimodam etiam resolutionem, prout simplicibus conceptibus id eueni-

H ij rē

re possit. ratio est, quoniam species specialissimæ diuisionem essentialem non admittunt, Itaque in ipsarum perceptione mens nostra, quantum ad longitudinis ordinem attinet, vere conquiescit. Et hæc quidem definiendi ratio, quæ generi differentiam subiungit, vereq. formalem definitionem constituit, conuenit præcipue vniuersalibus, quæ a Substantiæ genere cõprehenduntur; reliqua enim vniuersalia, quæ abstracte concepta, formaliter definiiri possunt, definiuntur perfectius, & imperfectius, prout perfectiori, seu imperfectiori ratione differentijs essentialibus subijciuntur.

Ea etiam, quæ non sunt omnino simplicia, sed illorum formæ materialiter sustinentur, certa q. deseruentia exposcunt, tunc tantummodo perfecte definiuntur, dum definitio materialis, hæc adiuuantia, ac sustentia complectens, adiungitur definitioni formali.

Ipsa uero definitio materialis demonstrabilis erit, ac formalis definitionis virtute semper demonstrari poterit. Hæc tamen circa illa Entia sunt intelligenda, quæ cum absoluta sint, alicuius actionis principia sunt: Numeri enim, Quantitates continuæ, ac figuræ omnes, quoniam ex sui natura nullam actionem pariunt, ex sola formali definitione recte percipi possunt.

Ex quo euenit, ut Numerorum, ac quantitatum scientiæ seiunctim consistant, cum neque substantiæ materiales, neque aliæ accidentium series seiunctim scientifice percipiantur.

Quoniam autem definitio constat ex genere, & differentia constituyente, quæ conuenit tantum vniuersalibus, seu singularibus, vniuersalium uim complectentibus, sequitur, Vniuersalia tantummodo vere definibilia esse. Quæ uero uniuersalia non sunt, descriptione aliqua potius, quam definitione, explicari poterunt.

Idem eueniet Accidentibus omnibus, quatenus concrete concipiantur.

Hæc tamen signantur potius, quam explicentur, ut puta, dum dicimus, Album est res, cui inest albedo.



## CONTEMPLATIONIS SECUNDÆ,

### Pars Secunda:

In qua agitur de copulationibus simplicium conceptuum,  
seu de Propositionibus, ac de uarijs Propositionum differentijs.



*De Propositionum natura, partibus, partiumq. muneribus, in quibus  
Propositiones omnes conueniunt. Cap. 1.*



IMPLICITVM conceptuum concursus, qui illorum relatiuam consequitur uim, Propositionem constituit. Huius præcipuum munus est, incomplexarum cognitionum, seu conceptuum copulationem explicare, seu ad illius ueritatem percipiendam dirigere: ipsæ siquidem uoces significantes, dum seiunctim proferuntur, Res ipsas seiunctim intuendas obijciunt, Ideoq. illarum associatio uana, & inutilis esset, nisi, dum ad inuicem copulantur, obijcerent earundem rerum, ac conceptionum copulationem. Partes autem, ipsam constituentes, tres sunt: neque illarum numerus seu augeri, seu minui potest. vniuscuiusque enim propositionis constitutio pendet ex ea aptitudine simplicium conceptuum, qua alter alteri adiungi, seu alter ab altero sustineri potest, necnon ex ea ui, quæ utrumque coniungit, ac copulat. Id uero, quod adiungitur, ipsum scilicet Prædicatum, neque sibi ipsi, neque ex propria uirtute alteri adiungi potest, similiq. ratione Id, quod sustinet, ipsum uidelicet Subiectum, neque seipsum sustinere, neque id, quod sustinendum est, ex propria uirtute sibi ipsi adiungere aptum est, sicuti neque uirtus Prædicatum Subiecto adiungens, ipsa scilicet Copula, ualet ex vnica copulatione,

latione, plura Prædicata eidem Subiecto adijcere, vel plura Subiecta eidem, seu pluribus Prædicatis supponere. Itaque asserendum est, in unaquaque propositione ita tria hæc necessaria esse, Copulam scilicet, Subiectum, & Prædicatum, vt unicam propositionem ingrediatur vnica tantum Copula, vnicum tantum Subiectum, & vnicum Prædicatum. etenim, si multæ sint copulæ, dum vnaquæque propriam vim coniungendi exercet, multas perficient coniunctiones, ac multas consequenter propositiones constituent. ( nam illarum aliquam inutilem esse Natura non patitur. ) Eadem ratione si termini binarium numerum excederent, vel ad propositionem non pertinerent, vel pluribus copulationibus copulandi essent, pluresq. propositiones constituerentur: nam unica copula ex vnica copulatione duos tantummodo terminos coniungere potest. Siquis autem ad nonnullas propositiones respiciens, ( quarum aliquæ continent plures voces, ternariumq. excedunt numerum: aliquæ uero duas tantum ) circa hæc ambigat; hic admonendus erit, Ipsas voces ex eo tantummodo ad propositionem pertinere, quoniam aliquid significat; propositionisq. partes sumendas esse non ex vocum, sed ex significationum numero. Igitur, si uoces omnes, quæ Copulam præcedunt, proferuntur ad vniam tantum significationem faciendam, illæ autem, quæ copulam sequuntur, ad aliam, si his duobus addatur copulæ significatio, inuenientur tres tantummodo significationes, licet maior sit vocum numerus. Quod si duæ tantum sumantur voces, Copula ipsa, tamquam Participium virtute continens, duarum partium vim obtinebit. si enim hac esset destituta virtute, propriam coniungendi vim exercere non posset: omnis namque coniunctio coniungendorum multitudinem ex necessitate supponit. Quapropter idem dicit dicens, Deus est, & Deus est ens. His sic constitutis circa propositionum commune opus, ac eiusdem partes, nunc singularum partium munus proprium explicandum est. Id vt recte fiat, accipiendum est, vim totius propositionis partes has coniungentis, huiusque coniunctionis veritatem proferentis, intendere bonum, ac commodum, seu manifestationem certæ alicuius partis, atque etiam id, quod intendit, vere perficere, virtute alterius partis. Patet autem partem, cuius bonum intenditur, esse propositionis subiectum, & virtutem, qua id bonum perficitur, Prædicato ascribendam esse: sicuti enim Copulæ sufficit proprium coniungendi munus, ita impossibile est, id, quod ad-

ditur,

ditur, manifestari ab eo, cui additur. Propriissimæ igitur partes Prædicati erunt, manifestationem inducere; Subiecti vero, manifestationem recipere; Copulæ, dum Prædicatum subiecto adiungit, eidem manifestationi ministrare. Hæc ergo semper erit notior Prædicato, sicuti Prædicatum subiecto est notius. manifestatio siquidem subiecti, ut subiectum est, semper perficitur ex additione alicuius rei, seu conceptus. Prædicatum, quatenus est Prædicatum, ex nulla uel rei, uel conceptus additione est manifestandum, sed Nominis tantum interpretationem admittet, quod conuenit Grammaticæ potius, quam Logicæ. Copula uero ipsa, quatenus copula est, tamquam maxime nota, nullâ seu Rei, seu Nominis expositionem sustinet. neque enim Verba, quoad indicandi modum, nouam aliquam explicationem admittunt. Quare, si aliquando explicanda sint, ad alium Modum redigi solent, præsertimq. ad Infinitum, in quo nihil obstat, quin subiecti etiam obtineant partes. Itaque de Copula prænosendum est, Quid vox prolata significet, & illius usum rectum esse; De prædicato tantummodo, Quid significet, reale enim illius esse, seu non esse, cum ex inhærentia pendeat, ex tota propositione colligendum erit; De Subiecto, econtra, reale illius esse ex necessitate prænoscitur, non autem, quid significet; nam proponimus etiam circa Innominata, ac quibusdam circa ea perceptis, nomen illis imponimus.

*De Propositionum denominationibus, quæ ex diuersa terminorum natura, deducuntur, de quibus varijs earundem formis. Cap. II.*



Væ superius dicta sunt, ea complectuntur, quæ propositionibus omnibus sunt communia.

Nunc igitur earundem differentiarum, ac proprietates explicandæ erunt.

Præcipue uero statuendum videtur, Propositiones multipliciter denominari ob multiplicem naturam terminorum, ex quibus constituuntur, ita tamen, vt talium denominationum quædam sequantur Subiecti naturam, quædam naturam Prædicati; quædam deducendæ sint ex utriusque termini relationibus, ac dispositionibus; quædam demum oriantur ab ipsa Copula.

Illæ, quæ pendent a subiecto, reddunt propositionem seu uniuersalem, seu mediam, seu particularem: dato enim subiecto uniuersali,

fali,

fali, uniuersaliter accepto, propositio uniuersalis dicenda est, sicuti eodem subiecto existente seu medio, seu particulari, propositio seu media, seu particularis appellabitur.

Illæ, quæ eliciuntur a Prædicato, efficiunt propositionem seu Analogam, seu Vniuocam. nam Prædicato existente analogo, propositio analogica dicitur, licet Subiectum sit vniuocum; & eodem existente uniuoco, censetur Vniuoca. Illæ, quæ consequuntur varias terminorum relationes, ac dispositiones, in causa sunt, ut propositiones vocentur Essentiales, seu pluribus rationibus Accidentales, necnon immediatæ, seu mediatæ, primæ, ac non primæ. data siquidem terminorum relatione essentiali, seu accidentali, & dispositione seu immediata, seu mediata, propositio dicenda erit Essentialis, seu Accidentalis, Mediata, seu Immediata. Ex eadem etiam dispositione propositiones vocantur Primæ, ac non Primæ, ita tamen, vt respectu rationalis intuitus Prioritatis ratio in Longitudinis serie sumenda sit ex Subiecto maxime uniuersali, in latitudinis vero serie ex prædicato maxime essentiali; respectu naturalis intuitus econtra. Ob Copulæ differentias propositio dicitur seu Affirmatiua, seu Negatiua. nam existente Copula affirmatiua, propositio dicitur Affirmatiua, & dum eadem est negatiua, propositio dicitur Negatiua. Et hæc quidem differentie acceptæ ex ipsa Copula, propositionum qualitatem constituunt. Illæ vero, quæ a Subiecto pendent, earundem quantitatem pariunt: reddunt enim ipsas propositiones, seu uniuersales, seu medias, seu particulares. Ceteræ, de quibus iam dictum est, immutant substantiam potius propositionum, quam qualitatem, seu quantitatem, non tamen respectu formæ, sed respectu materiæ: oriuntur enim ex diuersa natura partium, propositionem constituentium. Itaque recte appellari poterunt Materialis. Præter has omnes propositionum differentias, illæ præterea admittendæ erunt, quæ vere formales dicendæ sunt: effluunt enim immediate a propositionum munere multipliciter præstito, mediate uero ab ipsarum partium munere decenter, seu indeceter ad totius propositionis opus exhibitio: quorum vnumquodque actionem respicit, ac formæ ascribendum est. Neque uero in dubium reuocare licet, quin Copula possit perfecte, & imperfecte coniungere, Prædicatum perfecte, & imperfecte manifestare, & subiectum perfecte, & imperfecte sustinere. Itaque, dum partium vnaquæque proprium munus decentissime sustinet, propositio frue-

tur

tur perfectissima forma, propriumq. opus decentissime perficiet: ex Copulæ nempe vi vere assertiua erit, simulq. affirmationem, ac negationem admittet; Ex Prædicati munere decenter præstito, determinate, ac resolute seu affirmabit, seu negabit, & Determinata dicitur; Ex consummato subiecti munere affirmabit, seu negabit absolute, & absoluta denominabitur; Hæc uero propositiones simul Assertiua, Determinata, & Absoluta, vnica voce Perfectæ Categoricalis appellari solent: quarum exemplum erit, A est B. & A non est C. seu, Homo est animal, & Homo non est Leo.

Dum prædicatum proprias partes imperfecte sustinet, propositio non vnicum tantum prædicatum, sed plura recipiet, quæ etiam pro huiusmodi infirmitatis gradu, aliquando Certa erunt, ut puta, dum dicimus, Numerus est par, vel impar, & Animal est rationale, vel irrationale; aliquando incerta, vt puta, Hic numerus est vel par, vel impar; &, Accidens est vel bos, vel equus, vel mulus.

Dum prædicata sunt certa, deficit quidem in resolutione, sed determinationem retinet: nam ea ratione proponitur, Numerum parem, vel imparem, & Animal rationale, uel irrationale esse, determinaturq. uere, dari numerum parem, & numerum imparem, necnon animal rationale, & animal irrationale, ut tantummodo remaneat dubium, quisnam numerus sit par, & quis impar, & quodnam animal sit rationale, & quod irrationale. Quapropter tales propositiones Diuisiua appellandæ erunt.

Dum prædicata non tantum sunt plura, sed etiam incerta, propositio omni resolutione, ac determinatione destituetur: neque enim prædicatorum vnumquodque subiecto uere adiungitur, sed unicum tantum, ob idque Indeterminatæ nomen accipiet. Propositionibus (in quibus prædicati virtus infirmatur, seu sint Diuisiua, seu Indeterminata,) commune est, affirmationem tantummodo recte admittere, negationem uero omnino repellere: nam, dum dicitur exempli gratia, Numerus est par, vel impar; seu, Harum literarum numerus est vel par, vel impar; licebit fortasse talium propositionum falsitatem, vel ueritatem simpliciter affirmare, seu negare. Licebit etiam illarum unicuique duas propositiones perfecte asserentes obijcere, numerum scilicet parem non esse, & numerum non esse imparem, seu, Harum literarum numerum non esse parem, & harum literarum numerum non esse imparem: sed impossibile omnino erit, vnica propositionem diuisiuam, seu indeterminatam, si-

I

mulq.



mulq. negatiuam illi opponere. Dum subiectum proprias sustinendi partes imperfecte obit, idem subiectum alterius propositionis ui fulciendum erit: hac enim destitutum, Prædicato nulla ratione subijci posset, quod tamen his adiuuentis accedentibus utrumque sustinet. Hæ uero propositiones omni absolute carebunt, ideoque dicentur Condicionales, ut puta, dum dicitur, si A est B, A est C. seu, si homo est animal, homo est sensitiuus.

Harum propositionum prior pars vocatur Antecedens, posterior Consequens, prioris enim veritatem consequitur.

Condicionalis proponendi forma admittit affirmationem, ac negationem: quarum tamen vnaquæque deducenda est ex qualitate solius Consequentis: dato enim Consequenti affirmatiuo Condicionalis affirmatiua dicenda est, licet Antecedens sit negatiuum; & dato Consequenti negatiuo Condicionalis erit negatiua, licet Antecedens sit affirmatiuum.

Dum Copula a proprio munere recedit, nulla terminorum seu coniunctio, seu disiunctio consummabitur, ipsaq. propositio omni assertionem destituetur, sed mentis nostræ dubia tantummodo proferre poterit, Ideoque simplicis interrogationis vocem admittet, ut puta, dum dicitur, A est B, vel non.

Defectus autem, qui singulis propositionum partibus aptari possunt, ita ab illarum vnaquæque admitti solent, ut altera alterius defectum nullo modo recipiat. Quare prædicatum non suscipit ambiguitatem, seu condicionem, subiectum non patitur ambiguitatem, seu diuisionem, seu indeterminationem. Copula itidem neque diuisionem, neque indeterminationem, neque condicionem recipit.

Propositiones uero ob solam ambiguitatem ita infirmæ, ac imbecilles redduntur, ut nullum aliud malum, seu defectum sustineant absque omnimoda destructione, aut certe absque fructus amotione. si enim dicatur hoc pacto, A est B, vel C an non est B. vel C. seu hoc pacto, si A est B. estne A, vel C, vel non C, ex huiusmodi prolationibus vel id, quod in priori parte videtur proponi, posterioris partis vi omnino remouetur, vel nihil omnino proponitur.

Reliquæ propositionum imperfectiones, quæ ortum ducunt ex defectu tam Subiecti, quam Prædicati, copulari possunt non tantum absque propositionis ruina, animiq. offensione, sed etiam cum aliquo fructu. coniungentes enim condicionem cum diuisione, seu

cum

cum indeterminatione dicimus, si homo est animal, est vel rationalis, vel irrationalis, & si id, quod in stabulo est inclusum, est animal, erit vel equus, vel bos, vel capra, vel asinus, vel aliud certum animal. Hi etiam prædicati defectus admitti possunt tam a Condicionalis consequente, quam ab antecedente, ita tamen, ut quatenus in utroque reperiat, Antecedens assumat plura prædicata certa, Consequens autem plura incerta; & non e contra. cum enim Consequens ab Antecedente pendeat, ab illius perfectione deficiat necesse est. Propositiones uero, quæ plures complectuntur defectus, ea incommoda patientur, quæ ab illorum unoquoque pendere, superius demonstratum est: Ideoque ob Prædicati defectum, affirmationem tantummodo admittent. Si quis enim experiatur, propositiones has ad negationem deflectere, dicatq. exempli gratia, Si viuum, quod intuemur, non est rationale, vel irrationale, non est animal; facile percipere poterit, Antecedens vel nihil inferre, vel duas negatiuas perfectæ formæ complecti, ac si diceret, Viuum neque est rationale, neque irrationale.

*De propositionum proprietatibus, quæ pendent ex formarum, ac materiarum relationibus. Cap. III.*



VAE superius enarrata sunt, sufficienter (ni fallimur) demonstrare possunt propositionum differentias, seu a materia, seu a forma pendeant.

Rimabimur nunc earundem propositionum proprietates. Hæ autem deducendæ erunt ex his relationibus, quibus adinuicem referri possunt tum formarum vnaquæque ad vnamquamque materiam, tum ipsæ propositiones ad inuicem, nec non ex certis viribus, quibus ob harum relationum concursus varios, propositiones solent seu destitui, seu decorari. Nostra uero hæc contemplatio vnamquamque propositionum eatenus respicere debet, quatenus & vera sit, & valeat veritatis vim seu ad alias extendere, seu ab alijs recipere, simulq. falsas propositiones destruere. Quamuis igitur seruata proponendi forma, liceat vnumquodque unicuique copulare, atque etiam, dum ipsa forma id sustinet, tam affirmatiue, quam negatiue: manifestum tamen est, non vnumquodque de vnoquoque vere affirmari, seu negari posse, neque vnumquodque de vnoquoque decenter, atque vtiliter interrogari. quæ-

I ij dam

dam enim quibusdam tantummodo addenda sunt, ac certis tantummodo proponendi formis: quædam etiam proponenda sunt affirmatiue tantummodo: quædam negatiue tantummodo; similiq. ratione, quædam decenter, quædam indecenter interrogantur.

Exordiamur a perfectissima proponendi forma. Hæc versatur circa omnes materias, ac materierum differentias, illis tamen exceptis, quæ accipientes genus aliquod tamquam subiectum, illi adiungunt tamquam Prædicata diuisiua oppositas differentias, quibus idem genus diuiditur essentialiter, vt puta, dum dicitur, Animal est vel rationale, vel irrationale, &, Numerus est vel par, vel impar: huiusmodi enim terminorum relationes (vt unicuique facile patere potest) Diuisiua formæ aptantur.

Siquis autem interroget, quænam pars materierum priori quadam ratione aptetur huic perfectissimæ formæ, respondendum erit, talia esse ea omnia, quæ communissimam latitudinis seriem cōstituunt, atque eo magis, quo magis sibi inuicem immediate copulantur: harum enim connexionum ueritas euidens est, atque ita resoluens, vt neque interrogationem, neque ullam aliam proponendi formam admittere possit, nisi forte ad alicuius peruicaciam comprimendam. Talia uero non tantum nullam aliam proponendi formam admittunt præter perfectissimam, sed neque negationes eiusdem perfectissimæ formæ. nam, quæ omnibus sunt communia, de aliquo vere negari non possunt. Ea etiam, quæ longitudinis seriem recte ingrediuntur, propria quadam ratione conueniunt eidem perfectissimæ formæ: horum enim ueritas (vt ex superioribus patet) euidens est, solamq. affirmationem admittit.

Diuisiua proponendi forma exerceri solet circa uniuersalia, & circa particularia, ita tamen, vt, quatenus circa particularia versetur, ex accidentali rerum positione ueritatem proferant, vt puta, si dicatur, Qui in Patauino gymnasio studijs incumbunt, vel philosophiæ, vel legibus incumbunt. quatenus uero exerceatur circa uniuersalia, semper accepto genere, tamquam subiecto, prædicat de eo differentias diuisiuas, vt sunt diuisiua, ut puta, dum dicitur, Animal est rationale, vel irrationale. Et hæc quidem materiæ, huic formæ non tantum propriissime conueniunt, sed etiam solè conueniunt respectu illorum, quæ essentialiter uera sunt. Indeterminata proponendi forma uersari potest circa eadem, quæ Diuisiuam formam admittunt, ea tamen ratione, vt assignet contractioribus locum

Subiecti.

Subiecti. Quamobrem, dum ex diuisiua forma dicitur, Studentes Patauij, seu Philosophiæ, seu Legibus incumbunt, &, Animal est rationale, vel irrationale; ex forma Indeterminata dicendum erit, Socrates, qui Patauij studet, seu Philosophiæ, seu Legibus operam dat; &, Homo est vel rationalis, vel irrationalis. forma proponendi Conditionalis uersatur circa omnia indistincte, his tantummodo exceptis, quæ in dubium reuocari non possunt; ad quæ tamen decenter extendi poterit, dum alicuius peruicacia comprimenda est. Illi autem propriissime aptantur ea, in quibus Subiectum est particulare, sed ignotum, vt puta, dum dicimus, Si accedens est homo, accedens est rationalis. Interrogatiua forma (quæ ceteris comparata, inuenitur omnium imperfectissima) ab his apte admitti non potest, quorum relatio est immediata, seu ab his, quæ pariunt longitudinis ordinem, & ad se inuicem referuntur, tamquam genus ad species, licet termini non essent immediati. nam data horum terminorum notitia, illorum copulatio est uel per se nota, vel talis, vt Prædicati cognitio contineatur saltem confuse in cognitione subiecti. Itaque repellit omnem ambiguitatem, ex qua recte sumitur interrogandi occasio. Reliqua omnia decenter interrogationem recipiunt; Particularia uero propriissime, nam de illis (siue subiecta sint ignota, Prædicata uero nota, siue Prædicata ignota, subiecta uero nota) decentissime interrogamus, vt puta, dum quæritur, an animal in stabulo positum, sit Equus, vel non, &, an Socrates incumbat philosophiæ, vel non. Horum autem unumquodque decentissime interrogari, ex eo manifestum est, quoniam tam imperfecti, quam perfecti, sæpe ignorant, & quærunta talia, quorum ueritas pendet non a ratione, sed a sensu. Cetera uero ab imperfectis tantum interrogantur, quoniam illorum certitudo ratione colligitur.

*De relationibus, ac uiribus propositionum, in quibus certæ formæ certis materiis associantur. Cap. IIII.*



RECEPTIS propositionum proprietatibus prioribus, magisq. internis, ac absolutis, nunc posteriores, remotiores, ac magis relatiua explicandæ sunt. Hæc deducuntur non ex propositionum formis, ac materijs, prout se inuicem compatiuntur, sed ex earum propositionum relationibus, simulq. ex uiribus, quibus sunt uel prædi-

tæ,

tæ, uel destitutæ, & se inuicem seu commodis, seu incommodis prosequuntur.

Deducuntur autem ad senarium numerum, ut res ipsa facile demonstrare potest. Et primus locus decenter aptabitur relationi, qua propositio ex priorum terminorum conuersione, seu commutatione, aliam propositionem construere potest, ut puta, dum posito, Hominem omnem esse animal, asserimus, Aliquod animal esse hominem. Itaque hæc virtus appellari poterit Virtus Constructiua ex terminorum conuersione. Secunda relatio erit illa, qua propositio alteri propositioni consentit: quin etiam ex ea colligitur; ut puta, dum dato Omnem hominem animal esse, colligimus, Aliquem hominem animal esse. Quapropter hæc virtus dicetur Collectiua ex correlario.

Tertia relatio erit illa, qua propositio ex suimet positione, alteri propositioni ita aduersatur, ut illam destruat, ut puta, dum posito, Omnem hominem esse animal, percipimus falsam esse illam propositionem, quæ asserit, Aliquem hominem non esse animal. Igitur appellabitur Virtus Destructiua.

Quarta relatio erit illa, qua propositio propriam vim in aliam propositionem extendit, ac iaculatur, quæque Effectiuae virtutis uocem recte admittet. Hæc proprium opus non perficit, nisi certa quædam propositio illi apponatur, quæ quintam relationem exerceat, illam scilicet, qua propositio alterius propositionis effectiuam virtutem admittit, ac Receptiua potentia recte denominabitur.

Harum virtutum exemplum duæ propositiones proponent, quarum prior dicat, Omnis homo est animal; Secunda uero asserat, Socrates est homo: sicut enim prior prædita efficiente virtute, eam in posteriorem inijcit, ita posterior exercens Receptiuam potentiam, prioris vim recipit, simulq. cõuincit, ipsum Socratem animal esse.

Sexta demum relatio illa erit, qua propositio auxiliatur constructioni alterius propositionis, quam sola non potest erigere, ut puta, dum dicitur, Hic homo est rationalis: hæc enim propositio licet non probet, omnem hominem esse rationalem, illius tamen ueritati fauet, Ideoq. talis virtus Inductiua dicenda erit.

Hæ propositionum vires, (ut diximus) consequuntur illarum formas, quatenus materijs adiunctas. Itaque tam ex formæ, quam ex materierum differentijs varie immutari, extendi, ac contrahi poterunt: formarum tamen vires clarius apparere poterunt, si materijs

ex ea

ex ea parte attendantur, quæ propositionum tantummodo qualitatem, ac quantitatem immutant: hæ enim differentiæ oriuntur ab his, quæ magis absoluta sunt, quæque formarum vim ita sustinent, ut illarum puritatem nulla ratione perturbent. In ceteris, materijs uis virtutem formarum videtur excellere, Ideoque, nisi decens cautio adhibeatur, ea, quæ pendent a certa materia, propositionum formis ascribi possent, quod, alia materia assumpta, falsitatem induceret. Igitur, ut ab his simus tutiores, discernendæ erunt a præsentis contemplatione differentiæ, quibus propositiones denominantur Essentiales, seu Accidentales, Primæ, seu Non primæ, Immediatæ, seu Mediatæ.

*De uiribus perfectissimæ proponendi formæ, quæ pro qualitatis, quantitatisq. differentijs non parum inter se distant. Cap. V.*



**H**is animaduersis, non difficile decernemus, quænam vires, & quousque singulis proponendi formis aptari, seu non aptari possint. Igitur, a perfectissima exordientes, dicimus, illi has omnes vires ita aptari, ut quam maxime vigeant. Prior quidem, (quam Constructiuam ex conuersione appellandam diximus) dum propositio est affirmatiua, & vniuersalis, inducere potest aliam affirmatiuam, non quidem vniuersalem, sed particularem omnino indeterminatam; nam dato, exempli gratia, Omne A esse B, necessario fatendum est, Aliquod B esse A. aliter enim rueret firmissima certitudo principij communissimi. Dum propositio eiusdem perfectissimæ formæ est negatiua, simulq. vniuersalis, vel communis, construit ex eadem uis negatiuam eiusdem quantitatis. nam, si uere dicimus, Nullum A est B. uere etiam dicitur, (idque ex sola eiusdem communissimi principij uirtute) Nullum B est A. Neque tamen existimandum est, negatiuam vniuersalem excellere perfectionem affirmatiuæ vniuersalis, quæ construit tantum particularem, licet construat negatiuam vniuersalem. non enim ob excellentiorem uirtutem hoc illi euenit, sed potius ob defectum maiorem. nam negationis constructio Destructio potius est appellanda, quam Constructio, Ideoq. sicuti facilius est destruere, quam construere, ita etiam facilius est negare, quam affirmare. Propositiones eiusdem formæ, sed respectu quantitatis, Mediæ, seu Particulares, tam Vagæ, quam Determinatæ,

terminatæ, quatenus respectu qualitatis sint affirmatiuæ, constituēt aliam affirmatiuam particularem, seu vagam, seu determinatam. dum enim vere dicimus, Pauci hominum sunt philosophi, uel, Aliquis homo est philosophus, simul vere etiā dici potest, Aliquis philosophus est homo: sicuti etiam, si uere dicimus, Iste homo est philosophus, vere affirmabitur, Iste philosophus est homo.

Negatiuæ eiusdem perfectissimæ formæ tam mediæ, quam particulares vagæ carent hac constructiua uirtute. quamuis enim uere dicatur, Plures homines non sunt philosophi, seu, Aliquis homo non est philosophus, non tamen uere dicitur, Plures philosophi nō sunt homines, seu, Aliquis philosophus non est homo. Quatenus autem eadem negatiua particularis assumat Subiectum certum, atque etiam illi addat Prædicatum certum, construere poterit ex eadem terminorum conuersione propositionem sibi similem: nam si uere dicitur, Hoc A non est illud B, seu Socrates non est Plato, uere etiam dici poterit, Illud B non est hoc A, seu Plato non est Socrates.

Eadem perfectissima proponendi forma prædita est etiam secunda uirtute, quam dicimus Constructiuam, ex correlario, seu collectiuam. Hæc tamen uirtus quammaxime roboratur in his propositionibus, dum uniuersales, ac communes sunt: data namque uniuersali affirmatiua, (ut puta, omnem hominem esse uisibilem) colligitur, singulos, quibus conuenit esse homines, uisibiles esse. Data autem uniuersali negatiua (puta, Nullum hominem esse Leonē) eadem ratione quam tutissime colligentur propositiones negatiuæ, in quibus asseritur, Hunc, & illum hominem, necnon singulos homines, Leones non esse.

Dum propositiones neque uniuersales sunt, neque communes, sed mediæ, ex illarum positione colligentur aliæ propositiones mediæ oppositi ordinis: nam, si homines ut in pluribus habent quinque digitos, colligitur, eos raro habere seu pauciores, seu plures digitos, & e contra. Ex eisdem propositionibus medijs colliguntur etiam propositiones particulares indeterminatæ. Ex particularibus autem (seu sint indeterminatæ, seu determinatæ) nihil colligitur.

Eadem perfectissima proponendi forma exercet quam tutissime tertiam uirtutem, Destructiuam scilicet. data enim propositione huius formæ, quæ uniuersalis sit, seu communis, (siue sit affirmatiua, siue negatiua) destruentur omnes uniuersales, seu communes oppositæ,

fitæ, necnon omnes mediæ, ac particulares, quæ continentur sub uniuersalitate propositionum oppositarum. Præter has destruentur etiam omnes propositiones mediæ, quæ complecti possent ab hac uniuersalitate, seu communitate. Hæc tantum non destruentur omnino, sed tantummodo ratione modi. Quare, si quis uere dicat, Animal essentialiter est sensituum, uel, Omne animal est sensituum: hic destruit omnino propositiones dicentes, Nullum animal est sensituum, Homo, Equus, & cetera animalia non sunt sensitua, Homo ut in pluribus non est sensituius. Destruet etiam non omnino, sed ratione modi, propositionem dicentem, Homo ut in pluribus est sensituius, & reliquas eiusdem ordinis. Propositiones eiusdem perfectissimæ formæ, quatenus sint mediæ, destruent, uel eiusdem Destructiuæ uirtutis, ambas uniuersales, ac communes, necnon omnes medias ordinis diuersi, quæ in qualitate conueniunt, atque etiam oppositas eiusdem ordinis, sed diuersæ qualitatis. Quare, si uere dicitur, Homo ut in pluribus habet in unaquaque manu, ac pede quinque digitos, uere negatur, Omnes homines habere quinque digitos, Nullum hominem habere quinque digitos, Homines paucos, uel paucissimos habere quinque digitos, Homines ut in pluribus non habere quinque digitos. Particulares, quatenus sint indeterminatæ, destruent tantummodo uniuersales qualitatis oppositæ: nam affirmatiuæ destruent uniuersalem negatiuam, negatiuæ uniuersalem affirmatiuam. Ideoq. si quis uere dicat, Aliquis homo est philosophus, hic certe destruet, nullum hominem esse philosophum. Et si quis dicat, Aliquis homo non est philosophus, hic destruet, Omnem hominem esse philosophum.

Quatenus autem particulares sint determinatæ, destruent non tantum uniuersales, ac communes oppositæ qualitatis, sed particularem etiam sibi oppositam. nam, si uere dicatur, Socrates est philosophus, uere dici non potest, Socrates non est philosophus. Huiusmodi autem propositionum relationes oppositæ certas proprietates adipiscuntur, & certas denominationes exposcunt. nam Uniuersales adinuicem oppositæ appellantur Contrariæ, quæ simul ueritatem sustinere non possunt, licet ambæ sapius falsæ sint. Mediæ, quatenus adinuicem oppositæ, dici possunt Subcontrariæ. Hæc se inuicem destruent, similiterq. simul ueritatem non sustinent, sed illarum utraque a ueritate recedere potest. Particulares indeterminatæ, atque inuicem oppositæ Subalternarum nomen ad præ sunt

Hæ simul a veritate recedere non possunt, sed ambas eam sustinere non repugnat: nam, si aliquis homo currit, & aliquis homo non currit, uel illarum vna, uel ambæ, ueræ erunt. Particulares determinatæ dici poterunt subalternæ determinatæ. Et hæ quidem, quatenus assumant idem subiectum, a ueritate simul recedere non possunt: Quatenus assumant diuersa subiecta, non erit inconueniens, ut aliquando ambæ sint ueræ, aliquando autem ambæ a ueritate recedant. nam impossibile non est, Socratem aliquando currere, & aliquando non currere; &, dum Socrates currit, etiam Platonem currere; seu, dum Socrates non currit, Platonem etiam non currere.

Vniuersales, ac particulares indeterminatæ, quatenus ad inuicem opponuntur, Contradictoriæ appellatæ sunt. Harum uero altera ex necessitate vera est, altera falsa. Particulares determinatæ, quatenus referuntur ad easdem uniuersales oppositas, eandem vim exercere possunt. Eadem particulares determinatæ dum referuntur ad aliam particularem determinatam, quæ idem subiectum assumat, Contradictoriæ vim exercent. Idem etiam euenit Medijs propositionibus, quatenus, eadem quantitate retenta, differant tantummodo in qualitate. Itaque harum etiam propositionum oppositio Contradictoria uocanda erit.

Eadem perfectissima proponendi forma, præcipua quadam ratione retinet, ac exercet Actiuam propositionum uirtutem, (cui superius assignauimus quartum locum) nec non Receptiuam potentiam, quæ Quinta posita est. Harum uirtutum nulla exerceri potest a propositionibus seiunctim acceptis, sed tantummodo, quatenus ad se inuicem referantur: ea enim, quæ agendi uirtute prædita est, requirit subiectionem alterius propositionis, in qua insit Receptiua potentia, Agendi uirtuti consona. Quatenus igitur hæ propositiones accipiantur ex latitudinis serie, illarumq. termini sint æqualiter uniuersales, tam Actiua uirtus, quam Receptiua potentia, constituentur, & ad actum perducere poterunt ex solo proferendi ordine: propositio siquidem, quæ primo proferitur, exercet Actiuam uirtutem; Illa uero, quæ proferitur secundo loco, subijcit Receptiuam potentiam. Actiua tamen uirtus propriissime conuenit magis essentialibus. ac, si propositiones uel ambæ, uel posterior, accipiantur ex longitudinis serie, uirtus Actiua aptabitur propositioni magis uniuersali, seu minus determinatæ: ac propositiones minus communes, aut certe subiecti minus determinati, exercent Receptiuam

uam.

nam potentiam, ideoq. ab agente propositione recipient tam proprium Prædicatum, quam propriam Copulam. Hoc tamen de illis est intelligendum, quæ neque mediæ sunt, neque particulares vagæ: hæ enim Receptiuam potentiam non admittunt, licet Actiua uirtute sint prædita. Ipsæ autem propositiones uniuersales huius perfectissimæ formæ, (siue sint affirmatiuæ, siue negatiuæ) agendi uim ita exercere possunt, ut Prædicati, ac Copulæ communicationem inducant. dato enim Omnem hominem esse rationalem, si quis subijciat, Socratem esse hominem, ipsa uniuersalis propositio ita uim suam actiuam diffundet, ut ex necessitate sequatur, Socratem esse rationalem, &, Si nullus homo uolat, dato Socratem esse hominem, eadem ratione sequitur, ipsum non uolare. Propositiones uero mediæ, quæ eadem uirtute actiua prædita sunt, effundere quidem possunt propria Prædicata, in propositiones particulares determinatas, sed non Copulas. neque enim pariunt necessariam illationem, sed probabilem tantum: posito enim, Hominum manus ut in pluribus habere quinque digitos, si quis subijciat, Hanc esse hominis manum, sequitur, probabile esse, ipsam quinque digitos habere, at non reipsa habere.

Propositiones particulares uagæ neque recipiunt actiuam uirtutem ab alia communiori, neque illam in particulares determinatas aliquo pacto diffundunt. nam, licet Aliquis homo currat, & Socrates sit homo, neque ex necessitate, neque ex probabili sequitur, Socratem currere. Particulares determinatæ, sed non omnino, (ut putata illæ, quarum subiecta determinantur, ut Nominis proprii, seu signi, Illæ,) actiua uirtute sunt prædita, eamque ad omnino determinatas propositiones infundunt, quæ Receptiuam potentiam tantummodo retinent, Actiua uero uirtute penitus denudantur, idque ex necessaria illatione. dato enim Socratem esse philosophum, si subijciatur, Hunc esse Socratem, sequitur ex necessitate, eundem esse philosophum.

Eadem perfectissima proponendi forma prædita est etiam postrema propositionum uirtute, quam Inducentem, seu Inchoatam appellare decet. Hæc semper intendit constitutionem propositionum seu minus determinatarum, seu magis uniuersalium. In uniuersalium tamen constitutione ualde infirma est, atque imbecillis; Ideoq. proprium opus aggredi non potest absque cōcurso plurimum propositionum, quæ eandem conferant uim. His autem accedentibus,

K ij tibus,

tibus, recte exerceri solet. dato enim exempli gratia, Socratem, Platonem, Antonium, & singulos homines, qui enumerari possunt, paucis exceptis, aptos esse ad philosophandum, colligitur, maximam hominum partem ad philosophandum esse aptam. At, si horum unusquisque rationalis apparet, videtur sequi, Omnes homines esse rationales. Quoniam uero impossibile nobis est, particularia omnia enumerare, hæc uirtus, quantum ad uniuersalia pertinet, proprium opus inchoat potius, quam perficiet.

*De uiribus, ac infirmitatibus propositionis Diuisiue, Indeterminatæ, Condicionalis, & Interrogatiuæ. Cap. VI.*

**D** I U I S I U A proponendi forma, quæ secundum a perfectissima locum obtinet, eiusdem perfectissimæ formæ uires præstantiores emulatur, atque etiam aliqua ratione excellit. uirtus enim Constructiua ex conuersione in ea ita roboratur, ut construere possit duas affirmatiuas particulares, indeterminatas. etenim, si uere dicitur, Omnes, qui Patauij student, seu Philosophiæ, seu Legibus incumbunt, uere etiam dici poterit, Aliquis, qui Philosophiæ incumbit, Patauij studet; &, Aliquis, qui Legibus incumbit, Patauij studet. Et hæc quidem respectu cuiuscumque materiæ, ueritatem continent: neque enim (ut diximus) materiæ essentialis nunc attendendæ sunt, in quibus ex Diuisiua propositionis conuersione, duæ affirmatiuæ uniuersales videntur constitui. Eadem proponendi forma decoratur uirtute Constructiua ex correlario, seu Collectiua, eamque ita exercere potest, ut certas quasdam propositiones effundat nõ tantum ex Subiecti contractione, certa quæ unius Prædicati adiectione, sed etiam ex mutua duorum prædicatorum relatione. nam, dum uere dicitur, Omne animal est uel rationale, uel irrationale, uere etiam dici poterit, Aliquod animal est rationale, & Aliquod animal est irrationale, necnon Animal rationale non est irrationale, & Animal irrationale non est rationale. Ex usu uero Destructiuæ uirtutis, eadem Diuisiua proponendi forma destruet quattuor propositiones uniuersales, quarum duæ sunt affirmatiuæ, duæ uero negatiuæ. dato enim omnem numerum esse parem, uel imparem, destruitur, Omnem numerum esse parem, & omnem numerum esse imparem; Nullum numerum esse parem, & Nullum numerum esse imparem. Ex huius-

huiusmodi autem forma non destruitur aliqua propositio seu media, seu particularis. Actiua huius Diuisiua formæ uirtus satis infirma est. neque enim parere potest aliquod determinatum, sed parit tantummodo indeterminata, ita tamen, ut inducat necessariam illationem. dato enim uere dici, Animal est rationale, uel irrationale, si subijciatur, Homo est animal, sequetur necessario indeterminata illa, quæ asserit, Hominem esse uel rationalem, uel irrationalem. Hæc proponendi forma Receptiuam potentiam non admittit: nam ex propria natura, inferiora intuetur, quæ ab ipsa Receptiua potentia respici non possunt, Ideo quæ eadem hæc Diuisiua forma similiter caret Inductiua uirtute, quæ semper ad superiora dirigitur.

Indeterminata proponendi forma caret uirtute Constructiua ex terminorum conuersione: illius enim Prædicata adduntur proprio Subiecto indeterminate, atque incerte. Quapropter inferri non potest, Subiectum prædicari de aliquo illorum. Collectiua uero uirtus ea ratione retinetur ab Indeterminata proponendi forma, ut illius uel quattuor Condicionales colligi possint. dato enim Hominem esse uel rationalem, uel irrationalem, uere dici poterit, Si homo est rationalis, non est irrationalis; Si homo non est rationalis, est irrationalis: Si homo est irrationalis, non est rationalis: & Si homo non est irrationalis, est rationalis. Hæc forma penitus denudatur Destructiua uirtute. nam nihil certi proponit. Ideo quæ illius ueritas neque alteri assertioni aduersatur, neque ad aliquod destruendum sufficere potest. Actiuam uero uirtutem exercere quidem potest, sed quammaxime infirme. nam factum quidem conuincit, sed nullam internam illius rationem adducit. dato enim, Harum litterarum numerum esse parem, uel imparem, necnon Hunc numerum non esse imparem, colligitur ex facti consequentia, Hunc numerum esse parem: simili quæ ratione, dum dicitur, Hunc numerum esse imparem, colligitur, eum non esse parem.

Receptiuam uero potentiam, atque Inductiuam uirtutem ab huiusmodi forma admitti non posse, manifeste apparet ex ijs, quæ dicta sunt circa Diuisiuam proponendi formam: quæ etiam facile confirmari possunt ex Incertitudine prædicatorum.

Condicionalis proponendi forma, uirtute Actiua est tantum prædita. sicuti enim ob proprii Subiecti infirmitatem, seu Prædicati, partes illi demandare non potest, (quod in Conuersiuæ uirtutis usu præstandum est) seu illud contrahere, (quod Collectiua uirtus exposcit.)

poscit) ita, quoniam nihil absolute asserit, nullam aliam propositionem destruit, ex quo oritur virtus Destructiua. Caret etiam tam Receptiua potentia, quam virtute Inductiua, quoniam illarum vnaquæque ex propria natura imperfecta est, ac, nisi fulciantur robore perfectissimæ formæ, omnino deficiunt. Si quis autem interroget, quanam ratione forma condicionalis, ceteris omnibus virtutibus destituta, agendi virtutem sustinere possit, quæ ceteris omnibus videtur firmior, respondendum erit, huius Actiue virtutis duplicem usum admittendum esse. Alter est ille, quo propositiones formarum perfectiorum effundere solent propriam vim ad aliarum propositionum perfectionem, ac bonum. Alter vero, quo propositiones formarum imperfectiorum conantur propriam imperfectionem expellere. Condicionalis igitur propositio, necnon Indeterminata omnes, hac posteriori ratione tantummodo præditæ sunt Actiua virtute: harum enim vnaquæque conatur ex illius usu exuere propriam imperfectionem, atque perfectiorem formam induere: Indeterminata siquidem prosequitur determinationem, Condicionalis vero absolutionem. Quapropter, dum dicitur exempli gratia, Si homo non est irrationalis, homo est rationalis; vel, Si homo est animal, homo est sensituius; nihil aliud intenditur, nisi vt, accepto, Hominem non esse irrationalem, colligamus, eum esse rationalem; & accepto, eundem esse animal, colligamus, ipsum esse sensituum.

Interrogatiua proponendi forma denudatur viribus omnibus. nam, sicuti propositionum Esse deducitur ex sola asserendi virtute; ita virtus omnis ab aliquo certo Esse deduci debet. Interrogatio igitur, quæ caret asserendi virtute, deficitq. ob id ab ipsarum propositionum Esse, ab illarum etiam virtutibus deficiat necesse est. Propriissimum ergo illius opus erit, proferre mentis nostræ dubia, ipsamq. excitare ad eorundem determinationem. Harum autem difficultatum a motio, simulq. animi plena quies expetenda erit certa quadam serie ex perfectiorum formarum usu: Indeterminata siquidem propositio, dum plura incerta proponit, ita interrogationi satisfacit, vt simul dirigat mentis nostræ aciem ad illa, quæ sunt attendenda. Condicionalis vero, dum quidpiam apponit, quod certum quidem est, sed non adhuc absolutum, videtur præterea obijcere lumen aliquod, cuius vi mens nostra tute versari possit circa ea, quæ percipienda sunt.

Diuisiua

Diuisiua proponendi forma dum plura certa proponit, ex ratione menti nostræ quietem affert, vt eandem impellat ad perquirenda singula, quibus plura hæc aptanda sunt.

Ipsa demum perfectissima proponendi forma, respectu rerum propositarum, affert summam quietem mentibus nostris.

*De his, in quibus propositionum vires seu conueniunt, seu non conueniunt, et de propositionum dispositionibus. Cap. VII.*



**M**NIBVS propositionum viribus commune est, dum ad usum deducuntur, animi motum excitare, quem tamen non possunt perficere virtutes Constructiua ex conuersione, Constructiua ex correlario, & Destructiua. Actiua vero virtus, & Receptiua potentia, qualenus ad inuicem copulentur, necnon concursus plurium inducentium virtutum ad idem construendum; talem animi motum vere perficiunt. Tales vero motus, prout consummantur, Discursus vocem consecuti sunt, licet non eadem ratione, quin potius longe diuersa, vt postmodum demonstrabitur. Virtutes autem, quæ animi motum exordiuntur, & non perficiunt, seiunctim proprios actus exercere possunt absque vilo alterius propositionis accessu, et communissimæ tantummodo certitudinis virtute. Actiua vero virtus, Receptiua potentia, & virtus Inductiua absque communi amplexu infecundæ sunt. Et hæc quidem ex his facile deducuntur, quæ superius sunt constituta. Ex quibus etiam colligere licet, Constructiuam virtutem per conuersionem, Constructiuam ex correlario, seu Collectiuam, atque etiam Inductiuam, eas tantummodo propositiones construere, quæ eiusdem sunt qualitatis; ex affirmatiuis, scilicet tantum constitui affirmatiuas, non autem negatiuas, eademq. ratione ex negatiuis negatiuas, non autem affirmatiuas. Destructiua uero uirtus oppositam legem uidetur admittere: eas enim propositiones tantummodo destruit, quæ diuersæ sunt qualitatis. negatiuæ siquidem destruunt affirmatiuas, non autem negatiuas, & affirmatiuæ negatiuas, non autem affirmatiuas. Quod si obijciantur propositiones formæ diuisiue, quæ Affirmatiuæ appellantur, & construunt non tantum affirmatiuas, sed etiam negatiuas, destruuntq. non tantum negatiuas, sed etiam affirmatiuas, dicendum erit, hoc ideo euenire ex propositionibus diuisiuis, quoniam, licet

formaliter

formaliter sint affirmatiuæ, illarum tamen uis affirmandi obrunditur, ac infirmatur, ob associationem duorum Prædicatorum, quæ se inuicem pati non possunt.

Quapropter negationes etiam uirtute continent. ex quo factum est, ut primæ negationes, ueritati consonæ, ex illis pendeant, sicuti ab eisdem etiam oriuntur propositiones indeterminatæ, ac conditionales. Idem de propositionibus medijs sentiendum est, quæ similiter constituunt, ac destruunt propositiones affirmatiuas, ac negatiuas: uirtute enim utramque qualitatem similiter complectuntur. Nam, quæ dicit exempli gratia, Manum ut in pluribus quinque digitos habere, simul asserit, Minorem partem quinque digitos non habere. Siquis autem existimet, ex uniuersali affirmatiua dicente exempli gratia, Omne A est B, construi negatiuam uniuersalem dicentem, Nullum A est non B, & ex negatiua uniuersali dicente exempli gratia, Nullum C est D, construi affirmatiuam dicentem, Omne C est non D, similiq. ratione ex particulari affirmatiua dicente, Istud A est B, construi negatiuam dicentem, Istud A non est non B. atque ex particulari negatiua dicente Aliquod C non est D, construi affirmatiuam dicentem, Aliquod C est non D, hic admonendus erit, tales propositiones re ipsa non differre a qualitate illarum, a quibus eliciuntur, licet qualitas uideatur opposita: sicut enim unica disiunctio (ut superius demonstratum est) negatiuam qualitatem constituit, ita eadem bis repetita, (siue explicite, siue implicite id fiat) negationem repellit, & affirmationem inducit. Actiua uero uirtus, & Receptiua potentia utraque lege quodammodo solutæ sunt. nam ex harum uirtutum usu, affirmatiuæ pariunt affirmatiuam, & negatiuam, ita tamen, ut, utraque existente affirmatiua, affirmatiua tantummodo colligatur. At de his postmodum diligentius tractandum erit, dum agetur de Argumentationibus.

*De Propositionum dispositionibus.*

*Cap. VIII.*

**R** O P O S I T I O N U M dispositiones præcipuæ deducendæ sunt ex dispositionibus materierum, ac perceptionum, quæ eisdem materiis aptari possunt, nec non ex dispositionibus, quæ earundem formis conueniunt. Materierum dispositiones pendent ex dispositionibus terminorum, ac copularum, de quibus iam dictum est,

realisimot

Perce-

Perceptiones itidem ex eorundem terminorum, ac copularum conceptionibus sunt deducendæ. quapropter in rationis ordine, perceptiones uniuersalium uniuersaliter conceptorum ita præcedent ceteris omnibus, ut subministrant aptissime principia, omnibus scientificis perceptionibus. Id uero (ut ex superioribus patet) tunc eueniet, dum tam Subiectum, quam Prædicatum ex certa uniuersalitate ratione concipientur: quemadmodum enim non percipientes, exempli gratia, id, quod de omnibus, ac de singulis hominibus in Quid primo prædicari, potest, non concipimus hominem uniuersaliter, ac ut speciem; & non attingentes ratiocinandi vim, tamquam constituentem Nominis speciem, non concipimus rationale uniuersaliter, ac ut uere differentiam munia sustinet; ita, nisi horum utrumque uniuersaliter conceptum associetur, non affirmatur uniuersaliter, Hominem esse rationalem, seu Rationale esse hominem.

Siquis autem non concipiens hominem, ut certam quandam rerum speciem, & Rationale, ut illius differentiam constituentem, proferat easdem propositiones, hic pythacorum more enunciabit, vel certe non attinget uniuersalem doctrinam. Easdem ob causas si quis dicat uere uniuersaliter, Rationale est risibile, seu Risibile est rationale, hic necessario concipiet Rationale, tamquam risibilis causam, & Risibile, tamquam propriam quoddam, quod ab hac causa effluit.

Specierum autem, ac generum conceptiones uniuersales differunt a perceptionibus differentiarum, ac proprietatum; quoniam species, & genera dum concipiuntur uniuersaliter, absque differentiarum perceptione concipiuntur absolute, sed confuse, non autem distincte. Differentiæ e contra, si absque specie concipiantur, concipiuntur distincte, sed relative, non autem absolute, idemque proprietatum conceptionibus euenit, excepto, quod hæc magis distant ab absolutis. Itaque, quamuis percipientes exempli gratia, Hominem de singulis hominibus in Quid prædicari, percipiamus hominem uniuersaliter, neque ulterius ambigere liceat, an talis conceptio sit uniuersalis, ignoramus tamen adhuc hominis rationem, ex qua distincta illius cognitio deducenda est; similiq. ratione, percepta rationalitatis vi, non tamen adhuc concepto homine, ut essentialiter rationali, constituitur quidem perceptio uere uniuersalis, ac distincta, sed relativa tantum, non autem absoluta. Itaque differentiarum perceptiones impellunt ad conceptus speciei, seu generis, ex quibus

realisimot

L

perfi-



perficiuntur. Proprietates vero distincte, ac resolute perceptæ, non autem absolute, impellunt non tantum ad Subiecti generis, seu speciei, sed etiam ad differentiæ perceptionem, necnon ad priorum proprietatum conceptus, dum ipsæ primæ non sunt. Differentiæ autem constituentes, & rationis, & causæ munia sustinere solent; rationis quidem, quatenus respiciunt speciem, seu genus, nam obijciunt intuendam illorum rationem, seu quod quid est; causæ uero, quatenus pariunt proprietates. Quapropter rectissime dictum est, quæstionem, in qua quæritur Quid sit, & quæstionem, in qua perscrutatur Propter quid sit, in idem cadere, in ipsius scilicet differentiæ perceptionem, ex qua colligenda est solutio vtriusque quæstionis. Dispositio earundem propositionum, quatenus ex simplici forma deducenda sit, his Legibus erit contexenda, quibus terminorum, ac copularum dispositionem moderandam diximus. nam respectu intuitus simplicioris, seu naturalis, imperfectiora perfectioribus præferrentur, respectu uero intuitus rationalis e contra. Pater autem propositionum perfectissime asserentium formas perfectissimas esse; Diuisiuas obtinere locum dignitatis his proximum; Tertium aptari Condicionalibus, Quartum Indeterminatis: ipsamque Interrogationis formam imperfectissimam esse. Ideo autem asserendum est, condicionalem excedere dignitatem Indeterminatæ, quæ ex Diuisiua immediate deducitur, quoniam perfectiori ratione asserit, & Indeterminatæ propositionis infirmitatem non parum corrigit. Hi tamen dignitatum gradus, qui aptantur propositionibus, ob differentias solius formæ, facile commutari possunt ob uarias materierum adiectiones. propositiones enim perfectissimæ formæ dum versantur circa ea, quæ sensus mouent, quæque, ut talia, ob summam certitudinem, interrogationem non uidentur recipere, imperfectiores censendæ erunt interrogationibus rerum præstantiorum, quod ex eo manifeste conuincitur, quoniam tales interrogationes ex simplicis Naturæ ordine supponunt certas aliquas rerum sensibilibus perceptiones. nam data rerum omnium ignorantia, Interrogatio dari non potest. Sicuti igitur propositiones perfectissimæ erunt, dum in eis formarum dignitas cõcomitatur materierum dignitatem (ut in illis euenit, quæ versantur circa communissimam latitudinem rerum conceptibilium) ita illarum perfectio, ac imperfectio diminuitur, seu augetur, dum formarum perfectioni aduersatur materierum imperfectio, seu e contra. Hinc factum est, ut

Condicio-

Condicionalis propositio, quæ respectu formæ ab utroque extremo est tertia, etiam in materierum transcurso, Mediatricis munia ut plurimum exercere possit, idque siue ex Naturæ ordine ab imperfectioribus cognoscendi gradibus tendatur ad perfectiores, siue ex rationali intuitu uis perfectioris cognitionis ad inferiora sit deducenda.

Si quis autem eosdem dignitatis, ac perfectionis gradus etiam circa propositionum uires discernere exoptet, hic ex iâ constitutis colligere poterit, Actiuam uirtutem, quatenus associat perfectissimam proponendi formam, esse ceteris omnibus præstantiorem; eandem, ut inest propositionibus Diuisiuis, secundam in dignitate censendam esse; Tertium locum aptari potentiæ Receptiuæ; Quartum Actiuæ uirtuti propositionis Condicionalis; Quintum Actiuæ uirtuti propositionis Indeterminatæ; post has uero collocandas esse, uirtutem Destructiuam, uirtutem Constructiuam ex correlario, & uirtutem constructiuam ex conuersione, ipsamque Inductiuam uirtutem, omnium imperfectissimam esse, Ideoque respectu naturalis intuitus primo loco exercenda est; respectu uero intuitus rationalis (prout subiecta materia patitur) postremo; nam optimus Medicus tunc dignoscitur, dum adamusim interrogare potest ea omnia, quæ conducunt ad ægroti infirmitatem optime discernendam; & in ceteris facultatibus idem euenit.





# CONTEMPLATIONIS SECUNDAE,

## Pars Tertia:

In qua agitur de uarijs copulationibus propositionum  
ad nouam veritatem eliciendam, seu de  
Argumentationibus.



*De communi Argumentationum natura.*

*Cap. I.*



PROPOSITIONVM decens appositio Argumen-  
tationem parit, haud secus, quam simplicium  
conceptionum conueniens copulatio Propositio-  
nem constituat. Tunc autem propositiones  
apte, atque decenter apponuntur, cum ipsarum  
vires ad idem constituendum, atque proban-  
dum concurrunt.

Hoc pluribus rationibus adimpleri solet, pro diuersa propositio-  
num natura, atque etiam pro multiplici earundem associatione.  
constat vero plurium propositionum vires tunc tantummodo ad  
idem confirmandum decentissime copulari, cum illarum vnaquae-  
que continet aliquod proprium, & aliquod commune: propositio-  
nes enim ex eisdem terminis constitutæ, plures propositiones non  
sunt, sed eadem, licet sepius repetita. Quod si plures sint, ex sola  
conuersione, seu ex collectiuæ virtutis vsu ab inuicem distinguuntur,  
neque Argumentationem perficere possunt. Propositiones vero ex  
termino utroq. seiunctæ, nihilq. commune continentes, neque si-  
bi inuicem copulantur, neque commune aliquod pariunt: patet  
enim propositionum copulationem, ac propositionum copulata-  
rum partum a simplicium conceptionum copulatione, atque ab ea-  
rundem partu omnino differre. Simples quidem conceptiones  
quoniam

quoniam indiuisibiles sunt, tertio aliquo omnino extraneo, ipsa sci-  
licet copula, coniungi solent; Nullum autem extraneum pariunt,  
sed omnis illarum vis, nouæ huic copulationi incumbit, nouamq.  
illius expressionem intendit. Econtra propositiones, quoniam di-  
uisibiles sunt, ex certa vniuscuiusq. parte, singulis interna (com-  
munis scilicet termini virtute) ad inuicem copulantur, & externum  
quoddam pariunt, propositionem scilicet, quæ tamquam totius Ar-  
gumentationis fructus a producentibus ea ratione distinguitur, qua  
ipsæ propositiones producentes inter se distinguuntur. Harum au-  
tem propositionum unaquæque propriam vocem sortita est: ea si-  
quidem, quæ ex præcedentium concursu pendet, Conclusionis no-  
men obtinuit; Propositiones uero præcedentes, Præmissæ appella-  
tæ sunt. Termini etiam, quatenus Argumentationes ingrediun-  
tur, certas quasdam denominationes obtinere. Itaque, qui in Con-  
clusionem prædicatur, ac Præmissarum uni est proprius, vocatur Ter-  
minus Maior. Qui uero in eadem subijcitur, ac alteri Præmissarum  
est proprius, dicitur Terminus Minor. Horum vnusquisque, Præ-  
missarum aliquam singulariter ingreditur, & ad Conclusionis con-  
stitutionem transmittitur, quoniam Præmissarum unaquæque cer-  
tum aliquod Conclusioni confert. Ideo autem Conclusionis præ-  
dicatum dicitur Terminus Maior, quoniam (ut alibi demonstra-  
tum est) si plura non comprehendat, quam Subiectum, ab illius uni-  
uersitate numquam deficit.

Simili ratione, Conclusionis subiectum appellatur Terminus Mi-  
nor, quoniam subiecto essentialiter conuenit, a Prædicati uniuersi-  
tate deficere posse, eam uero numquam excedere.

Terminus, utriusque Præmissarum communis, ob non dissimilem  
causam Terminus Medius dicitur. nam neque Maioris termini  
uniuersitatem transcendere potest, neque pauciora, quam Terminus  
Minor, comprehendere: Ideoq. tamquam inter utrumque medius  
est accipiendus. Eisdem etiam rationibus ex Præmissis illa, cuius  
terminus prædicatur in Conclusionem, dicitur Propositio Maior: Il-  
la autem, cuius terminus in eadem Conclusionem subijcitur, uocatur  
Propositio Minor. Et Maior quidem propositio priorem locum  
obtinebit, quoniam in rationis ordine, magis uniuersalia minus uni-  
uersalibus præferuntur.

Quamuis autem hæ terminorum, ac propositionum uoces ex di-  
uersis uniuersalitatibus præcipue deduci soleant, eadem tamē  
eisdem.

eisdem rectissime aptari poterunt, dum latitudinis series decurritur, in qua nulla datur vniuersalitatibus distinctio: tunc siquidem, licet singuli termini, ac propositiones singulæ commutari possint, recta tamen horum omnium dispositio sumenda est ex relationibus magis, seu minus essentialibus: nam magis essentialia, quæ in eodem rationis ordine præcedunt minus essentialia, obtinebunt locum magis vniuersalium: & minus essentialia, eorum, quæ sunt minus vniuersalia.

In ipsis uero Argumentationibus Conclusio accipitur, ut ignota; Præmissæ autem, ut præcognitæ: nam ex his Conclusio ignota est aperienda: rectissime siquidem dictum est, Omnem doctrinam, disciplinamq. discursuam ex præexistenti cognitione fieri.

Patet tamen, in Argumentationum usu, propositionum præcognitionem præcipue supponi: terminorum enim, ac copulæ cognitio ad rectam propositionis perceptionem attinet.

Sicuti autem (ut alibi diximus) ad propositionum perceptionem, de Copula prænoscimur Esse, & Quid significet; de Prædicato, tantummodo Quid significet; & de Subiecto, (quod ex innominatis etiam sumere licet) reale tantummodo Esse; Ita circa Argumentationum præmissas, illarum veritas erit prænoscenda.

Si quis autem Terminos Argumentationum attendat, ac singulorum perpendat munia, facile percipere poterit, Minorem terminum in tota Argumentatione id præstare, quod in unica propositione Subiecto conuenit; similiq. ratione terminum maiorem Prædicati, & terminum medium Copulæ, munia proportionem quadam sustinere. Hinc euenit, ut de Minori termino haud secus, quam de propositionis subiecto, illius tantum Esse necessario prænoscedum sit; de termino maiori, Quid uox significet; de termino medio utrumque: nam tam ad subiecti, quam ad Prædicati partes sustinendas, prout seu maiorem, seu minorem terminum respicit, est aptus. Quarum autem propositionum veritas absque ullo Argumentationum usu tute anticipetur, ex his manifestum est, quæ superius de Terminorum relationibus, ac de Propositionum differentijs, enarrata sunt.

In uarijs autem

libris

omni

libris

De

De Argumentationum generibus, speciebus, figuris, Modis, ac Perfectionum gradibus. Cap. II.



ARGUMENTATIONVM differentiarum communiore colligendæ sunt ex uiribus propositionum, ipsas Argumentationes primo ingredientium. Hæ (ut ex constitutis patet) sunt tres: Actiua scilicet uirtus, Receptiua potentia, & Virtus inductiua. Duæ priores, nisi ad inuicem copulentur, infecundæ sunt. Virtus autem inductiua, simili uirtuti adiuncta, aliquid utcumque arguit. Duo igitur præcipua Argumentationum genera admittenda erunt.

Primum Actiue uirtutis, ac Receptiue potentie uires manifeste exercet, atque syllogisticas Argumentationes complectitur, quæ, sicuti perfectioribus propositionum uiribus utuntur, ac uere perfecte sunt, ita ex unico tum Actiue uirtutis, tum Receptiue potentie usu, proprium opus, (Conclusionis scilicet illationem) ad consummationem perducunt: rectissime siquidem dictum est, Syllogismum esse orationem, in qua quibusdam positis, ac concessis, aliud quid ex necessitate, seu saltem probabiliter, sequitur.

Secundum Argumentationum genus eas Argumentationes colligit, quæ ex ipsa Propositionis uirtute, quam exercet, Inductiones appellari solent. Hæ, quoniam imperfectiori propositionum uirtuti inuirtuntur, licet non duas tantum, ut Syllogismus, sed plurimas propositiones præmittere soleant, nihilominus quantum ad uniuersalia pertinet, nihil ex necessitate concludunt, sed ad id, quod intendunt, tantummodo dirigunt, atque inducunt: Ideoq. tam Præmissarum uis, quam tota Argumentatio, talem denominationem obtinuerunt.

Siquis autem Inductionum robur certe perpendat, facile assentietur, eas nihil aliud esse, quam quendam syllogismum diminutum: nam, cum syllogismi ex duabus Præmissis constare debeant, dum una tantum præmissa assumitur, alia uero utcumque supponitur, syllogismi uis non omnino profertur, neque aperte exercetur, huiusmodiq. Argumentationes Enthymemata vocari solent.

Harum illa perfectior est, quæ maiorem propositionem profert, minorem autem supponit, ut puta, si dicatur,

Omnis homo est animal, Ergo Socrates est animal. Illa uero est imperfectior, quæ Minorem obijcit, Maiorem tacens, ut puta, si dicatur,



catur, Socrates est homo. Ergo Socrates est animal. Ad huius imperfectiorem Enthymematum ordinem, Inductio pertinere uideatur: facile enim intueri licet, illius propositionis præmissas, licet sint plurimæ (neque enim certum aliquem numerum exposcunt) cōtinere tamen tantummodo vim vnicae propositionis Minoris, in qua plura subiecta copulentur. nam idem est dicere ex plurium propositionum usu, Socrates est risibilis, Plato est risibilis, Petrus est risibilis, & reliquorum, qui visi sunt, vnusquisque, est risibilis; quam si ex vnicae propositionis usu dicatur, Socrates, Plato, Petrus, & reliquorum, qui visi sunt, singuli sunt risibiles. Sicuti igitur hac propositione vnica sic proposita, nihil infertur, absque alterius propositionis, quæ subicitur, virtute, (vt puta, singulis hominibus, qui apparent, risibilibus existentibus, probabiliter colligi posse, Omnes homines esse risibiles;) ita, nisi eiusdem Maioris vis supponatur, ex usu plurium propositionum, inducendi vi præditarum, nulla erit concludendi ratio. In eo tamen Inductiones imperfectum Enthymema excellere videntur, quoniam vt plurimum circa ea versantur, quibus primæ ac communissimæ certitudinis vis promptius opitulatur. Ideoq. absque vilo Maioris propositionis usu Mens nostra Conclusioni tutius assentitur.

Syllogismorum plures differentia, ac species admittendæ sunt: constat enim actiuam propositionum virtutem, cuius in Syllogismi opere consummando partes potissimæ sunt non tantum perfectissimæ, ac diuisiuae proponendi formæ aptari, sed etiam conditionali, & indeterminatæ, necnon his, quæ simul seu conditionales, ac diuisiuae sunt, seu conditionales, ac indeterminatæ. Propositionum autem formis immutatis, illarumq. præsertim, quæ omnem agendi uirtutem continent, syllogismorum formas non immutari impossibile est. Sicuti igitur communissimi generis, Argumentationes omnes amplectentis, distinctio ex uiriis, quæ in Argumentatione exercentur, distinctione pendet; ita syllogisticae Argumentationis species ex formalibus propositionum differentijs deducendæ erunt.

Inductiua autem Argumentatio, quatenus a syllogismis sciungitur, quoniam perfectissimæ tantum formæ usum admittit, in plures species non distinguetur. Syllogisticae Argumentationes admittere possunt propositiones formæ perfectissimæ, formæ diuisiuae, formæ conditionalis, & formæ indeterminatæ, Ideoq. ob huiusmodi

iuismodi præmissarum differentias ad plures deducuntur species. syllogismi enim, qui propositionum, seu perfectissimæ formæ, seu formæ diuisiuae usum recipiunt, Cathgorici appellandi erunt: similiq. ratione, qui condicionalem propositionem assumunt, Conditionales; Qui uero indeterminatam, Diuisiui. Hi autem ideo dicuntur Diuisiui, quoniam, diuisiuae propositionis vi de medio sumpta, nulla indeterminatarum propositionum veritas admitti posset. Cathgorici syllogismi ita in Præmissarum constitutione, trium terminorum usum retinebunt, vt duorum priorum nullus in ipsis præmissis repetatur; illorum uero uterque Conclusionem ingrediatur. Huius syllogismi exemplum erit,

Omne animal est sensituum.

Omnis homo est animal.

Ergo Omnis homo est sensituius.

Conditionales syllogismi, ac Diuisiui conueniunt cum Cathgoricis, quoniam tres tantummodo terminos complectuntur: sed ab illorum natura recedunt, quoniam terminos proprios in ipsis præmissis bis repetere solent; Conditionalis siquidem propositio, quæ in conditionali syllogismo primum occupat locum, ex tribus terminis constituitur, huicq. alia propositio formæ perfectioris est subicienda, quæ, ne terminorum numerum ternarium transgrediatur, eosdem repetat necesse est. Indeterminata similiter propositio, plura prædicata complectitur: quorum aliquod in Minori repetendum est. Et hæc quidem in Conditionalibus ob subiecti, in Diuisiuis uero ob Prædicati infirmitatem eueniunt.

At silentio prætereundum non est, virtutes constructiuas ex conuersione, & ex correlario, atque etiam Destructiuam, quarum nulla perfectum discursum parit, perfectis discursibus, ipsiq. præcipue syllogismis sæpius inseruire. ipsæ enim uirtutes constructiuae ex conuersione, seu ex correlario, propositionum, syllogismos ingredientium, infirmitati mederi solent. Destructiua uero uirtus, totam Argumentationem fulcit. quod, dum accidit, Argumentationum formæ quodam pacto immutari videntur, Ideoq. Cathgorici, qui absque vilo Destructiuae uirtutis usu, proprio muneri incumbunt, Recti appellantur; Illi uero, qui Destructiuae uirtutis adiumenta recipiunt, Obliqui dicendi sunt. Simili ratione syllogismi conditionales, quatenus non utantur Destructiua uirtute, conditionales constructiui appellandi erunt: quatenus uero ea utantur, erunt Con-

dicionales Destructiui. Syllogismi Diuisiui Destructiuæ virtutis vsum non admittunt, quoniam Prædicata propositionis indeterminate, quatenus distinguuntur, Diuisiuæ propositionis vi non deficiente, plures propositiones constituunt, quæ Contradictoriarum propositionum vim continent. Inductiones, dum non assumunt Destructiuæ virtutis vsum, simplices; dum vero assumunt, Compositæ, dicendæ erunt.

Singulæ autem Argumentationum syllogisticarum species, cathgorica videlicet condicionalis, & diuisiua, quæ ex formalibus propositionum differentijs ab inuicem distinguuntur, plures syllogizandi formas complectuntur. quarum vnaquæque plures modos admittit; quorum itidem vnusquisque non paucos perfectioris, ac imperfectioris gradus, atque etiam plures denominationes suscipere solet. Et ipsæ quidem figuræ, singulas syllogisticarum Argumentationum species contrahentes, ex multiplici terminorum, propositionum ingredientium, dispositione deducendæ sunt. Singulæ vero figuræ Modi, earundem præmissarum qualitatem, ac quantitatem consequuntur.

Perfectioris autem gradus, quibus singuli modi distinguuntur, ac certas denominationes inducunt, eas terminorum, ac propositionum differentias comitantur, quibus ipsæ propositiones essentielles, seu non essentielles; Necessariæ, seu non Necessariæ, appellari solent. At horum vnumquodque diligentius perquirendum, atque explicandum est.

*De syllogismorum rectorum figuris. Cap. III.*



RES termini, ex quibus duæ Cathgoricorum syllogismorum Rectorum præmissæ constituuntur, si omnes serierum Modi possibiles attendantur, quattuor rationibus disponi poterunt. terminus siquidem utriusque communis, quem Medium terminum appellari diximus, potest subijci in propositione Maiori, in Minori autem prædicari: in Maiori prædicari, & in Minori subijci; in utraque prædicari, & in utraque subijci.

Horum quattuor modorum priorem, rerum ordini quammaxime conuenire manifestum est: in eo enim terminus maior, qui ceteris duobus vniuersalior, vel certe non minus vniuersalis est, tamquam

quam magis vniuersalis ingreditur: prædicatur enim de termino communi, seu medio, qui de termino minori prædicatur.

Secundus modus ( ut earundem rationum vi demonstrari potest) rerum, ac Naturæ ordinem omnino peruertit: quare veritati nullo modo inferuiet, & inutilis omnino erit.

Duo autem modi posteriores, quoniam Naturæ ordinem neque penitus retinent, neque penitus peruertunt, a prioris quidem modi perfectione longe deficient; utiles tamen in quibusdam erunt.

Et hi quidem syllogismorum modi utiles; tres eorumdem syllogismorum figuras constituent, primam scilicet, secundam, & tertiam. Prior autem, quoniam perfecta est, ac Naturæ ordini omnino consona, non tantum perfectissimam proponendi formam, sed Diuisiuam etiam, atque Indeterminatam admittet, atque circa omnes materierum differentias versari poterit, conclusionemque tum affirmatiuam, tum negatiuam, veritati consonam pariet.

Figura secunda affirmatiuam Conclusionem non pariet. nam in ea terminus medius prædicatur in vtraque præmissarum, accipiturque ob id tamquam terminus, Maiori, ac Minori communior. Impossibile autem est, huiusmodi medij virtute, terminum maiorem de termino minori affirmatiue prædicari. Quare negatiuam tantummodo Conclusionem educet, quæ tamen ex parte quantitatis plures differentias admittit.

Figura tertia, in qua medius terminus in vtraque præmissarum subijcitur, particularem conclusionem tantummodo pariet: impossibile enim est, terminum maiorem, virtute Medij termini, cui subijcitur, de minori termino, cui idem medius terminus subijcitur, vniuersaliter prædicari.

Quare tertia hæc figura, secunda erit imperfectior. Vtriusque tamen syllogismi ad primam figuram deduci poterunt, ut in ea decentem consummationem recipiant, ac roborentur: nam imperfecta ex Naturæ ordine perfectionem exquirunt, eamque a perfectioribus consequuntur. Ipsius igitur primæ, perfectissimæque figuræ non tantum Modi, sed Modorum etiam singulorum materiales differentia, diligenti examine perquirendæ, atque explicandæ sunt. his enim recte perceptis, ceterarum figurarum, ac Modorum omnium, qui ab illarum unaquaque exerceri possunt, materiæ, ac materierum differentia omnes percipientur.

*De Primo Modo syllogismorum rectorum figuræ primæ, atque de materiis, circa quas exerceri potest, differentijs, simulq. de Demonstrationibus potissima, Propter quid, Signi, & Quia. Cap. IIII.*



PRIMÆ figuræ primus modus ille erit, in quo utraque præmissarum est affirmatiua, atque etiam uniuersalis, ut puta, si dicatur,

Omne A est B,

Omne C est A,

Ergo Omne C est B,

Modus iste, quoniam affirmatio negationem dignitate præstat, & Vniuersale nõ vniuersale, ceteros omnes dignitate excelsit. Quare affirmatiue, atque vniuersaliter concludet, quod nulli aliorum datum est. Illius etiam illatio non tantum firmissima, atque tutissima erit, sed ceteris illationibus omnibus, affirmatiuisq. præsertim, vim, ac robur subministrabit: apparet enim ex sola communissimi principij vi, illud, quod alicui prædicato affirmatiue, & vniuersaliter subijcitur, illis omnibus affirmatiue, & vniuersaliter subijci, quibus idem Prædicatum affirmatiue, atque vniuersaliter subijcitur: si quis enim hoc neget, asseratque, exempli gratia, Viuens, (quod de animali vniuersaliter affirmatur) de homine, de quo animal vniuersaliter affirmatur, non affirmari vniuersaliter; huic fatendum esset, Viuens ipsum de animali & vniuersaliter affirmari, & vniuersaliter non affirmari, quod primæ ac omnium firmissimæ certitudini repugnat.

Tribus autem rationibus ex vniuersalibus affirmatiuis licet syllogizari.

Prima est, dum præmissarum vtraque accipitur ex latitudinis serie, atque etiam ex eadem serie: neque enim aliter communem terminum complecti possent, sed ex quattuor terminis necessario constituerentur.

Secunda est, dum vtraque ex longitudinis serie sumitur; quæ series easdem ob causas erit vtrique communis.

Tertia ratio est, dum vna præmissarum ad latitudinis, altera vero ad longitudinis seriem pertinet.

Dum prima ratio exercetur, ut plurimum vtraque præmissarum erit formæ perfectissimæ, ut puta, dum dicitur,

Omne

Omne appetituum est motiuum.

Omne animal est appetituum.

Ergo Omne animal est motiuum.

Quandoque Maior erit Diuisiua, Minor autem formæ perfectissimæ ut puta, dum dicitur,

Omne sensituum est vel rationale, vel irrationale.

Omne animal est sensituum.

Ergo Omne animal est vel rationale, vel irrationale.

Hæc autem Argumentatio ita ad latitudinem spectat, ut simul ex Diuisiue virtute asserere videatur propensionem quandam ad longitudinis seriem.

Huius primi ordinis Syllogismi probant ea, quæ vere sunt ignota, quæque Subiecto propriissime, ac primo conueniunt. Ideoque ex his tantummodo Scientiæ Syllogisticæ consummandæ prima constitutio deducenda erit.

Ipsæ autem scientificæ Demonstrationes, si ad inuicem comparantur, erunt ex eo digniores, indignioresue, quoniam circa magis, minusue vniuersalia versentur. Ex eo vero erunt firmiores, seu infirmiores, quoniam magis, minusue primis, ac immediatis innitantur: vniuersaliores enim minus vniuersalium dignitatem excelsunt, simulque easdem tuentur. Illæ vero, quæ primis, ac immediatis insistant, quammaxime firmæ sunt, præsertim si præmissarum vnaquæque sit prima ac immediata, seu primis, ac immediatis insistentis: tunc quippe rationis nostræ perceptio illis visionibus proportionem respondet, quæ versantur circa visibile, decentissime illustratum, ac decentissime oculo obiectum. Siquis enim vtrumque percipiendi ordinem comparet, facile animaduertet, Maiorem propositionem id præstare in rationis nostræ intuitu, quod a lumine in sensibilibus visione exhiberi solet: Minorem vero, rem ipsam animo discernendam obijcere. Vtraque igitur præmissarum, prout illi conuenit, prima, atque immediata existente, vtrumque decentissime præstat, & scientifica perceptio summam perfectionem assequitur; euenitque ob id, ut huiusmodi Syllogismi Demonstrationum Potissimarum vocem admittant: in illis siquidem demonstratur propria passio de Subiecto, cui primo conuenit, per propriam causam: idque ea ratione, ut simul demonstretur, rem esse, essendi causam, hancque vere esse causam, neque rem aliter se habere posse. Dum autem præmissarum altera, seu vtraque non est immediata,

ac

ac prima, seu primis inhærens, neque tamen termini ita distant, ut causæ vis, rationis nostræ intuitum omnino subterfugiat, Demonstrationum robur non parum infirmatur, haud secus, quam visio infirmari solet, dum id, quod videndum est, seu lumine debiliori perfunditur, seu longius, quam par sit, distat, seu etiam patitur utrumque malum, ita tamen, ut visum omnino non effugiat. nam, si omnino effugit, nulla est visio, sicuti, dum ob summam terminorum distantiam, rationis intuitus, causæ vim nullo modo attingit, nulla est demonstratio. Ideo autem ea, quæ ad latitudinis seriem pertinent, probantur simul tum respectu ipsius Esse, tum respectu causæ, ac Potissimam Demonstrationem admittunt, quoniam horum vnumquodque ex necessitate est vel vniuersale absolutum, vel commune communiter acceptum.

Sicuti igitur horum nullum absque certo mentis nostræ lumine, seu simpliciter, seu ut alteri adiunctum, concipi potest, ita illorum vnumquodque ex unius tantummodo rationis, seu causæ uirtute colligendum est.

Quamobrem, hac percepta, omnino percipitur, clarius tamen, seu obscurius, ut ex superioribus patet. Hac vero non percepta, penitus ignoratur. quod circa ea, quæ ex pluribus causis deduci possunt, non accidit: hæc siquidem non tantum clarius, & obscurius sciri possunt, sed etiam partim sciri, & partim ignorari. nam, dum causarum aliqua attingitur, ceteræ vero latent, eiusdem rei scientia, & inscientia quodam modo copulantur; Ideoq. sæpius uel illius demonstrationis, quæ dicitur Demonstratio (Quia) rei Esse attingimus, causam autem ignoramus, quæ noua syllogizandi ratione, ex qua constituitur Demonstratio (Propter quid) perquirenda erit. In secunda syllogizandi ratione, quæ ad eundem primæ figuræ modum primum pertinet, quæque præmissas ex longitudinis serie accipit, illarum utraque erit perfectissimæ formæ: neque enim ea, quæ ex huiusmodi serie accepta ad inuicem copulantur, aliam proponendi formam admittunt. Hæc syllogizandi ratio firmissima quidem erit, sed nihil vere ignotum concludet: patet enim ex illius uel Essentiæ partes colligi, atque definitionis constitutionem foueri: ex qua principiorum perceptio pendet.

Et hæc quidem Principiorum scientia, cum sit omnium præstantissima, si recte ad usum deducatur, demonstrare potest ea, quæ uere sunt ignota, atque a summa vniuersalitate recedunt.

Quod

Quod autem dicti syllogismi uere nihil ignotum probent, ex eo manifestum est, quoniam his semper inniruntur, quæ, quatenus sint ignota, sunt magis ignota, quam id, quod concluditur: Quatenus uero sint nota, eodem sunt minus nota: assumunt siquidem prædicatum minus vniuersale ad prædicati magis vniuersalis confirmationem, ut puta, Hominem animal esse, ad probandum, Hominem uiuentem esse, quod longe est clarius. nam communiora, ac vniuersaliora sunt magis nota, quam minus communia; Ideoque, data terminorum notitia, impossibile est cognoscere, Hominem esse animal, nisi si cognoscatur, Hominem esse uiuentem, cum tamen nihil repugnet cognoscere, Hominem esse uiuentem, & nescire, Eum animal esse.

Et hæc ueritatem continent, seu rationis ordo attendatur, seu naturalis. Quod enim ad rationis progressum attinet, manifestum est, magis vniuersalia, & primo occurrere, & ad minus vniuersalia elucidanda uim propriam extenderæ.

Quantum autem ad Naturæ progressum, nouimus, particularia ex communioribus rationibus prius concipi, mox uero sub rationibus contractioribus, ipsumque rationis intuitum tunc decentissime exerceri, dum primo circa id detinetur, quod in Naturæ progressu, primi Prædicati sustinet partes.

In tertia syllogizandi ratione, quæ alteram præmissarum ex longitudinis serie, alteram uero ex latitudinis assumit, ea, quæ ad latitudinem pertinet, semper erit magis uniuersalis, quam illa, quæ ex longitudine sumitur, Ideoq. semper Maioris locum obtinebit. Eadem etiam perfectissimam propositionum formam, atque etiam Diuisiuam, admittet.

Huiusmodi uero syllogismi aliquod quidem ignotum probare poterunt, sed ea ratione, ut nihil aliud obijciant, quam communioris ueritatis contractionem, seu extensionem. Ex quo euenit, ut ea, quæ soli Subiecto, ac primo insunt, demonstrare non possint: dum enim, exempli gratia, dicimus,

Animal est sensituum,

Homo est animal,

Ergo Homo est sensituius. seu,

Animal est rationale, uel irrationalæ,

Homo est animal,

Ergo, Homo est rationalis, uel irrationalis.

Demonstratur sensituum de homine, nec non rationale, seu irrationalæ:

rationale: quorum nullum ipsi homini primo conuenit. Ex tali autem syllogizandi ratione, quæ numquam Demonstrationem perfectissimam conficere potest, sæpius rei causam, sæpe etiam rei Esse tantummodo probari solet. scientiæ enim extensio perducenda est non tantum ad minus vniuersalia, sed ad communia communiter accepta, atque etiam ad singularia æterna.

Horum vero plurima, ea prædicata admittunt, quæ pluribus medijs probari possunt. Hæc igitur syllogizandi ratio illas complectetur Demonstrationes, quæ seu Propter quid, seu Ipsius Esse, ac Quia, appellari solent.

Dum circa absolute uniuersalia syllogizatur, rei causa confirmari videtur: dicens siquidem, Animal est sensituum, terminorumque vim attingens, percipiat necesse est, Animal ex sensituo, tamquam ex propria ratione, constitui.

Dum igitur subijcit, Hominem esse animal, colligitque, Eundem sensituum esse, eadem ex necessitate conspiciet, Sensituum pertinere ad hominis rationem ex ea parte, qua est animal.

Dum uero syllogizandi uis deducitur ad communia, seu etiam ad singularia æterna, tam causa, quam rei Esse, (seiuunctim tamen) demonstrari solent, prout seu priora sunt ignota, posteriora uero cognita; seu e contra. si quis enim arguat,

Quæ contrario carent, sunt incorruptibilia,

Cælestia corpora contrario carent.

Ergo sunt incorruptibilia;

Hic a posteriori videbitur arguere, atque incorruptibilitatem cælorum ex quodam posteriori demonstrare.

Quod si dicat,

Omnia, quæ a Deo immediate creantur, sunt incorruptibilia.

Corpora cælestia immediate creantur.

Ergo sunt incorruptibilia;

Eiusdem Conclusionis causam videbitur afferre.

Si quis autem circa singularia æterna, seu etiam circa corruptibilia, quæ sensu percipiuntur, syllogizans his innitatur, quæ sensus ipse percipit, puta, nunc dari defectum Lunæ, colligatque, exempli gratia, Nunc dari Terræ interpositionem diametralem inter Solem, & ipsam Lunam; hæc Demonstrationes, quæ Demonstrationes (Signi,) recte, ni fallimur, appellabuntur, utraq; præmissarum uniuersalium non assument, Ideoq; erunt, non huius primi modi, sed alterius.

De reliquis primæ figuræ modis, atque de singulorum materijs.

Cap. V.



LLIVS syllogizandi modi, qui in prima figura primum occupat locum, partibus, ac materijs satis expositis, nunc deueniendum est ad aliorum eiusdem figuræ modorum constitutionem, atque ad singulorum materias exponendas.

Sciendum igitur est, dari alium huius figuræ modum, qui utramque præmissarum uniuersalem assumens, veritatis indagatiōi, atque demonstrationi inseruire potest. In hoc modo altera erit negatiua, altera uero affirmatiua: impossibile enim est, Præmissarum utramque negatiuam esse. nam alibi demonstratum est, Actiuam virtutem propositionis negatiuæ extendi non posse, dum recipientis propositionis subiectum proprio subiecto affirmatiue non copulatur; Receptiuamque eiusdem potentiam ab alterius propositionis actiua virtute nulla ratione attingi, nisi proprium prædicatum in ea affirmatiue subijciatur. Negatiua uero semper erit Maior, affirmatiua autem Minor. nam, si locus Maioris assignaretur affirmatiuæ, Medij termini uis inutilis esset. cum enim hic terminus, tamquam Maioris termini uniuersalitatē non excedens, eidem Maiori termino in hac figura subijciatur, de Minori uero termino prædicetur, dato, Maiorem esse affirmatiuam; sequeretur, Id, quod est communius, virtute illius, cui non repugnat, si sit minus commune, negari posse: quod Natura non patitur: si quis enim dicat, Omne A est B, Nullum C est A, nulla ratione inferre licebit, Nullum C esse B, nam B quod est communius, poterit & A & C, conuenire; quemadmodum animal & homini, & Leoni conuenit; Ideoque neque si dicatur, Omnis homo est animal, Nullus Leo est homo, inferre licebit, Nullum Leonem esse animal. At e contra, si negatiua affirmatiuam præcesserit, Medij termini uis quam optime exerceri poterit. nam posito, Nullum A esse B, & Omne C esse A, quam tutissime inferre licebit, Nullum C esse B: Similique ratione, dato, Nullum hominem esse Leonem, & Omne risibile esse hominem, inferre licebit, Nullum risibile Leonem esse. Huius secundi Modi robur omne deducitur a propositione dicente, Illud, quod de re aliqua uniuersaliter negatur, de illis etiam negabitur, de quibus dicta res uniuersaliter affirmatur. Et hæc quidem responderet propositioni,

N ni,



ni, cui primus innititur Modus, atque ex ea etiam pendet haud secus, quam Negatio (quæ Affirmatione natura posterior est) ab Affirmatione pendeat.

Clarius autem idem syllogizandi modus ratione Materiæ ab eodem primo Modo deducitur: superius quippe demonstratum est, Negatiuas propositiones veritati consonas, atque indubitatae certitudinis, constitui, ac foueri affirmatiuarum, ac diuisuarum propositionum uirtute, quæ ad ipsum primum Modum pertinent. Supradicti igitur secundi Modi munus præcipuum erit, confirmare, ac demonstrare vniuersales negatiuas omnes, necnon communes, quæ certitudinem aliquam admittere possunt vi illarum negatiuarum, quæ ex Diuisuarum uirtute primo constituuntur, necnon Affirmatiuarum, quæ primis negatiuis recte subijciuntur.

Quare, cum harum vniuersalium negatiuarum cognitio ad perfectas scientias pertineat, in his duobus modis omnium scientiarum materiæ colligi poterunt.

Præter supradictos duos modos dantur plures alij modi eiusdem primæ figuræ: inter quos duo illi dignitate præstare videntur, qui alteram præmissarum absolute vniuersalem assumunt, ut scilicet sustinere possit, si sit affirmatiua, Signum (Omnis: ) Si vero sit negatiua, Signum (Nullus. )

Horum vterque vniuersali, seu communi absolutæ subijcit affirmatiuam particularem: mediæ enim propositiones, licet ex communibus deducantur, attamen neque illis, neque vniuersalibus absolutis aut præesse, aut subijci possunt. Ipsæ autem particulares semper vniuersalibus subijciuntur. nam, ut ex superioribus patet, Maioris locus, præsertim in hac figura, vniuersalioribus concedendus est.

Horum duorum modorum prior vniuersalem affirmatiuam assumet, atque particularem affirmatiuam illi subijciet, vt puta, dum dicitur.

Omnis A est B,

Aliquod C est A,

Ergo, Aliquod C est B.

Negatiua particularis, affirmatiuæ vniuersali vtiliter subijci non potest. neque enim vi negationis rei minus vniuersalis, negatio rei magis vniuersalis infertur.

Posterior autem modus vniuersalem negatiuam assumet, illiq. parti-

particularem affirmatiuam subijciet, vt puta, dum dicitur,

Nullum A est B,

Aliquod C est A,

Ergo Aliquod C non est B,

Negatiua particularis, negatiuæ vniuersali subijci non potest, vt ex his patet, quæ superius demonstrata sunt.

In vtroque modorum dictorum Conclusio est particularis, quæ in posteriori etiam negatiua est: ipsa enim conclusio deteriore partem præmissarum ex necessitate sequitur. Sciendum autem est, in tertio modo, Diuisiuæ propositioni, locum Maioris concedi posse, vt puta dum dicitur,

Animal est vel rationale, vel irrationale.

Socrates est animal. Ergo &c.

Dictorum modorum robur ex duabus propositionibus pendet, quæ illis proportionem respondent, quibus firmantur duo priores, ac ceteris omnibus præstantiores Modi; immo ab eisdem deducuntur, quatenus ad particularia, quibusdam vocibus mutatis, contrahi possunt, sicuti etiam ipsi syllogizandi modi ab eisdem præstantioribus modis ex simili contractione colliguntur, tertius scilicet a primo, quartus vero a secundo. Quapropter circa easdem materias versari possunt, his exceptis, quæ assignantur demonstrationibus, vtramque præmissarum ex latitudinis serie accipientibus. constat enim propositionem particularem, quatenus vniuersaliter subijcitur, ad longitudinis seriem pertinere.

Horum igitur modorum fructus constituetur in extensione eorū, quæ ad perfectiores modos pertinent. Et hæc quidem extensiones tot ordinū erunt, quot sunt vniuersalium, ac comunium ordines.

Erunt etiam, ratione non dissimili, tot graduum, quot sunt particularium indeterminationes, atque determinationes: necessario enim negatio prius extendi debet ad minus determinata, nam comunium naturam magis sapiunt, mox vero gradatim ad magis determinata, quoad perueniatur ad hoc, uel istud. Huiusmodi argumentationes ( quantum ad illationis uim ) a perfectiorum demonstrationum robore parum deficient; ratione autem materiarum, seu subiectorum, quam maxime ab illarum præstantia recedent: uersantur enim circa singularia, ac particularia, quæ uel corruptibilia omnino sunt, uel diuersimode mutabilia; atque ob hæc præcipue, huiusmodi argumentationes modos sustinere possunt.

Supradictos syllogizandi modos sequuntur modi illi, in quibus neutra præmissarum est uniuersalis absoluta. In his propositio media, uniuersali, ac communi, seu absolutæ, seu uagæ, subijci non potest. Non subijcitur uniuersali, seu communi absolutæ, nam ipsis Medijs commune est, vtramque uniuersalem, seu communem, affirmatiuam scilicet & negatiuam, destruere, Ideoq. locum Minoris accipiens, Maiorem propositionem destrueret, atque omnem syllogizandi subuerteret uim. Non subijcitur uniuersali, seu communi uagæ: nam uaga propositio, licet communis, ex eo uaga appellatur, quoniam nullam certam formam ex propria ui retinet, Ideoq. quatenus sic assumpta, actiuæ uirtutis usum non recipit. Supradictorum igitur modorum ille erit præstantior, qui mediam propositionem tamquam Maiorem assumens, communem uagam tamquam Minorem illi subijcit: nam propositio uaga, cui Minoris locus ascribitur, ex necessitate est affirmatiua. media siquidem propositio, quæ Maioris sustinet partes, utriusque qualitatis uim complectitur, Ideoq. neque Negatiuæ copulari, neque in Negatiuam, propriam uirtutem extendere potest. Supradicti modi, qui quintum obtinet locum, exemplum erit.

Membra naturalia ut in pluribus cōmodiori figura sūt prædita.  
Manus hominis est membrum naturale.

Ergo Manus ut in pluribus commodiori figura erit prædita.

Huiusmodi conclusio particularis esse non potest, quoniam præmissarum nulla est particularis. Non potest esse uniuersalis, tum quia syllogismus uniuersalem absolutam non assumit, sed uagam, quæ a Maiori media determinationem recipit; tum quia ipsi Conclusioni deterior condicio ex necessitate infigitur.

Supradictus syllogizandi modus indistincte, & affirmatiue, & negatiue proferri potest, neque tamen ob id propriam naturam, seu uim immutabit, quoniam, (ut superius demonstratum est) ipsæ Mediæ propositiones, utriusque qualitatis uim complectuntur. Quare, dato, Instrumenta naturalia ut in pluribus perfectiori forma esse prædita, datur etiam, Eadem naturalia membra ut in pluribus forma perfectiori non carere. Quamobrem, si subijciatur, Manus est membrum naturale, eadem elicietur conclusio, licet non eadem loquendi forma.

Huius syllogizandi modi materiæ propriæ erunt propositiones omnes, quæ ab omnino essentialibus deficiunt, quæque, cum perfe-

ctam

ctam scientiam non sustineant, ad ipsam experientiam quampropijissime pertinere videntur. quod ex his, quæ de Inductionum materijs dicenda sunt, clarius apparebit.

Supradicto syllogizandi modo sextus adiungitur, ille scilicet in quo Maior est media, Minor uero particularis, quæ etiam rationibus superius adductis affirmatiua ex necessitate erit, & Conclusio similiter erit particularis, Illatio autem non absoluta, sed coniecturalis: mediæ enim propositionis actiua uirtus absolute extendi non potest. Dicitur modi erit exemplum.

Manus hominis ut in pluribus est figuræ perfectioris.

Hæc est manus hominis.

Ergo Verisimile est, hanc manum esse perfectioris figuræ.

Supradictus autem syllogismus negatiuus quoque reddi potest, sicuti de modo superiori dictum est. Huius syllogizandi materiæ neque experimentales sunt, neque sensitiuæ, sed coniecturales. licet enim Maior sit experimentalis, Minorq. sensu confirmari possit, nihilominus, quoniam Conclusio neque experimentalis est, neque sensu probatur, sed probabili ratione, ad Coniecturam quæ rectissime deduci potest, cum præsertim omnium syllogismorum materia ex ipsa Conclusionem tantummodo sit determinanda. Ipsæ autem coniecturales materiæ in duas partes præcipuas distingui possunt. quarum altera, illa omnia complectitur, quæ liberæ nostræ uoluntatis vi a necessitate recedunt. ad alteram uero illa pertinent, quæ naturalium agentium vi, seu ob propriæ naturæ condicionem, Accidentibus, atque etiam mutationibus multipliciter sunt subiecta.

Supradictos syllogizandi modos sequuntur illi, in quibus præmissarum utraque est particularis, ita tamen, ut altera minus determinata existens, alteram, quæ magis determinata erit, quodam pacto complecti possit: hoc quippe ad syllogisticam ratiocinationem constituendam sufficit, licet ordinis imperfectioris. non enim negandum est, præmissarum complexum, dum altera est uniuersalis, longe præstantiori ratione perfici.

Præterea, præmissarum particularium ueritas non oritur ex aliqua Naturæ necessitate, seu ex his, quæ Naturæ ordini aduersantur, Ideoque facti potius, quam Naturæ appellanda est.

Ex huiusmodi uero propositionum particularium copulatione, duo syllogizandi modi recte constituentur: possibile enim est, & illarum utramque esse affirmatiuam, & Maiorem negatiuam, Minorem

rem.

Supradictos syllogizandi modos sequuntur modi illi, in quibus neutra præmissarum est uniuersalis absoluta. In his propositio media, uniuersali, ac communi, seu absolutæ, seu uagæ, subijci non potest. Non subijcitur uniuersali, seu communi absolutæ, nam ipsis Medijs commune est, vtramque uniuersalem, seu communem, affirmatiuam scilicet & negatiuam, destruere, Ideoq. locum Minoris accipiens, Maiorem propositionem destrueret, atque omnem syllogizandi subuerteret uim. Non subijcitur uniuersali, seu communi uagæ: nam uaga propositio, licet communis, ex eo uaga appellatur, quoniam nullam certam formam ex propria ui retinet, Ideoq. quatenus sic assumpta, actiuæ uirtutis usum non recipit. Supradictorum igitur modorum ille erit præstantior, qui mediam propositionem tamquam Maiorem assumens, communem uagam tamquam Minorem illi subijcit: nam propositio uaga, cui Minoris locus ascribitur, ex necessitate est affirmatiua. media siquidem propositio, quæ Maioris sustinet partes, utriusque qualitatis uim complectitur, Ideoq. neque Negatiuæ copulari, neque in Negatiuam, propriam uirtutem extendere potest. Supradicti modi, qui quintum obtinet locum, exemplum erit.

Membra naturalia ut in pluribus cōmodiori figura sūt prædita.  
Manus hominis est membrum naturale.

Ergo Manus ut in pluribus commodiori figura erit prædita.

Huiusmodi conclusio particularis esse non potest, quoniam præmissarum nulla est particularis. Non potest esse uniuersalis, tum quia syllogismus uniuersalem absolutam non assumit, sed uagam, quæ a Maiori media determinationem recipit; tum quia ipsi Conclusioni deterior condicio ex necessitate infigitur.

Supradictus syllogizandi modus indistincte, & affirmatiue, & negatiue proferri potest, neque tamen ob id propriam naturam, seu uim immutabit, quoniam, (vt superius demonstratum est) ipsæ Mediæ propositiones, utriusque qualitatis uim complectuntur. Quare, dato, Instrumenta naturalia ut in pluribus perfectiori forma esse prædita, datur etiam, Eadem naturalia membra ut in pluribus forma perfectiori non carere. Quamobrem, si subijciatur, Manus est membrum naturale, eadem elicietur conclusio, licet non eadem loquendi forma.

Huius syllogizandi modi materiæ propriæ erunt propositiones omnes, quæ ab omnino essentialibus deficiunt, quæque, cum perfectam

etiam scientiam non sustineant, ad ipsam experientiam quamproprijissime pertinere videntur. quod ex his, quæ de Inductionum materijs dicenda sunt, clarius apparebit.

Supradictio syllogizandi modo sextus adiungitur, ille scilicet in quo Maior est media, Minor vero particularis, quæ etiam rationibus superius adductis affirmatiua ex necessitate erit, & Conclusio similiter erit particularis, Illatio autem non absoluta, sed coniecturalis: mediæ enim propositionis actiuæ uirtus absolute extendi non potest. Dicti modi erit exemplum.

Manus hominis ut in pluribus est figuræ perfectioris.

Hæc est manus hominis.

Ergo Verisimile est, hanc manum esse perfectioris figuræ.

Supradictus autem syllogismus negatiuus quoque reddi potest, sicuti de modo superiori dictum est. Huius syllogizandi materiæ neque experimentales sunt, neque sensitiuæ, sed coniecturales. licet enim Maior sit experimentalis, Minorq. sensu confirmari possit, nihilominus, quoniam Conclusio neque experimentalis est, neque sensu probatur, sed probabili ratione, ad Coniecturam quæ rectissime deduci potest, cum præsertim omnium syllogismorum materia ex ipsa Conclusionem tantummodo sit determinanda. Ipsæ autem coniecturales materiæ in duas partes præcipuas distingui possunt. quarum altera, illa omnia complectitur, quæ liberæ nostræ uoluntatis vi a necessitate recedunt. ad alteram uero illa pertinent, quæ naturalium agentium vi, seu ob propriæ naturæ condicionem, Accidentibus, atque etiam mutationibus multipliciter sunt subiecta.

Supradictos syllogizandi modos sequuntur illi, in quibus præmissarum utraque est particularis, ita tamen, ut altera minus determinata existens, alteram, quæ magis determinata erit, quodam pacto complecti possit: hoc quippe ad syllogisticam ratiocinationem constituendam sufficit, licet ordinis imperfectioris. non enim negandum est, præmissarum complexum, dum altera est uniuersalis, longe præstantiori ratione perfici.

Præterea, præmissarum particularium ueritas nõ oritur ex aliqua Naturæ necessitate, seu ex his, quæ Naturæ ordini aduersantur, Ideoque facti potius, quam Naturæ appellanda est.

Ex huiusmodi uero propositionum particularium copulatione, duo syllogizandi modi recte constituentur: possibile enim est, & illarum vtramque esse affirmatiuam, & Maiorem negatiuam, Minor

rem autem affirmatiuam. Ceteras omnes combinationes syllogismum huius figuræ sustinere non posse, ex superioribus patet. Prioris igitur modi exemplum erit.

Socrates est Philosophus,

Vir accedens est Socrates,

Ergo Vir accedens est Philosophus.

Posterioris modi erit exemplum.

Socrates non est ambitiosus,

Accedens est Socrates,

Ergo Accedens non est ambitiosus.

Horum modorum materiæ, quæ omnino a necessitate recedunt, duorum sunt ordinum. quædam enim ex propria natura coniecturales sunt, ita tamen, vt ab illis particularibus, quæ proprio tantum nomine sunt vel determinabilia, vel determinata, extendantur ad eadem particularia, quatenus magis determinata. & ideo huiusmodi Conclusiones coniecturalium veritatum extensiones recte vocari poterunt, eruntq. plurium graduum, quoniam ipsorum particularium determinationes similiter sunt plures: quædam siquidem ex propria natura sensu tantummodo sunt percipienda, sed quoniam præterita sunt, vel absentia, vel alia ratione a sensu remota, atque etiam respectu partium sæpe ignota; syllogismi vi ostendi possunt, vt puta, si quis dicat,

Alexander scripsit hunc librum,

Accedens est Alexander,

Ergo, Accedens scripsit hunc librum.

Et hæc quidem plures differentias admittunt, ut experientia ipsa docet, atque ex his, quæ in naturali scientia pertractanda sunt, dilucidius perspiciemus. In præsentiarum admonuisse sufficiet, sensibilia, quatenus actu sensus mouent, cuiuscumque ordinis, minorem tantum propositionem his syllogismis imperfectioribus subministrare; quatenus actu sensus non mouent, sed uel ex imaginationis vi interne comprehenduntur, seu memoriæ uirtute interne retinentur, (quoniam hæc sunt minus determinata) Maiorem propositionem suppeditare. Ideoq. etiam ipsa Conclusio eorundem ordinum ex necessitate erit. constat enim, prædicatum a Maiori semper sumendum esse.

Sicuti autem huius primæ figuræ modus tertius pendet a primo, (Minore vniuersali, & affirmatiua, ad particularia contracta) & quar-

tus

tus a secundo ex eadem contractione; ita etiam quintus, ac sextus modus, quatenus affirmatiue proferuntur, atque etiam modus septimus ab eodem primo, aut a tertio modo omne robur accipiunt, Maiori propositione in mediam, vel in particularem indeterminatam mutata, atque etiam Minori (quatenus id requiratur) ad maiorem determinationem deducta. Dum vero modi quintus, ac sextus negatiue proferuntur, a secundo, ac quarto pendebunt, sicut ab eisdem, eisdemq. rationibus octauus modus similiter deriuatur.

Quæ hæcenus enarrata sunt circa Syllogismos primæ figuræ tum respectu formæ, tum respectu materiæ, nos quam tutissimos reddere possunt, Primam hanc figuram circa omnia versari, quæ argumentatione, ac ratiocinatione probari possunt, atque etiam omnibus propositionibus uti, quæ per se notæ sunt.

Quapropter asserendū erit, omnia, quæ nobis aliqua ratione cognoscibilia sunt, ab ea contineri, atque ex necessitate circa eadem versari reliquas Cathegoricorum Syllogismorum figuras, figurarumq. modos, necnon ceteros omnes Syllogismos tum conditionales, tum diuisiuos, atque ad impossibile deducentes, ipsam præterea Inductionem, ita tamen, vt non vnaquæque figura, seu argumentationum species circa omnes versetur, sed singulis certæ quædam partes aptentur, prout ex his innotescet, quæ dicenda sunt tum de aliorum Syllogismorum ad primam figuram reductione, tum de constitutione Principiorum ex Inductionis, ac diuisiui Syllogismi usu. In ceterarum igitur argumentationum explicatione satis erit, singularum formationes, ac modos demonstrare: illarum enim materiæ ex materijs Syllogismorum primæ figuræ deducendæ erunt, prout vnicuique conuenit.

*De Modis Syllogismorum rectorum secunda figuræ. Cap. VI.*



**N** secunda figura, in qua Conclusio negatiua semper est, præmissarum altera necessario est negatiua, altera vero affirmatiua.

Præmissarum vtraque potest esse vniuersalis; tuncq. perfectiores illius modi constituentur.

Primus vniuersali negatiuæ, Maioris partes assignabit, vniuersali vero affirmatiuæ, locum Minoris, elicieturq. vniuersalis conclusio, vt puta, si dicatur,

Nullus

Nullus lapis currit.

Omnis homo currit.

Ergo, Nullus homo lapis.

Hic modus ad secundum primæ figuræ modum deducitur ex Maioris conuersione, vt scilicet dicatur, Nullum currens lapis.

Secundus modus Affirmatiuæ vniuersali Maioris locum attribuet: Negatiuæ vero vniuersali, Minoris assignabit partes. quamuis enim in prima figura id permitti non possit, in hac secunda tamen, atque in hoc Modo libere conceditur: medius quippe terminus in vtraque præmissarum prædicatur, Ideoq. illarum vnaquæque commutari potest:

Secundus tamen Modus a priori vim recipit, in quo Negatiua, decentiori dispositione, Maioris partes exercet.

Huius secundi Modi exemplum erit,

Omnis homo currit.

Nullus lapis currit.

Ergo, Nullus lapis homo.

Hic syllogizandi modus deducitur ad secundum modum primæ figuræ.

In eadem secunda figura arguere etiam licet, ex vna præmissarum vniuersali, ex altera vero particulari. Ipsa particularis, Minoris partes tantummodo exercere potest. Maior autem vniuersalis, & affirmatiuam, & negatiuam qualitatem admittit, ita tamen, vt, ea affirmatiua existente, particularis Minor sit negatiua; eadem vero existente negatiua, Minor sit affirmatiua: patet enim ex duabus negatiuis nihil inferri, neque ex duabus affirmatiuis, negatiue concludi: quod nouimus, huic figuræ propriissimum esse.

Maiore igitur negatiua, vniuersaliq. existente, Minori autem affirmatiua, & particulari, tertius huius figuræ constituetur modus, cuius hoc erit exemplum.

Nullus lapis currit.

Aliquod accedens currit.

Ergo, Aliquod Accedens non est lapis.

Hic modus ad quartum primæ figuræ deduci potest, conuersa propositione maiori, vt scilicet dicatur, Nullum currens est lapis.

Data Maiori vniuersali affirmatiua, Minori autem negatiua particulari, quartus modus constituetur; cuius hoc erit exemplum.

Nullus

Omnis

Omnis homo currit.

Aliquod animatum non currit.

Ergo, Aliquod animatum non est homo.

Hic ad secundum primæ figuræ modum deducitur: nam, dum dicit, Aliquod animatum est homo, contrahit Minorem vniuersalem, quæ in prima figura diceret exempli gratia, Nulla pinus currit, ad particularem cum quadam commutatione.

In hac figura propositiones mediæ ingredi non possunt. nam tum affirmationis, tum negationis vim complectuntur, Ideoq. conuersionem non patiuntur.

In ea tamen conceditur, vt vtraque præmissarum sit particularis, licet non vtraque omnino determinata. Tunc autem minus determinata Maioris propositionis partes exercebit. Hæc & affirmatiua, & negatiua esse poterit, ita tamen, vt a Minoris subiiciendæ qualitate differat. Igitur, si Maiore particulari indeterminata, & negatiua existente, Minor particularis determinata, atque affirmatiua subiiciatur, quintus modus orietur, cuius exemplum erit.

Socrates non est Episcopus.

Accedens est Episcopus.

Ergo, Accedens non est Socrates.

Maiore particulari indeterminata, atque affirmatiua existente, illi subiicietur Minor particularis, determinata, atque negatiua, sextusq. huius figuræ modus constituetur, cuius exemplum erit.

Socrates multa scripsit.

Accedens nihil scripsit.

Ergo, Accedens non est Socrates.

Hi duo syllogizandi modi a duobus superioribus vim recipiunt, quintus scilicet a tertio, & sextus a quarto.

*De Modis syllogismorum rectorum tertiæ figuræ. Cap. VII.*

**I**N tertia figura communis terminus in vtraque præmissarum subiicitur, Ideoq. licet vtraque præmissarum quandoque sit vniuersalis, Minor tamen, particularis vires non excedit.

Hæ præmissæ in qualitate conuenire, ac differre poterunt, ita tamen, vt vtraque non sit negatiua. iam enim constitutum est, Ex duabus negatiuis nihil inferri. Vtraque præmissarum

O

vniuer-

vniuersali, simulq. affirmatiua existente, primus huius figuræ modus constituetur, cuius exemplum erit.

Omnis homo est animal.

Omnis homo currit.

Ergo, Aliquod currens est animal.

Hic deducitur ad tertium modum primæ figuræ, Minore ad eam conuersa, quæ dicit, Aliquod currens est homo.

Vtraque præmissarum vniuersali existente, non tamen vtraque affirmatiua, constituetur secundus modus eiusdem tertie figuræ.

In eo Maior erit negatiua, Minor autem affirmatiua: superius enim demonstratum est, dum terminus medius subijcitur in aliqua præmissarum, vel in vtraque, Maiori affirmatiuæ negatiuam non posse subijci.

Huius modi exemplum erit.

Nullum currens est lapis.

Omne currens mouetur.

Ergo, Aliquod, quod non mouetur, non est lapis.

Hic reducitur ad quartum primæ figuræ ex eadem Minoris conuersione, vt puta, si dicatur, Aliquod, quod mouetur currit. Dantur etiam in hac figura tertia Modi, in quibus præmissarum altera est vniuersalis, altera vero particularis. Hæ similiter in qualitate conuenire possunt, atque etiam in eadem differre. & siquidem conueniant, ambæ erunt affirmatiuæ. Euenit autem in hac figura, (quoniam illius Conclusio est semper particularis, & arguendi Modi ad primam figuram sunt deducendi) vt non tantum vniuersalis affirmatiua præferatur particulari affirmatiuæ, id quod ad tertium Modum pertinet, sed etiam ipsa particularis affirmatiua respectu vniuersalis affirmatiuæ, Maioris propositionis exercent partes. ex quo quartus eiusdem figuræ syllogizandi oritur modus.

Tertij modi erit exemplum.

Omnis homo est animal.

Aliquis homo currit.

Ergo, Aliquod currens est animal.

Hic reducitur ad tertium modum primæ figuræ ex conuersione Minoris, ut scilicet dicatur.

Aliquod currens est homo.

Quarti modi erit exemplum.

Aliquis

Aliquis homo currit,

Omnis homo est animal,

Ergo, Aliquod animal currit.

Hic similiter reducitur ad eundem primæ figuræ modum, eadem Minoris conuersione, atque eiusdem transpositione, ita vt Maioris propositionis exercent partes. Dum præmissæ diuersæ sunt non tantum ratione quantitatis, sed etiam qualitatis, negatiua (vt ex superius constitutis liquet) Maioris propositionis locum necessario ingrediatur. Hæc & vniuersalis, & particularis, rationibus iam dictis, admitti poterit. Et siquidem sit vniuersalis, quintum constituet modum; si vero particularis, sextum.

Quinti modi exemplum erit.

Nullum currens est lapis.

Aliquod currens ad nos accedit.

Ergo, Aliquod ad nos accedens non est lapis.

Hic modus deducitur ad quartum primæ figuræ ex Minoris conuersione, vt si dicatur,

Aliquod ad nos accedens currit.

Sexti modi erit exemplum.

Aliquod currens non est lapis.

Omne currens ab aliquo elongatur.

Ergo, Aliquod, quod ab aliquo elongatur, non est lapis.

Modus hic a secundo modo huius tertie figuræ vim recipit, nam, data vniuersali, dicente, Nullum currens est lapis, collectiue elicitur propositio, dicens, Aliquod currens non est lapis; quæ in hoc sexto syllogizandi modo, Maioris propositionis partes exercent.

Mediæ propositiones tertiam figuram ingredi non possunt, sicuti neque secundam. ratio est, quoniam conuersionem non patiuntur; a prima vero sustinentur, quoniam illius perfectio harum propositionum infirmitati medetur.

In tertia hac figura admittitur, vt præmissarum vtraque sit particularis. Quod si vtraque sit affirmatiua, septimum constituent syllogizandi modum, cuius exemplum erit.

Accedens est Philosophus.

Accedens est Socrates.

Ergo, Socrates est Philosophus.

Sin autem, altera erit affirmatiua, altera vero negatiua, ipsa negatiua rationibus superius adductis, necessario Maioris propositionis

nis locum ingredietur, & octauum huius figuræ modum constituet, cuius exemplum erit,

Accedens non est Philosophus.

Accedens est Petrus.

Ergo, Petrus non est Philosophus.

Hi duo modi postremi reducentur ad duos postremos primæ figuræ.

*De syllogismis obliquis, seu ad impossibile ducentibus. Cap. VIII.*



**N**unc de illis syllogismis absolutis dicendum est, qui innituntur Destructiue virtuti, Ideoq. Obliqui, seu ad impossibile Deducentes appellati sunt. Horum tractatio Rectorum syllogismorum speculationibus iure optimo annectenda est, tum quoniam eadem vtuntur syllogizandi forma, tum etiam, quoniam ad eorundem subsidium ab ipsa Natura parati sunt.

His syllogismis commune est, Rectorum syllogismorum Conclusionem Destructiua virtute confirmare: nouimus enim, propositionum vnamquamque alicui Contradictoriæ opponi, Contradictoriarumq. altera vera existente, reliquam ex necessitate esse falsam; similiq. ratione ex vnius falsitate alterius veritatem conuinci. Hoc autem sic accepto, ad horum syllogismorum formationem erit deueniendum. Detur, ex Recti syllogismi vi conclusum fuisse, Omnem hominem viuere, eo, quod omne animal viuat, & omnis homo sit animal. Detur etiam, aliquem huic conclusioni non assentiri. Hic ad illud deducendus erit, vt fateatur, Omnem hominem non viuere. si enim etiam hoc neget, communissimi principij veritatem destruet, & in vtraque Contradictoriarum falsitatem admittet.

Accipiatur igitur hæc propositio vna cum altera illarum, ex quibus deductum fuit, Omnem hominem viuere, Maiori scilicet, vel Minori; & siquidem associetur Maiori, dicetur hoc modo.

Omne animal viuitt.

Aliquis homo non viuitt.

Ergo, Aliquis homo non est animal.

At hoc falsum est; prius enim admittebatur, Omnem hominem esse animal.

Falsa

Falsa igitur aliqua præmissarum, neque enim ex veris præmissis, recte dispositis, falsa conclusio elici potest, Maior nõ est falsa, Ergo Minor, qua dicitur, Aliquis homo non viuitt. Vera itaque est huius Contradictoria, prior scilicet conclusio, qua dicitur, Omnis homo viuitt.

Sin autem associetur Minori, dicetur hoc modo.

Aliquis homo non viuitt.

Omnis homo est animal.

Ergo, Aliquod animal non est viuens.

At hæc conclusio est falsa: contradicit enim præmissæ superius acceptæ, qua dicebatur, Omne animal est viuens. Quare eisdem probationibus demonstrabitur, Præmissarum aliquam falsam esse. Et, cum hoc illi tantummodo, quæ priori conclusioni contradicit, obijci possit, illam falsam esse apparebit, priorem autem conclusionem veram.

His duobus syllogismis ad impossibile ducentibus, propriam aliquam denominationem aptandam existimamus, atque illum, qui retinet maiorem propositionem syllogismi Recti, Obliquum Maiorem dicendum esse, eum vero, qui minorem retinet, Obliquum Minorem.

Hi syllogismi Rectorum figuram ex necessitate immutant: ex eo enim, quod assumunt Contradictoriam conclusionis Syllogismi prioris, quantitas, & qualitas diuersæ redduntur; Ex eo vero, quod eidem vel Maioris, vel Minoris locum assignant, Terminorum etiam dispositio varia erit, Ideoq. dum prior syllogismus est primæ figuræ, posterior est vel secundæ, vel tertię. Secundæ, dum Maior accipitur. Tertię, dum accipitur Minor, vt ex superiori patet exemplo. Quod si prior syllogismus sit figuræ secundæ, Destructius maior ad primam figuram, minor autem ad tertiam deducetur. Dum vero prior est figuræ tertię, Destructius maior ad secundam deducetur, minor ad primam.

Videtur autem, præter supradictos Obliquorum syllogismorum vsus, alios dari, ac longe decentiores, dum scilicet alter terminus medius non absque contradicentis consensu exterius accipitur, ut puta, si quis eiusdem syllogismi conclusioni contradicens fateri cogatur, Aliquem hominem non viuere; quærendum ab eo est, an consentiat, Hominem augeri. Si dicat, se consentire, tunc arguendum erit hoc pacto.

Omne

Omne uiuens augetur .

Aliquis homo non uiuit .

Ergo, Aliquis homo non augetur .

At hanc falsam esse fateris .

Falsa igitur est aliqua præmissarum , non Maior , cui consentis , Ergo Minor . Quare prioris syllogismi conclusio , cum huic opponatur contradictorie , vera erit .

Vfus hic admodum probandus videtur , in prioribus autem frustra omnino laborari : etenim , si aduersarius , syllogismi Recti præmissas , atque eiusdem rectam formam admittit , conclusioni nullo modo contradicere potest . Sin autem præmissis non consentit , neque formam agnoscit , frustra secundus suscipitur labor , in quo eadem ab auditore concedi supponitur . Præterea , dum præmissæ negantur , vel illarum aliqua , quatenus demonstrabiles sint , earum veritas demonstranda erit . quatenus autem sint per se notæ , illud obseruare licebit , quo admonemur , Contra negantes principia non esse disputandum : quod ad illos etiam extenditur , qui rectæ syllogizandi formæ non assentiuntur .

Silentio autem demandandum non est , dum syllogismus rectus innititur propositioni indeterminatæ , seu diuisiuæ , obliquum syllogismum eandem Diuisiuam propositionem , affirmatiue prolatam , eadem forma retenta ad Negatiuæ formam deducere non posse ; ex superioribus enim patet , Diuisiuas , atque Indeterminatas propositiones Negatiuam proponendi formam non sustinere ; Ideoque Contradictoria negatiua duarum negatiuarum vim complectetur . nam , si conclusum sit , Hominem esse vel rationalem , vel irrationalem , seu , Animal esse vel rationale , vel irrationale , Contradictoria erit , Hominem neque rationalem , neque irrationalem esse , & , Animal neque rationale , neque irrationale esse : si enim horum alterum admittatur , conclusio vel nullo pacto infirmabitur , vel ex parte tantum ; quorum vnumquodque Contradictoriæ naturam destruit .

*De quattuor formationibus , ac vigintiseptem Modis Condicionalium propositionum , in quibus tota Condicionalium syllogismorum vis continetur .*  
Cap. IX.



CONDICIONALIVM syllogismorum doctrina perquirenda nunc est . Primo autem statuendum erit , Nullam propositionem appellandam esse Cõdicionalem , cuius termini uel a ternario numero deficient , atque , vel ad binarium , quod minimum est , deducantur ; vel ternarium numerum excedant , atque ad quaternarium , quod summum est , perueniant .

Horum terminorum numerus non ex transpositione , quantitatie mutatione sumendus erit , sed ex propria ipsarum rerum conceptibilium distinctione . Siquis igitur dicat , exempli gratia , Si omnis homo est animal , aliquod animal est homo ; vel hoc pacto , Si omnis homo est animal , aliquis homo est animal , hic duos tantum terminos assumet , neque Cõdicionalem propositionem constituet , vel certe non ea ratione , vt syllogismis conditionalibus deferuire possit .

Hoc autem ex eo manifestius intuebimur animaduertentes , Conclusionem syllogismi dicentis ( exempli gratia ) Si omnis homo est animal , aliquod animal est homo ; Omnis homo est animal , Ergo Aliquod animal est homo , nihil commodi , seu fulcimenti ab ipsa Cõdicionali recipere , sed ex sola Absoluta pendere : patet enim admisso , Omnem hominem esse animal , ex huius propositionis conuersione colligi , Aliquod animal esse hominem . Cum igitur Naturæ ordo aliquod vanum , ac omnino inutile , non sustineat , hæ propositiones a Cõdicionalibus syllogismis erunt reijciendæ . Illæ etiam simili ratione repudiandæ erunt , quorum termini ternarium numerum excedunt : valde enim perspicuum est , has omni virtute , propriaq. etiam forma destitui . Propositio siquidem dicens , exempli gratia , Si omnis homo est animal , omne sensitium est uiuens , nihil continet , ex quo prior pars , ipsum scilicet antecedens , parti posteriori , ipsi scilicet consequenti , copulari possit . Posteriori igitur neque in priorem , propriam vim effundere , neque ab illa aliquid commodi , seu incommodi recipere potest . Ex his autem quamtutissime demonstratur , Antecedenti , ac consequenti commune quidem esse , duos terminos continere , sed ea ratione , ut uterque utriusque



minime sit seu communis, seu proprius, sed vnus vtrique sit communis, reliquorum vero alter vnicuique sit proprius: hac siquidem ratione tantummodo, Condicionalis propositio complectetur virtutem duarum propositionū, vires proprias sibi inuicem mutuātiū.

Horum autem terminorum quadruplex dispositio, quadruplicem Condicionalium propositionum formationem constituet. Quandoque enim termini, quorum alter antecedenti, alter consequenti est proprius, in vtroque subijciuntur, communis vero terminus in vtroque prædicatur.

Quandoque ijdem termini proprii in vtroque prædicantur, communis vero in vtroque subijcitur. Quandoque terminus, qui est antecedenti proprius, prædicatur, & ille, qui est proprius consequenti, subijcitur, communis vero in antecedenti subijcitur, & in consequenti prædicatur. Quandoque e contra, qui antecedenti est proprius, subijcitur; qui vero est proprius consequenti, prædicatur, communis vero in antecedenti prædicatur, & subijcitur in consequenti. Et hæc quidem pertinent ad Condicionalium propositionum formas.

Quantum autem ad differentias, quæ ex qualitate, quantitate multiplici deducendæ sunt, quæque Condicionalium propositionum modos vtilis, atque inutiles constituunt, sciendum est, in prima formatione, Condicionalis partes in qualitate numquam differre. data enim prædicati identitate, subiecti uero diuersitate, vel qualitatis similitudo admittenda est, vel huius coniunctionis fructus penitus repellendus: his enim partibus non existentibus, seu utrisque affirmatiuis, seu utrisque negatiuis, communis termini uis, antecedens, ac consequens uere coniungere, & antecedens ad consequentis illationem aliquid conferre non poterit: nam, licet eadem seruata forma in quibusdam liberum sit, negationem affirmationi connectere, atque etiam illarum vnāquamque præferre, ut puta, dum dicitur, Si homo est rationalis, nullum aliud animal est rationale; vel, Si homo non est rationalis, aliquod aliud animal erit rationale; patet tamen hoc non formæ, sed materiæ ascribendum esse. accidit enim, ut Condicionalis partes Contradictorijs æquipolleant.

Quod autem ad earundem partium quantitatem attinet, Antecedens consequente neque magis uniuersale, neque minus determinatum erit. Ipso etiam antecedente existente uniuersali, seu communiter accepto, Consequens non erit medium. dum enim

Antece-

Antecedens Consequente est minus uniuersale, seu magis determinatum, hac præsertim forma retenta, Antecedens respectu consequentis, propria virtute carebit. nam virtute illius, quod est minus uniuersale, seu magis determinatum, aliud magis uniuersale, seu minus determinatum inferri non licet. Constat autem, Consequens in Antecedentis uirtute constitui. Mediam uero, absolutæ uniuersalis, seu communis communiter acceptæ uis, recte deduci non posse, manifestum est ex his, quæ de propositionum uiribus dicta sunt.

Sicuti autem prima hæc Condicionalium propositionum formatio hos modos rejicit, ita ceteros omnes admittit. Illius igitur modi vtilis ad denarium numerum deducuntur, quorum quinque utramque affirmatiuam, totidem uero utramque negatiuam complectuntur.

Primus constituitur ex vtraque affirmatiua, simulq. uniuersali; ut puta, dum dicitur, Si omne animal est uiuens, omnis homo est uiuens.

Secundus utramque negatiuam, simulq. uniuersalem continet, ut puta, dum dicitur, Si nullum animal est lapis, nullus homo est lapis.

Tertius continet duas affirmatiuas medias, seu priorem communem ex condicione, ut puta, dum dicitur, Si instrumenta naturalia, dum opus Naturæ non impeditur, seu, ut in pluribus, perfectiorem formam adipiscuntur, Manus hominis, ut in pluribus, perfectiorem formam adipiscetur.

Quartus continet duas negatiuas Medias, seu priorem communem ex condicione, ut puta, dum dicitur, Si membra naturalia, ut in pluribus, seu nisi opus Naturæ impediatur, perfectiorem formam non adipiscuntur, Manus ut in pluribus, perfectiorem formam non adipiscetur.

Quintus utramque affirmatiuam, atque particularem, ut puta, dum dicimus, Si Plato fuit amicus Socratis, ille, qui scripsit Philæbum, fuit amicus Socratis.

Sextus utramque negatiuam, & particularem, ut puta, dum dicimus, Si Plato non fuit amicus Socratis, ille, qui scripsit Philæbum, non fuit amicus Socratis.

Septimus utramque affirmatiuam, ita tamen, ut prior sit uniuersalis, posterior autem particularis, ut puta, dum dicitur, Si omnis homo est animal, Socrates est animal.

Octauus utramque negatiuam, ita tamen, ut prior sit uniuersalis,

P

posterior

posterior uero particularis, ut puta, dum dicitur, Si nullus homo est lapis, Socrates non est lapis.

Nonus duas affirmatiuas, priorem mediam, secundam autem particularem, tuncq. illatio erit probabilis tantum, ut puta, Si manus ut in pluribus, optimam consequitur formam, Socratis manus probabiliter optimam formam est consecuta.

Decimus duas negatiuas, priorem mediam, posteriorem autem particularem; tuncq. similiter probabilis tantum erit illatio, ut puta, dum dicimus, Si manus non deficit, ut in pluribus a perfectiori figura, hæc manus probabiliter non deficit a perfectiori figura.

In Condicionalium propositionum formatione secunda, in qua termini proprii in utraque illius parte prædicantur, communis uero in utraque subijcitur, ipsæ partes in quantitate differre non possunt: utuntur enim eodem subiecto, ex quo sumitur quantitatis ratio. In qualitate autem conuenire, & differre possunt, ita tamen, ut negatiua affirmatiuam non præcedat. neque enim ex negatiuæ uirtute (ni si fortè ex materiæ qualitate) affirmatio inferri potest.

Quatenus utraque pars sit affirmatiua, aut prior affirmatiua, secunda autem negatiua, Prædicatum antecedentis prædicato consequentis magis uniuersale, vel minus determinatum esse non poterit.

Quatenus uero ambæ sint negatiuæ, e contra. nam consequentis prædicatum prædicato antecedentis magis uniuersale, aut minus determinatum non erit. Huius igitur formationis modi utiles septem erunt.

Primus ex utraque affirmatiua, simulq. absolute uniuersali, seu communi communiter accepta, constituetur, ut puta, dum dicimus, Si omnis homo est animal, omnis homo est uiuens.

Secundus ex priori affirmatiua, posteriori uero negatiua, utriusque tamen uniuersalibus absolute, seu communibus communiter acceptis, ut puta, dum dicimus, Si omnis homo est animal, nullus homo est lapis.

Tertius ex utraque negatiua, atque uniuersali, ut puta, dum dicimus, Si nullus Leo est homo, nullus Leo discurrit.

Quartus ex utraque media, seu altera media, altera uero uniuersali uagæ.

Existimamus autem, modum hunc ratione qualitatibus distinguendum non esse: nam mediæ propositiones sicut uirtute utramque qualitatem continent, ita ex utraque rectè proferri possunt: eadem

enim.

enim condicionalis media proferri potest ex utraque parte affirmatiue, ex utraque parte negatiue, atque priori negatiue posteriori uero affirmatiue: dicimus namque, Si manus est naturale instrumentum, manus ut in pluribus, decentem consequitur formam, & Si manus ut in pluribus non consequitur propriam formam, manus non est naturale instrumentum. In his autem liberum erit, negatiuam prolationem affirmatiue proferre: quoniam huiusmodi negationes, affirmationis vim complectuntur. Ideoq. ex hoc arguendum non est, negatiuæ vim ad affirmationis constitutionem pertinere.

Quintus modus ex duabus particularibus affirmatiuis constituetur, ut puta, dum dicimus, Si Socrates est homo, Socrates est animal.

Sextus ex duabus particularibus, priori affirmatiua, posteriori uero negatiua, ut puta, dum dicitur, Si Socrates est homo, Socrates non est lapis.

Septimus ex utraque particulari, ac negatiua, ut puta, dum dicitur, Si, quod a longe prospicitur, non est animal, Quod a longe prospicitur, non est homo.

In tertia formatione in qua terminus communis prædicatur in antecedenti, & subijcitur in consequenti, necnon in formatione quarta, in qua idem terminus communis subijcitur in antecedente, & prædicatur in consequente, Condicionalis propositionis partes tam in quantitate, quam in qualitate differre possunt. in qualitate, quoniam idem prædicatum non assumunt. in quantitate, quoniam eodem subiecto non utuntur. Euenit tamen, ut in tertia formatione Antecedens semper sit affirmatiuum, neque enim assumpto antecedente negatiuo ex solius formæ vi tertium aliquod circa illius prædicatum seu affirmatiue, seu negatiue colligere licet. In ea uero consequens uniuersale seu affirmatiuum, seu negatiuum admitti non potest: cum enim illius Subiectum in antecedente affirmatiuo sit prædicatum, uirtute conuersionis ab ipso Antecedente deducitur; constat autem, conuersam affirmatiue semper esse particularem.

In quarta autem formatione Consequens semper negatiuum erit. nam nulla alia ratione ex solius formæ uirtute Antecedens, proprium subiectum Consequentis prædicatum efficere potest. In eadem Consequens uniuersale etiam erit, quatenus ex Antecedente uniuersali inferatur: namque ex particulari uniuersale non elicitur.

Harum formationum nulla, propositionum mediarum usum admittit. constat enim, ex huiusmodi seu prædicati, seu subiecti tras-

missionibus, harum propositionum vires omnino confringi. Tertiæ igitur formationis modi ad quaternarium, quartæ vero ad senarium numerum deducuntur.

Tertiæ formationis exempla erunt,

Primi modi, Si omnis homo currit, aliquod currēs est animal.

Secundi, Si omne animatum est homo, aliquis homo non currit.

Tertij, Si aliquis homo est lapis, aliquis lapis currit.

Quarti, Si aliquod currens ad nos accedit, aliquod ad nos accedens non est lapis.

Quartæ formationis erunt exempla,

Primi modi, Si omnis homo currit, nullus lapis est homo.

Secundi, Si nullum currens est animal, nullus homo currit.

Tertij, Si omne, quod mouetur, est lapis, aliquod currens non mouetur.

Quarti, Si nullum animal currit, aliquis homo non est animal.

Quinti, Si Petrus est Philosophus, accedens non est Petrus.

Sexti, Si Socrates non est Philosophus, accedens non est Philosophus.

Ad pleniorē autem Conditionalium propositionum doctrinam, sciendum est, illarum illatiuam vim huiusmodi esse, ut alterius propositionis perfectioris, quæ non profertur, virtuti innitatur. nam, cum tres terminos complectantur, atque illos, (qui antecedenti, & consequenti sunt proprii,) tertio, (qui vtrique communis est) non absolute, sed cum conditione adiungant, manifestum est, eas neque immediata immediatis, neque mediata mediatis perfecte coniungere. Quapropter, nisi alicuius propositionis perfectioris virtute fulcirentur, nihil certi afferre possent. neque enim assertio conditionalis dicens (exempli gratia,) Si omnis homo est animal, omnis homo est sensitiuus, vere tuta esset, nisi tamquam compertum acciperetur, Omne animal sensitiuum esse. Idem etiam, eisdemq. ob causas, ceterarum Conditionalium vnicuique euenire manifestum est. Huius autem propositionis perfectioris, cui Conditionalis innititur, rationem diligentius perquirentes, facile admodum perspiciemus, eam ad Catheticos syllogismos propriissime pertinere. sapius enim repetitum est, imperfectiora perfectiorum virtute munienda, ac perficienda esse. Ideoque ipsa Conditionalis propositio, quæ tamquam conditionalium syllogismorum pars præcipua constituitur, ex his tantummodo roboranda est, quæ ad Catheticos

goricos syllogismos essentialiter pertinent, quorum etiam virtutes ab ipsis catheticis syllogismis deduci, atque ad eosdem quantumtissime reduci possunt. Et hæc quidem ipsorum conditionalium syllogismorum formationibus, differentijsq. recte perceptis clarius admodum elucescent.

*De conditionalium syllogismorum formis, ac modis, simulq. de conditionalium propositionum usu, ex singulorum formatione eliciendo; necnon de conditionalium syllogismorum ex catheticis deductione, atque ad eosdem reductione.*  
Cap. X.



CONDICIONALIVM propositionum doctrinæ, Conditionalium syllogismorum pertractatio annectenda est. Horum materia omnis ex condicionali propositione deducenda erit. patet enim, in ea tres terminos copulari: iamque constitutum est, Syllogismis omnibus commune esse, ex trium terminorum copulatione formari.

Ex superioribus quoque constat, horum imperfectiorum syllogismorum vim omnem dirigi non ad nouum aliquod pariendum, sed ad iam concepta perficienda.

Exploratum porro est, tunc vere imperfecta perfici, cum, eadem materia seruata, ad perfectiorem formæ ordinem perducuntur. Dum vero noua materia assumitur, nouum aliquod potius construatur, quam antiquum perficiatur. Has igitur ob causas, atque etiam, quoniam propositio condicionalis, actiua tantummodo virtute est prædita, receptiua vero potentia penitus denudatur, illi semper Maioris propositionis partes demandandæ erunt, ea tamen ratione, vt ex eadem postmodum tam propositio minor, quam conclusio eliciantur: cum enim duas complectatur partes, antecedens scilicet, & consequens, vtrisque affluenter sufficere potest. Quatenus igitur Minor ex antecedente sumatur, conclusio ex consequentis repetitione sumenda erit. Quatenus vero Minor deducatur a consequente, antecedens conclusionem constituet.

Harum autem vnaquæque non conditionaliter, sed absolute proferenda erit: superius nempe demonstratum est, imperfectæ formationis propositiones adinuicem copulatas neque fructum aliquem parere, neque propriam imperfectionem repellere. Minoris itaque

itaque propositionis munus proprium erit, terminorum, quos a condicionali propositione accipit, copulationem absolute uel affirmando ponere, uel negando destruere. Et siquidem affirmando ponet, eandem qualitatem, & quantitatem retinebit, prout in Maiori reperitur.

Sin autem negando destruet, parti, ex qua sumitur, comparata, Contradictoriæ munia exercebit. Quare ab eadem semper in qualitate diuersa erit; Aliquando etiam in quantitate. constat enim uniuersalium, indeterminatarumque. particularium contradictorias tam in qualitate, quam in quantitate diuersas esse; eas uero, quæ uel Mediæ propositioni, uel particulari determinatæ aduersantur, ex sola qualitate distingui.

Neque tamen ob id suspicandum est, Condicionales syllogismos sibi contradictorie aduersantia complecti: satis enim perspicuum est, Condicionalem, dum neutram qualitatem absolute proponit, utramque Minoris arbitrio subijcere. Dum uero propositio minor, (siue ab antecedente, siue a consequenti sumatur) partem illam, a qua sumitur, ponit, omnis illius uis ad alterius partis constitutionem dirigitur. Sin autem eam destruit, alterius partis destructionem intendet, condicionalium enim propositionum natura talis est, ut illarum Antecedens Consequens inferat, atque ipsum consequens ab Antecedente pendeat. Ideoque impossibile est, ex unius positione alterius positionem, uel ex unius destructione alterius destructionem non inferri. Dum autem minor propositio partem Maioris a se assumptam ponit, Conclusio etiam ex eiusdem Minoris uia aliam partem similiter ponet. Quod si ipsa Minor partem a se sumptam destruet, reliqua pars in Conclusionem destruetur.

Quod autem ad Medium terminum attinet, scire oportet, dum propositio minor sumitur ex antecedente, terminum, qui ipsi antecedenti est proprius, Medij termini partes assumere: & dum eadem Minor sumitur ex consequenti, terminum, qui consequenti est proprius, eiusdem Medij termini munia sibi vindicare: patet siquidem, Conclusionis munus esse, Terminum maiorem minori termino copulare. Quapropter, sicuti impossibile est, terminum medium, qui numquam conclusionem ingreditur, accipi ex ea parte, quæ conclusionem ingreditur; Ita necessario est assentiendum, eum ex illa colligi, quæ minorem propositionem ingreditur.

Ea autem, quæ superius enarrata sunt, perpendentes, facile perspiciemus,

spiciemus, Condicionalium syllogismorum quattuor formationes ad summum inueniri posse. quarum Prima illa erit, in qua posito, ex minoris propositionis uia Antecedente, in Conclusionem ponitur consequens, ut puta, dum dicitur,

Si nunc Sol Horizontem nostrum superat, nunc dies est.

Nunc Sol Horizontem nostrum superat.

Ergo, Nunc dies est.

Secunda erit, in qua destructo ex eiusdem minoris propositionis uia Consequente, Antecedens destruitur, in conclusionem, ut puta, dum dicitur,

Si nunc Sol est infra Horizontem nostrum, nunc nox est.

Nunc nox non est.

Ergo, Nunc Sol non est infra Horizontem nostrum.

Tertia erit, in qua destructo per Minorem Antecedente, consequens destruitur in conclusionem, ut puta, dum dicitur,

Si nunc Sol Horizontem nostrum excedit, nunc dies est.

Nunc Sol Horizontem nostrum non excedit.

Ergo, Nunc dies non est.

Quarta erit, in qua posito consequente in propositione minori, ponitur antecedens in conclusionem, ut puta, dum dicitur,

Si nunc Sol est infra nostrum Horizontem, nunc nox est.

Nunc nox est.

Ergo, Nunc Sol est infra nostrum Horizontem.

Harum quattuor formationum duæ tantummodo ex propriæ naturæ uia ad ueritatem demonstrandam conducunt, prima scilicet, in qua ex antecedentis positione concluditur consequentis positio; & Secunda, in qua destructo consequente, concluditur antecedentis destructio. Reliquæ uero, licet in materia conuertibili, (qua accepta, utraque Condicionalis pars commutari potest) videantur inferuire ueritati, patet tamen, hoc illis ex simplicis syllogismi uirtute non euenire. quod ex eo facile liquet, quoniam in materia non conuertibili ad deceptionem perducunt. ratio est, quoniam antecedenti essentialiter conuenit, Consequens inferre posse, non autem ab eo pendere: Consequenti uero econtra; ab Antecedente pendere, at non ipsum antecedens inferre.

Quapropter data, exempli gratia, propositione condicionali dicente, Si accedens est homo, accedens est animal, arguere non licet hoc pacto, ut scilicet subijciatur, Accedens non est homo, Ergo

Accedens

Accedens non est animal. seu hoc pacto, Accedens est animal; Ergo Accedens est homo, nam constat, dari plura animalia, quæ homines non sunt.

Ex duabus autem vtilibus syllogismorum Condicionalium formationibus, prior, quoniam semper confirmat, Confirmatiua appellari poterit; posterior autem, quoniam semper destruit, Destructiuæ nomen admittet. Et hæc quidem Destructiuæ virtuti innititur, ideoque absolutis obliquis ad impossibile ducentibus, proportione respondet. Prior vero Rectorum absolutorum naturam retinet.

In vtraque dantur syllogismi duorum ordinum: quod absolutis etiam obliquis syllogismis conuenire iam demonstratum est: condicionalis siquidem propositio (quam externæ propositionis ui roborari, ac Cathegoricis syllogismis copulari nouimus) quandoque illi innititur propositioni, quæ in syllogismo cathegorico est maior, atque actiua virtute est prædita: quandoque autem illi, quæ in eodem est minor, atque receptiuam potentiam exercet.

Dum autem Condicionalis propositio ex maioris cathegorici syllogismi propositione firmatur, minor eiusdem cathegorici in syllogismo condicionali necessario proferenda erit, atque in eodem similiter erit minor.

At, si condicionalis propositio firmetur virtute propositionis illius, quæ in cathegorico syllogismo est minor, condicionalis syllogismus maiorem eiusdem cathegorici assumet, atque minorem efficiet. Hinc condicionales syllogismi decenter & Maiores, & Minores appellari poterunt. dum enim eam propositionem proferunt, quæ in cathegorico est maior, Maiores dicendi erunt. Dum autem illam assumunt, quæ in cathegorico est minor, syllogismorum Condicionalium Minorum denominationem recipient. Et hæc quidem differentia tam Constructiuis, quam Destructiuis condicionalibus primæ ac secundæ formationis aptandæ erunt. sicut enim in prima quæ Constructiuos tantum complectitur syllogismos, dantur Constructiuus maior, & Constructiuus minor; ita in secunda, quæ Destructiuos syllogismos tantummodo profert, Destructiuus maior, & Destructiuus minor admittendi erunt.

Euenit autem pro multiplici tum cathegoricorum, tum condicionalium syllogismorum natura, ut propositionum condicionalium formationes, de quibus superius dictum est, multipliciter exercentur. dum enim syllogismi conditionales ex cathegoricis primæ

figuræ

figuræ sunt deducendi, seu ea ratione constituendi, ut (quatenus qualitatis, quantitatisq. differentia id patiantur) ad eosdem reduci possint, in syllogismorum condicionalium constitutione, condicionalis propositio necessario accipienda erit, seu ex prima formatione, in qua termini, tam antecedenti, quam consequenti proprii, in vtroque subijciuntur, communis vero in vtroque prædicatur, seu ex secunda, in qua termini proprii in vtroque prædicantur, communis vero in utroque subijcitur. accipietur siquidem ex prima formatione, dum duo maiores, Constructiuus scilicet, & Destructiuus, formandi sunt. Sumetur autem ex formatione secunda, dum duo minores, Constructiuus scilicet, & Destructiuus, sunt constituendi. Quapropter accepto, exempli gratia, hoc syllogismo cathegorico primæ figuræ,

Omne animal est sensitium,

Omnis homo est animal,

Ergo, Omnis homo est sensitium.

Syllogismus condicionalis maior constructiuus, in quo Minore cathegorici syllogismi ommissa, ita tamen, ut illius uirtus retineatur, illiusq. Maiore ad condicionem deducta, efficitur antecedens, Conclusio uero eiusdem cathegorici consequentis locum assumit, erit huiusmodi,

Si omne animal est sensitium, Omnis homo est sensitium.

Omne animal est sensitium.

Ergo, Omnis homo est sensitium.

Destructiuus maior, in quo Minore similiter prætermissa, primæ conclusionis Contradictoria non quidem absolute, sed conditionaliter, tamquam Antecedens assumitur, illiq. Maioris propositionis Contradictoria adiungitur, tamquam Consequens, erit huiusmodi,

Si aliquis homo non est sensitium, aliquod animal non est sensitium.

Omne animal est sensitium.

Ergo, Omnis homo est sensitium.

Constructiuus minor, in quo Maiore syllogismi cathegorici ommissa, Minor assumitur, tamquam Antecedens, Conclusio uero tamquam Consequens, talis erit,

Si omnis homo est animal, omnis homo est sensitium.

Omnis homo est animal.

Ergo, Omnis homo est sensitium.

Destructiuus minor, in quo Maior similiter omittitur, conclusio-

nisq.

nisq. Contradictoria tamquam Antecedens, Minoris vero Contradictoria, tamquam consequens, assumuntur, erit eiusmodi.

Si aliquis homo nō est sensituius, aliquis homo nō est animal.  
Omnis homo est animal.

Ergo, Omnis homo est sensituius.

Patet autem, condicionales propositiones duorum conditionalium Maiorum esse primæ formationis, duorum autem Minorum esse formationis secundæ.

At, si condicionales syllogismi ex categoricis figuræ secundæ eliciantur, atque etiam ad eisdem primo reducendi sint, propositio conditionalis syllogismi maioris constructiui erit tertiæ formationis, in qua terminus, Antecedenti proprius, in eo prædicatur terminus, Consequenti proprius in eo subijcitur, communis autem subijcitur in Antecedente, & prædicatur in Consequente.

Condicionalis propositio syllogismi maioris destructiui erit formationis quartæ, quæ tertiæ dispositionem omnino commutat.

Conditionales uero duorum minorum, Constructiui scilicet, & Destructiui, erunt formationis secundæ. Accepto igitur categorico hoc syllogismo figuræ secundæ.

Nullus lapis currit.

Omnis homo currit.

Ergo, Nullus homo lapis.

Constructiuus maior talis erit,

Si nullus lapis currit, nullus homo lapis.

Nullus lapis currit.

Ergo, Nullus homo lapis.

Destructiuus maior talis erit,

Si aliquis homo lapis, aliquis lapis currit,

Nullus lapis currit.

Ergo, Nullus homo lapis.

Constructiuus minor talis erit,

Si omnis homo currit, nullus homo lapis.

Omnis homo currit.

Ergo, Nullus homo lapis.

Destructiuus minor talis erit,

Si aliquis homo lapis, aliquis homo non currit.

Omnis homo currit.

Ergo, Nullus homo lapis.

Dum

Dum condicionales syllogismi ex categorico tertiæ figuræ eliciuntur, seu ad eum primo reducendi sunt.

Condicionalis propositio duorum maiorum, Constructiui scilicet, & Destructiui, erit primæ formationis; Condicionalis constructiui minoris erit formationis tertiæ: Destructiui autem minoris, formationis quartæ. Accepto igitur, exempli gratia, categorico hoc syllogismo ipsius figuræ tertiæ,

Omnis homo est animal.

Omnis homo currit.

Ergo, Aliquod currens est animal.

Constructiuus maior talis erit,

Si omnis homo est animal, aliquod currens est animal.

Omnis homo est animal.

Ergo, Aliquod currens est animal.

Destructiuus maior talis erit,

Si nullum currens est animal, aliquis homo non est animal.

Omnis homo est animal.

Ergo, Aliquod currens est animal.

Constructiuus minor talis erit,

Si omnis homo currit, aliquod currens est animal.

Omnis homo currit.

Ergo, Aliquod currens est animal.

Destructiuus minor talis erit,

Si nullum currens est animal, aliquis homo non currit.

Omnis homo currit.

Ergo, Aliquod currens est animal.

Et hæ quidem conditionalium propositionum formationes, dum condicionales syllogismi a categoricis seu primæ, seu secundæ, seu tertiæ figuræ eliciuntur, semper, atque ex necessitate eadem erunt. nam categoricorum etiam syllogismorum termini prout uniuscuiusque figuræ natura, semper eadem ratione disponentur.

Si quis autem singulos conditionalium propositionum modos, quos superius enumerauimus, colligens, ex illorum unoquoque tam condicionales, quam categoricos syllogismos illi consonos conficiat, hic facile intueri poterit, qui nam tum conditionalium propositionum, tum conditionalium, atque etiam categoricorum syllogismorum modi sibi inuicem respondeant, simulq. horum omnium sufficientiam iam satis perspectam, clariorem reddent.

Q ij

Sicuti

Sicuti autem ex vnoquoque cathedrico syllogismo quattuor condicionales colligi possunt, ita vnusquisque condicionalis ad certum aliquem cathedricum deduci poterit. quod ex eo etiam quam tutissime demonstratur, quoniam condicionalibus omnibus commune est, alicuius propositionis formæ perfectioris, prout ad cathedricum pertinet, virtute firmari.

*De syllogismis diuisiuis, atque de illorum modis. Cap. XI.*



**D**OST syllogismorum condicionalium constructiuorum, ac destructiuorum enarrationem, Syllogismi Diuisiui sese contemplandos nobis obijciunt.

Hos similiter ingrediuntur duæ propositiones præmissæ, altera indeterminata, quæ etiam rationibus superius adductis, Maioris occupabit locum altera determinata, quæ Minoris exercebit partes. Et hæc quidem semper a Maioris in determinatæ subiecto Subiectum accipiet, & ex eiusdem prædicatis Prædicatum, ita tamen, vt non vtrumque prædicatum, sed alterum tantum determinate assumat.

Hæc igitur respectu quantitatis cum Maiore conueniet: superius quippe demonstratum est, propositionum quantitatem ex Subiecto esse metiendam, respectu vero qualitatis, vtramque recipiet. Et si quidem fuerit affirmatiua, Conclusio negatiua elicietur. Sin autem fuerit negatiua, Conclusio affirmatiua erit. cum enim prædicata in Maiori sumantur disiunctiue, atque tamquam ad inuicem opposita, manifestum est, ea, quæ a Minori determinate assumi possunt, Contradictoriarum vim similiter retinere, Ideoq. certam vnus constitutionem, alterius destructionem parere, & vnus destructionem alterius constitutionem demonstrare. Hæc igitur forma arguendi ita exercebit Actiuam maioris propositionis virtutem, & receptiuam potentiam minoris propositionis, vt Destructiuæ virtutis fulcimenta ex necessitate retineat. Quapropter horum syllogismorum vnus erit ordo, neque in rectos, & obliquos, seu in constructruentes, & destruentes diuidi poterunt, ut perfectioribus argumentationibus euenit.

Illorum vero Modi quattuor erunt, duo scilicet vniuersales, in quibus vniuersalis propositio assumitur, vnus affirmatiuus, alter negatiuus; & duo particulares, in quibus particularis assumitur, quorum similiter

similiter vnus erit affirmatiuus, alter uero negatiuus.

Primi modi vniuersalis, in quo Minor est affirmatiua, exemplum erit.

Homo est vel rationalis, vel irrationalis.

Homo est rationalis.

Ergo, Homo non est irrationalis.

Secundi modi vniuersalis, in quo Minor est negatiua, exemplum erit.

Homo est vel rationalis, vel irrationalis.

Homo non est irrationalis.

Ergo, Homo est rationalis.

Primi modi particularis, in quo Minor est affirmatiua, exemplum erit.

Harum litterarum numerus est vel par, vel impar.

Harum litterarum numerus est par.

Ergo, Harum litterarum numerus non est impar.

Secundi modi particularis, in quo Minor est negatiua, exemplum erit.

Harum litterarum numerus est vel par, vel impar.

Harum litterarum numerus non est par.

Ergo, Harum litterarum numerus est impar.

Huius autem Diuisiue argumentationis vim perpendentes, eam a ceteris perfectioribus argumentationibus quamplurimum differre perspiciemus: cathedricorum enim syllogismorum conclusio deteriore præmissarum partem sequitur, idque tum ratione qualitatis, tum etiam ratione quantitatis.

In condicionalibus autem syllogismis, antecedentis positio semper consequentis positionem constituit, & consequentis destructio semper antecedentis destructionem conuincit, ipsaq. Conclusio pluribus rationibus in præmissarum qualitate, ac quantitate persistere, & ab eisdem recedere potest. Harum uero Diuisuarum argumentationum conclusio semper præmissarum quantitatem retinet, ratione autem qualitatis, semper a Maiori discrepat.

Siquis autem Medij termini constitutionem aspiciat, hic eadem discrimina intuebitur: in cathedricis enim syllogismis, prout vnus cuiusque natura fert, terminus medius accipitur aliquando a Minoris subiecto, Maiorisq. prædicato, aliquando ab vtriusque prædicato, aliquando ab vtriusque subiecto. In condicionalibus vero,

Minoris

Minoris subiectum (quod etiam seu in Antecedente, seu in Consequente subijcitur) medij termini sustinet partes.

In ipsis autem Diuisiuis, Minoris propositionis prædicatū (quod etiam prædicatur in Maiori) semper medij termini continet vim.

Illud etiam singulare eisdem Diuisiuis syllogismis aptatur, ut immediatas etiam propositiones, quæ in alijs syllogismis Conclusionis locum refugiunt, probare possint.

De Inductionibus:

Cap. XII.



**M**NIBVS syllogismorum ordinibus sic explicatis, modo dicendum est de Inductionibus, quæ Inchoatæ, ac omnium imperfectissimæ propositionum virtuti præcipue innituntur. Prius autem statuendum erit, Inductionum quasdam ipsa inchoata virtute simpliciter vti, atque ob id Simples, ac rectas appellari posse; Quasdam vero Destructiuæ potentia vsum adiungere, atque ob id Compositas, vel Obliquas nominari. Et priores quidem categoricis rectis, atque condicionalibus constructiuis proportionibus respondent; posteriores vero obliquis, ac destructiuis.

Propositiones autem inchoatam virtutem exercentes, vt ex superioribus patet, perfectam propositionum formationem requirunt: huius enim virtutis finis est, nouum aliquod seu parere, seu saltem concipere. quod nullis imperfectis propositionum formationibus conuenire potest. Nouum autem, ad quod huiusmodi propositiones Argumentatione inductiua diriguntur, nihil aliud est, quam quantitatis immutatio, vt scilicet particularium propositionum viciantur propositiones vel mediæ, vel vniuersales; & propositionum vniuersalium vi constituentur propositiones magis vniuersales: nouimus enim, constituentibus virtutibus commune esse, ea tantummodo construere, quæ eiusdem sunt qualitatis. Ex quo manifeste colligitur, ipsarum etiam præmissarum vnâquamque eiusdem qualitatis esse; nam, si affirmatiuæ negatiuis associantur, ad eiusdem constitutionem deseruire non possent; quin potius sibi inuicem aduersarentur, ac seipsas destruerent. Non dissimili ratione probatur, ipsas præmissas eandem etiam quantitatem retinere. patet siquidem, propositiones, quæ in quantitate differunt, dum ad inuicem copulantur, actiuam virtutem, ac receptiuam potentiam

zno. 117

necessario

necessario exercere, non autem inductiuam. Idem etiam demonstratur ex vniiformi harum propositionum munere, munerisq. sustinendi virtute. idem quippe munus, & eandem formam requirit; & eandem qualitatem, ac quantitatem exposcit. Hæc autem quantitatis vniiformitas, quantum ad particulares propositiones attinet, respectu solius determinationis est intelligenda. sicuti enim particulares indeterminatæ, simplici inductioni nulla ratione ministrare possunt, ita particulares determinatæ, siue magis, siue minus determinantur, in eadem Inductione decentissime associantur.

Quantum autem ad terminos attinet, Inductionis præmissæ ea ratione formandæ erunt, vt ex Subiecti tantummodo diuersitate ab inuicem distinguantur, in prædicato vero conueniant. sicuti enim propositiones, nihil commune continentes, eiusdem productioni, seu constructioni inseruire non possunt, ita, quæ respectu prædicati, cui manifestandi munus propriissime demandatur, diuersæ sunt, proprias vires ad idem eadem ratione constituendum copulare non possunt. Harum vero propositionum numerus in ipsis simplicibus Inductionibus nullam determinationem recipiet, sed, quanto magis adaugetur, tanto firmiter propositum insinuabitur.

Inductiones in eo Diuisiuorum syllogismorum vim æmulari videntur, quod immediatas etiam propositiones elicere possunt.

Obliqua inductio, cui Instantiæ nomen conuenire videtur, duabus rationibus Destructiua virtute utitur, ad construendum scilicet, & ad destruendum.

Tunc constructioni fauet, dum negatur, posse dari Instantiam; eaque a contradicente exquiritur. si enim contradicens, instantiam afferre non potest, Conclusioni vniuersali quodammodo assentiri cogitur, vt puta, Omnes homines risibiles esse, si demonstrare non potest, Aliquem hominem non risibilem esse, seu aliquando fuisse.

Tunc uero ad destruendum assumitur, dum alicui asserenti, exempli gratia, Manus omnes quinque digitos habere, instantiam damus, Manum aliquam obijcientes, quam plurimum digitorum esse manifestum est.

De



*De fructu, qui ex imperfectioribus argumentationibus, argumentationumq. modis elicitur; deq. syllogismorum diuisiuorum, atque Inductionum usu, ad principia indemonstrabilia elicienda. Cap. XIII.*



ARGUMENTATIONVM formæ, ac Modi omnes sufficienter, ni fallimur, enumerati sunt. Reliquum modo est, vt breuiter demonstremus fructum imperfectiorum argumentationum, Rectorum videlicet syllogismorum secundæ, ac tertię figuræ, Obliquorum, Condicionalium, Diuisiuorum, ac Inductionum. quamuis enim nullum cognoscibile inueniri possit, quod a prima figura categoricorum, ac rectorum Syllogismorum non admittatur, non tamen suspicandum est, ceteras argumentationum formas, ac illarum modos inutiles esse. nam syllogismi deducentes ad impossibile, atque conditionales destructiuui, qui cum eisdem quodammodo coincidunt, vna cum Obliqua Inductione, non parum roboris afferunt propositionibus omnibus, quæ ingrediuntur syllogismos rectorum primæ figuræ, siue principiorum partes exercent, siue Conclusionis, siue ad latitudinis, siue ad longitudinis seriem deducantur, siue vniuersalia sint, siue media, siue particularia indeterminata, siue particularia determinata. oppositarum enim propositionum falsitas ex dictarum argumentationum virtute conuincitur, & noua quædam ratione, earundem propositionum veritas confirmatur. Syllogismi vero categorici secundæ, ac tertię figuræ, nec non conditionales omnes plurimum adiumenti afferunt ad veritatem tum percipiendam, tum extendendam. tunc siquidem veritati percipiendæ deseruiunt, dum mens nostra rectum, ac naturalem ordinem sequitur. in eo enim ab imperfectioribus tum cognoscibilibus, tum cognoscendi modis, exordiatum necesse est. His igitur imperfectioribus formis, ac modis insistent, certis quibusdam veluti gradibus ad perfectiora disponitur, atque ad veritatem clarius intuentiam firmatur.

Tunc autem eadem argumentationes veritatem iam perceptam extendunt, ac muniunt, cum Rationis ordo sequendus est: tunc enim veritates, quæ in prima figura iam demonstratæ sunt, si ad secundæ, ac tertię figuræ deducantur modos, proprias quodammodo vires diffundunt.

Quod

Quod si eadem ad Condicionalium syllogismorum modos inflectantur, ob multiplicem eiusdem veritatis intuitum ita mentibus nostris infigi solent, vt etiam sine aliquo discursu, absque vlllo erroris metu, admittantur, atque amplectentur; tuncque, si recte perpendimus, ipsæ veritates redduntur menti nostræ familiares, ac domesticæ, Ideoque absque vlllo labore, aut erroris metu ab ipsa mente receptæ, impertiuntur illi gratissimos contemplandi sensus, seu firmissimam agendi rationem, prout illarum ordini conuenit. Et in hac quidem veritatum familiaritate, totius Logicæ directionis fructus consummari uidetur. nam a naturali, ac morum directrice philosophia exquirenda sunt alia, quæ ad similitudines pertinent, necnon ad easdem veritates, similitudinum vi ita eliciendas, ac colligendas, vt viuidæ, ac quodammodo sensibiles reddatæ, & unico intuitu perlustrentur, & imperfectiores animi vires impellere, comprimere, atque ad decentem obtemperantiam, consensumq. deducere possint.

Ipsi uero syllogismi Diuisiui, Simplicisq. Inductiones, quarum argumentationum vnaquæque, immediata concludere potest, aptissimæ erunt ad principia constituenda, ac confirmanda, simulq. non parum virium afferent tum ad definitiones, ipsiusq. definibilis copulationem conuincendam, tum ad rerum species constituendas. quod tamen de illis speciebus est intelligendum, quæ ex diuidendi methodo perfecte definiri possunt. Reliquæ uero species, quæ non alicuius differentię ui, sed seipsis differunt, vehementiori quodam rationis nostræ conatu erunt inuestigandæ, ac enumerandæ. At silentio demandandum non est, argumentationum tam syllogisticarum, quam inductiuarum modos, ac materias omnes ex Conclusionis natura, tamquam ex illarum partu, tutissime colligi posse. quemadmodum enim propositiones ex prædicato dicuntur Analogæ, vel Vniuocæ, ita etiam argumentationes ex termino maiori, qui in conclusione prædicatur, erunt analogæ, vel vniuocæ.

Simili ratione, quemadmodum propositiones ex multiplici Subiecti gradu dicuntur Vniuersales, Communes, Mediæ, Singulares, & Particulares, ex Copulæ vi redduntur affirmatiuæ, seu negatiuæ; ex utriusque termini relatione dicuntur Essentiales, vel Non essentiales, Necessariæ, vel Contingentes; & ex terminorum serie, atque distantia dicuntur tum respectu longitudinis, tum respectu la-

R titudinis,

itudinis, Primæ, seu Non primæ; Ita argumentationes ex conclusionis Subiecto dicuntur Vniuersales, Communes, Mediæ, Singulares, ac Particulares: ex eiusdem Conclusionis copula, affirmatiuæ, seu negatiuæ, ex relatione terminorum, qui Conclusionem ingrediuntur, Essentiales, seu Accidentales; atque etiam ex eorundem dispositionibus Primæ, seu Non primæ.

Quod uero ad argumentationum dispositiones attinet, admo-  
nuisse sufficiet, eas eisdem legibus disponendas esse, quibus proposi-  
tiones tum respectu materiæ, tum respectu formæ, tam in naturali,  
quam in rationali progressu disponendæ sunt..



CONTEMPLATIONIS  
SECUNDÆ,

Quæ Logicam facultatem constituit,

Pars Quarta:

Quæ versatur circa totius Logicæ usus.



De triplici Logicæ doctrinæ usu, videlicet perfecto, imperfecto,  
& deprauato. Cap. I.



ACTENVS ea speculati sumus, quæ visa sunt per-  
tinere ad doctrinam illorum actuum, quos ra-  
tio nostra exercere solet. Nunc vero dicenda  
sunt aliqua circa huius doctrinæ usus. Præci-  
pue autem statuendum videtur, hos usus ad ter-  
narium numerum recte deduci posse, Primum-  
que Rectum, simulq. Perfectum appellandum  
esse; Secundum Rectum, sed Imperfectum; Tertium Imperfectum,  
simulq. Prauum. Ex Recto, ac Perfecto usu intenditur non tan-  
tum singularum quæstionum determinatio, sed etiam omnium or-  
do, ac dispositio. Hic usus Rectus est, ac perfectus, quoniam & ue-  
ritatem respicit, & omnem veritatem prosequitur, idq. decentissi-  
me: constituens siquidem, quæ, & quo ordine speculanda sint, sin-  
gula ita pertractanda suscipit, vt tandem omnia perlustret, ac colli-  
gat. Ex Recto, sed imperfecto Logicæ usu, oriri solet aliqua so-  
lutio quæstionum, voluntarie, seu pro occasione constitutarum.  
Appellamus hunc usum Rectum, quoniam ex propria natura veri-  
tatem intendit. Imperfectus uero est, quoniam, dum quæstionum  
omnium ordinem prætermittit, non exorditur contemplationem

a communissimis, ac primis, neque singula singulis annectit. Quapropter scibiliū ordinem ex necessitate dirumpit, neque conficere potest illationem vllam, quæ probabilis vim transcendat. Ex Deprauato Logicæ vsu ea seliguntur, quæ a Logica doceri solent, ut tamquam decipientiā uitari possint.

Hic tamen vsus ex propria natura malus, ac detestandus, aliquando ex accidenti vtrumque prodesse potest: nam talia decipientia solent Iuniorum ingenia excitare, atque exacuere, & vanorum hominum inscitiam, peruicaciamque comprimere. Ex eo etiam talis vsus doctrina non parum utilis censenda est, quoniam reddere nos potest paratiores ad vitanda ea, quæ decipere solent. Et hæc quidem commoda vna cum alijs longe præstantioribus deducuntur similiter ex Recto, sed imperfecto Logicæ vsu: illi enim, qui propositæ quæstionis confirmationem, seu destructionem ex Logicis admonitionibus prompte tutari assuescunt, redduntur aptiores tum ad sermocinandum, tum ad aliorum sermones dijudicandos. Præterea facilius abundant his, quæ expetenda sunt tam ad scientiarum principia recte firmanda, quam ad realia rationalibus facilius subiicienda.

*De Recto, ac Perfecto Logicæ doctrina vsu. Cap. II.*



**Q**UAE pertinent ad perfectum Logicæ vsum, ita ab ipsa Logica disposita, ac parata sunt, ut nouam sollicitudinem vix exquirant: patet enim tria esse, quæ præstanda sunt ab his, qui Contemplationibus decenter incumbunt. Primum est, concipere, ac delineare totam seriem eorum, quæ contemplanda sunt; Secundum, recte intueri, inuenire, ac dijudicare ea, quæ ad singula pertinent; Tertium, ex his, quæ inuenta, ac selecta sunt, contexere contemplationem tam respectu propositionum, quam respectu Argumentationum. Horum trium vnumquodque decentissime præstari poterit, si totius Logicæ vis, ac cursus recte attendatur: contemplandorum siquidem series omnis delineanda est terminis non realibus, sed rationalibus, quorum numerum, ac dispositionem ab ipsa Logica colligere licet. Siquis autem in ipso contemplationis exordio proponat res ipsas vna cum earum dispositione, hic non proponet, quid contemplandum sit, sed actu potius contemplationem exercebit.

bit. firmissimus vero intuitus singulorum, quæ iam constituta sunt, necnon eorundem inuentio, ac dijudicatio, tutissime fouentur ab ipsis Definitionibus rationalium terminorum. scientes enim exempli gratia, Communissimum genus absolutum, quod primo loco attendendum est, nihil aliud esse, quam id, quod de rebus omnibus prædicatur in Quid, nulla ratione fluctuabimus in statuendo Communissimo, atque absoluto genere reali. nam mentis aciem conuertemus ad ea tantummodo, quæ sunt maxime communia. Itaque, oblato ipso Ente, quam tutissime dijudicabimus, ipsum vere absolutum, ac communissimum esse, & partes communissimi, ac absoluti generis sustinere. Simili ratione accipientes Differentiam, communissimum genus constituentem, quæ secundo loco est concipienda, sumendam esse ex communissima aliqua virtute; Proprietates autem, quæ tertio loco attendendæ sunt, plures esse, ac plurium ordinum, omnibusque id euenire, ut communissimæ virtutis constitutionem primo consequantur; parati reperiemur ad perquirendum, inueniendum, ac dijudicandum id, quod Communissimum constituit Ens, & ea, quæ illius constituentem virtutem concomitantur.

Qua autem ratione selectis his, quæ sustinent partes tum subiecti definibilis, tum differentiæ constituentis, ac proprietatum, ex Logicis directionibus recte constitui, ac iudicari possint propositiones ex utroque termino reales, atque Argumentationes, neminem latere potest, qui præcepta Logica memoria retineat. Animaduertendum tamen est, perfectum hunc Logicæ vsum, quem intuemur paratissimum, respectu eorum, quæ ab ipsa Logica præstanda sunt, difficillimum reddi ex rerum contemplabilium natura, atque ex humanæ mentis imbecillitate. transcendencia siquidem (quæ sensus nostros omnino effugiunt) exposcunt acutissimum, ac perseverantem mentis intuitum. Cetera vero summam præterea sollicitiam, ac diligentiam desiderant, ne seu in ea incaute incidamus, quæ decipere possunt, seu aliquid prætermittatur, quod ad scientiam pertinet. Plurima etiam reperiuntur, quæ licet sensibilia sint, nostros tamen sensus non recipiunt, neque absque erroris metu his subiici possunt, quæ simplex rationis vis intuetur. Euenit igitur, ut contemplantium plurimi inquirant potius, quid dictum sit, quam quid dicendum, atque etiam, ut eorum, qui veritati perquirendæ, ac dijudicandæ sedulo incubuere, quidam scientiarum potius semina attingerint,

gerint, quam scientias: quidam perfectiora conantes seu ob Logicæ scientiæ defectum, seu ob minus accuratum illius usum, seu ob vtrūque, propositum plene adepti non sint. Itaque vehementer admonendi sunt, quicumque ueritatis studio tenentur, ut singula tum ab alijs tradita, tum a seipsis inuenta, quam sæpissime repetant, dijudicentque; ea vero, quæ communiora, ac priora sunt, numquam sufficienter perpensa existiment, ne minimus horum error totam contemplationem inficiat, ac maximus efficiatur in fine: nam & optimus Paterfamilias, non ignorans, quot, & qualia desiderentur in domo decentissime disposita, sæpe supellectilia omnia inuisit, singulorumq. defectus corrigit, donec omnia adsint, & singula sint optima, optimeq. disposita.

*De Recto, sed imperfecto Logicæ doctrinæ usu, & de duplici questionum ad illum pertinentium ordine, Dialecticarum scilicet, & Rhetoricarum. Cap. III.*

**R**ECTVS, sed Imperfectus Logicæ usus ideo difficilis est, quoniam singula seiunctim respicit, neque tractationem exorditur a primis. Quapropter non incongrue assimilari poterit nauigationibus illorum, qui nauigandi quidem artem callent, sed neque marium, neque regionum peritiam habent, Ideoq. (ut quandoque post tempestates euenit) ignorant omnino, quæ Maria Terræ circumstant. Itaque singula ab his diligentissime animaduertenda, experiendaq. sunt, ut aliqua ratione ad tuta perducere possint. Idem tamen Logicæ usus facilis censeari potest, quoniam vnum tantum prosequitur, neque intendit exactum aliquod, sed probabiliores tantum rationes exquirat. Ex quo intueri licet, eos, qui huic methodo non solius exercitij causa incumbunt, sed eam tamquam præcipuam amplectantur, plurimum fortasse elaborare, sed parum proficere.

Quæstiones vero, quæ disiunctim pertractari solent, ad duos præcipuos ordines sunt deducendæ. Primum ordinem ingrediuntur quæstiones omnes determinatæ, ut puta, dum quæritur de certo aliquo homine, an sit iustus. Ad secundum ordinem pertinent quæstiones indeterminatæ, ut puta, dum quæritur, an homo sit aptus ad philosophandum.

Quæstiones determinatæ ea perscrutari videntur, quæ, quantum ad

ad simplicem veritatis perceptionem attinet, parum admodum expetenda sunt, sed omnis illorum vis dirigitur ad animi motus excitandos, comprimendosue, atque etiam ad certam aliquam executionem adimplendam. vane siquidem quæritur de certo aliquo homine, an sit iustus, nisi percepta illius iustitia, intendamus eum amare, seu aliquod illi committere. Si quis autem asserat, horum perceptionem simpliciter expetendam esse, hic fateri cogetur, Scientiam omnem a propria consummatione longe distare, neque vquam ad illam accedere posse: singularium enim numerus infinitus censetur, & præsentia omnia, nedum præterita, ac futura cognoscere est impossibile. Quæstiones vero indeterminatæ dirigi solent ad simplicis veritatis perceptionem, neque ex sui natura aliquod præterea expetunt. Earundem etiam veritas, tam ex parte minoris propositionis, quam ex parte maioris, soli rationi innititur. quatenus enim sensuum adiumenta exquirat, hæc ex quocumque sensibili eiusdem speciei assequi possunt. Igitur asserendum est, tales quæstiones imperfectiorem hunc Logicæ usum priori quadam ratione exposcere, atque ad illam facultatem pertinere, quæ Dialectica appellatur: eos enim sermones respicit, qui habentur inter homines Veritatis solius amore. Determinatæ vero quæstiones Rhetoricæ recte demandantur: nam Rhetorica versari solet circa particularia determinate determinata, neque prosequitur veritatem communium, seu indeterminatorum, nisi fortasse, quatenus determinatorum veritati deseruiunt. Euenit ob id, ut Dialectica utatur oratione concisa, ac omnino nuda: nititur enim constituere affirmationem, seu negationem propositæ quæstionis. Rhetorica vero, semper expansè loquitur, ut orationis vi, animi affectiones seu reprimat, seu concitet, atque ad certos actus Auditores impellat. Eadem ob causas, vtriusque facultatis Auditores præcipui, & opera propria non parum inter se differunt: Dialecticæ enim opus præcipuum est docere, seu conuincere; & illius Auditor est seu discipulus (quantum ad hoc) loquente inferior, seu condiscipulator, loquenti æqualis. Rhetoricæ vero opus præcipuum est persuadere, & conuincere. Persuasio ea ratione probationibus innititur, ut ea etiam complectatur, quæ pertinent ad animos conciliandos, multipliciterq. deflectendos: Ideoq. ad eos Auditores dirigitur, qui Iudicis sustinent partes, & tamquam Maiores ab oratore respiciuntur.

Conuincendi actus probationibus quidem præcipue innititur, sed

sed commotiones etiam animi utcumque complectitur, eas tamen tantummodo, quæ rectum rationis usum perturbare, seu excitare possunt, simulque erubescerentiam, seu confusionem inducere. Ideoque eos intuetur tamquam Auditores, qui vere aduersantur, seu aduersari possent, eosque, utæquales, alloquitur, seu ut minores. Singularia autem, quæ totam naturam complectuntur, ut puta, Deus, tam ad Dialecticam, quam ad Rhetoricam pertinere possunt. nam & vniuersalium, & particularium proprietates, ac vires coniungunt. Idem sentiendum erit de his, quæ ex propria natura sunt seu expetibilia, seu fugienda, ut puta, Virtus, Vitia; Sapientia, Ignorantia; Honor, Dedecus; Diuitiæ, Paupertas, ac huiusmodi reliqua. nam horum vnumquodque indeterminate acceptum, Dialecticæ subijcitur, contractum vero ad particularia, Rhetoricæ vim exposcit.

*De Quæstionis Dialecticæ natura, materia, & quænam in ea supponantur, seu ignorentur.*

*Cap. IIII.*



**A**, quæ ad Rhetoricam facultatem attinent, nulla alia ratione Logicæ doctrinæ usum continere videntur, nisi quia Dialecticæ complectuntur usum. His igitur, quæ ad Dialecticam pertinent, recte perceptis, nihil eorum nos latebit, quæ deseruire possunt veritati disiunctim inquirendæ, siue primo intendatur, siue non primo.

Reliqua, quæ ad Rhetoricæ consummationem expetenda præterea essent, colligenda erunt ex his, quæ speculanda sunt circa animi affectus, circa morales habitus, ac circa reliqua, quæ pertinent ad humanorum actuum directiones.

Dialecticæ vero munia omnia recte (ni fallimur) perscrutari poterunt, si Dialecticæ quæstionis natura prius concipiatur, diligentiusque animaduertatur. nam Demonstrationis principia semper colligenda sunt ex definitione, seu ex descriptione, quæ definitionis munia sustineat, neque eo, circa quod versatur, recte percepto, reliqua, quæ ad illud pertinent, diligentius speculantem diutius latere possunt. Accipimus igitur, quæstionem Dialecticam nihil aliud esse, quam propositionem seiunctim acceptam, interrogatiueque prolatam, ut Logicæ facultatis, argumentationumque usu accedente, contrahatur, (ut veritas exquirat) ad affirmationem, seu ad negationem. Dum dicimus, Dialecticam quæstionem esse propositionem,

tionem, assentiamur necesse est, in ea contineri Subiectum, prædicatum, ac copulam, horumque vnumquodque certis quibusdam vocibus exprimi, & certa aliqua ratione concipi.

Dum addimus, Dialecticam quæstionem esse propositionem, quæ disiunctim accipitur, fateamur necesse est, eam attendendam esse, tamquam destitutam adiuuentis omnibus, quæ colligi possent ex iam demonstratis, siue illius sententiam clarius explicare possint, siue illius solutioni fundamenta utcumque suppeditent. Ex eo autem, quod adiungitur, eandem propositionem interrogatiue proferri, ut Logicæ facultatis, Argumentationumque usu accedente, tute contrahatur seu ad affirmationem, seu ad negationem, colligitur, Dialecticæ quæstiones, respectu vtriusque termini, rationales non esse: nam, si essent tales, pertinerent ad Logicam docentem, neque ab illa adhuc non constituta dirigi possent.

Ea tamen ratione reales erunt, ut illa, quæ in eis proponuntur, neque ex propria natura manifesta sint, neque ex solo sensu definiiri possint. quæ enim ex solo sensu definiuntur, non discurrendo, sed sentiendo noscuntur. Quæ vero ex propria natura manifesta sunt, vix interrogationem admittunt. Inter hæc tamen ea præcipue ad Dialecticam pertinere videntur, quæ, cum sint vniuersalia, complectuntur realem existentiam: nam talia subijciuntur Accidentibus, quorum inhærentia difficilius demonstrari potest.

Secundo deducitur, in quæstionis Dialecticæ interrogatione ignorari, utrum res definienda sit vel omnino affirmatiue, vel omnino negatiue, vel partim affirmatiue, partim negatiue: ignorari etiam, quænam argumentatio sit exercenda, quænam præmissæ, seu quinam termini tamquam mediæ sint assumendi. Et hæc quidem respiciuntur semper tamquam ignota. Ea uero, quæ pertinent ad terminorum uoces, atque ad conceptuum usus, recte fortasse ignorari non possunt. data enim horum inscitia, simul lateat necesse est id, quod interrogatur: sæpius tamen hæc ignorantur, vel non plene percipiuntur, ob latitantes æquiuationes; & disputationes ob hæc quammaxime perturbantur. Quapropter, ne id accidat, omnisque disceptationum fructus euanescat, ratio exquirat, ut horum expositio diligentissima præferatur.

*De quinque præcipuis muneribus Dialecticæ: quorum unumquodque recte sustineri potest, Logicis terminorum relationibus animaduersis. Cap. V.*



**I**OTIVS igitur Dialecticæ vis extendenda erit ad quinque, tamquam sibi maxime debita.

Primum est, communior quædam quæstionis perceptio.

Secundum quæstionis expansio ad illas quæstiones, quæ in proposita quæstione latitant, atque ab ea virtute continentur. neque enim quæstio recte absolui potest, nisi hæc singulariter percipiantur.

Tertium est quæstionis contractio ad illa, quæ primo loco soluenda sunt, seu ad illa, ex quibus ceterorum perceptio, ac solutio quam maxime pendet.

Quartum est directio recta ad inuentionem, selectionemq. tam terminorum, quam propositionum, quibus vtendum est seu tamquam Medijs, seu tamquam Præmissis ad uniuscuiusque quæstionis solutionem.

Quintum est dispositio, contractioq. argumentationum. Et hoc quidem, si priora recte præstentur, facile superaddetur, magnaque ex parte illorum consequetur vim. Ad horum autem unumquodque quântissime dirigemur, si enumerabimus omnes rationales relationes, quæ locum habent circa ea, quæ aliqua ratione contemplationem nostram admittunt, seu ingrediuntur. his siquidem, prout conuenit, animaduersis, quæstionis natura facile attingetur, neque præterire nos poterit, quibusnam rationibus debeat seu expandi, seu ad certiora contrahi: similiq. ratione facillime innotescet ratio tam terminorum mediorum, quam præmissarum assumendarum, quam certi argumentationum vsus. nam uniuscuiusque quæstionis termini intra harum relationum limites necessario detinentur, (siue quæstio primo proponatur, siue ex noua extensione sit elicienda, siue ex constructione prius animaduertenda) eademque, ac easdem ob causas veritatem continent respectu propositionum, quibus Præmissarum locus aptandus est, necnon terminorum, qui extra quæstionem assumendi sunt, siue referantur ad ipsius quæstionis partes, siue ad alia quæcumque.

Quibus autem rationibus eadem relationes his pluribus muneribus

ribus recte deseruiant, collectis breuiter ex superioribus earundem differentijs, ac partibus, facilius percipiemus. Accipimus igitur, veritatem, quam hominis perquirat ratio, necessario versari, vel circa Voces, vel circa Conceptus, vel circa Res. Circa voces, attenditur tam significandi vsus, respectu eiusdem rei, quam significandi ratio respectu plurium rerum. nam tales vsus, ac rationes quandoque sunt rectæ, quandoque non rectæ, redduntq. ipsas voces seu æqui uocas, seu non æqui uocas.

Hæ relationes sicuti primæ sunt, ita omnibus aptari possunt, quæ quæstiones, seu propositiones ingrediuntur, siue Subiecti, siue Prædicati, siue Copulæ sustineant partes. Circa conceptus attenditur concipiendi ratio, quæ oritur aliquando ex concipiendi actu, aliquando ex rei conceptæ natura, aliquando ex rerum conceptarum assumptione, seu vsu. Concipiendi actus admittunt quinque differentias. nam conceptiones exercentur seu substantiue, simulq. absolute, & abstracte, vt humanitas, albedo, paternitas; seu substantiue, simulq. absolute, & concrete, ut homo; seu denominatiue, simulq. absolute, concrete, atque ex connotatione substantiue, vt Album; seu relatiue, simulq. concrete, atque ex connotatione, substantiue, ac absolute, vt Pater; seu verbaliter, vt Albescit. Rerum conceptibilium, quatenus sunt conceptibiles, natura est triplex. quædam enim admittunt conceptionem analogam tantum, quædam uniuocam tantum, quædam nullam harum, sed propriam, seu singularem: nam particularia, seu singularia sunt.

Rerum cōceptarum assumptio, seu vsus est multiplex: hinc enim Conceptus fiunt uniuersales, communes, medij, particulares indeterminate, particulares determinate, assumunturq. seu absolute, seu vt determinantes, seu simpliciter, seu vt continent vim causæ. Circa res mens nostra dupliciter versatur. nam vel eas singulariter, ac seiunctim respicit, vel plurium copulationem, disiunctionemue concipit. Dum respicit res seiunctim, attendit vel illarum Esse, (videlicet an sint,) vel illarum naturam. quod quandoque confuse agit, quandoque distincte.

Dum rerum natura attenditur, confuse perquiritur præcipue illarum series. Hæ vero (rebus Logicis prætermisissis,) ad duos præcipuos ordines deducuntur, quorum vnusquisque iterum in plures partes discinditur.

Horum ratio est, quoniam realia omnia, quæ concipi possunt,

S ij uel

vel Prædicamentorum series transcendunt (ideoque Transcendentia recte appellari possunt) vel ab eisdem Prædicamentorum seriebus continentur.

Nouimus autem dari seriem Substantiæ, Quantitatis, Qualitatis, Relationis, Actionis, Passionis, Vbi, Quando, Situs, & Habere; & harum unicuique certa proportione respondere Conceptus quosdam, qui transcendentibus aptantur.

Dum rerum natura respicitur distincte, attenditur non tantum series, sed ratio etiam contractionis, ac proprium uniuscuiusque Esse. Enumerati rationis nostræ intuitus, qui versantur circa significandi, concipiendiq. rationes, atque circa rerum seu Esse, seu naturam, Simples appellari possunt: constituunt enim eas quæstiones, quæ simplices nominantur.

Plurium conceptibilium copulatio, seu disiunctio dupliciter attendi solet, videlicet absolute, & comparatiue. Dum attenduntur absolute, rationis intuitus versari solet quandoque circa Subiecti assumptionem, quandoque circa Prædicati adiectionem, quandoque circa Copulæ naturam, ac vim.

Ex varia Subiecti assumptione Subiectum redditur seu vniuersale absolute, seu commune absolute, seu medium, seu particulare. Euenit etiam, vt nonnumquam vim causæ, seu certam aliquam determinationem complectatur, Ideoque profertur cum aliqua repetitione, vt puta, dum dicitur, Homo, quatenus homo; Sæpe etiam nullam repetitionem exposcat, neque causæ, seu determinationis vim contineat.

Quod ad Prædicata attinet, manifestum est, horum quædam ex propria natura Affirmationi, quædam Affirmationi, ac Negationi, quædam uero Negationi deseruire. Quæ Affirmationi fauent, referuntur ad Subiectum, seu tamquam genus, seu tamquam species, seu tamquam differentia, seu tamquam proprietas, (quarum unaqueque & generica, & specifica esse potest) seu tamquam definitio, seu definitioni æquipollens, seu tamquam Accidens essentialiale, simulq. absolute necessarium, (vt, hominum vnumquemque genitum esse) seu tamquam Accidens necessarium, & non essentialiale. Quæ fauent tam Affirmationi, quam Negationi, (licet fortasse alteri magis, seu minus) sunt Accidens essentialiale, & necessarium non absolute, sed ex certæ conditionis adiectione, (vt, Hominis manum, dato Naturæ opus non impediri, quinque digitos habere) seu tam-

quam

quam Accidens essentialiale, & contingenter non necessarium, ut Hominis manum quinque digitos habere. quod necessarium non est: quoniam contingit, Naturæ opus aliquando impediri. His annectuntur, quæ vt in paucioribus, seu æqualiter, inesse solent, Accidens scilicet essentialiale nullo modo necessarium, (ut, Hominem actu ridere.) & Accidens omnino per accidens, quoniam scilicet neque necessario inest, neque ex propria natura pertinet ad Subiecti bonum, seu malum, vt, Socratem esse album. Horum quædam prædicantur denominatiue, quædam relatiue. Quæ denominationem inducunt, oriuntur ex Numero, ex Quantitate, ex Qualitate, ex Actione, ex Passione, ex Loco, ex Tempore, ex Situ, & ex Habere. Eorum, quæ relationem continent, quædam permanentia sunt, neque ullam Actionis vim complectuntur, semperq. eam relationem pariunt, qua partes, ac totum ad se inuicem referuntur. Et tales quidem partes sunt seu Essentiales, seu Numerales, seu Quantitatiuæ, seu Integrales, seu Instrumentales, seu Graduales. Quædam sunt permanentia, sed non dantur absque actionis conceptu, semperq. respiciunt tempus seu præteritum, seu præsens, seu futurum, seu indeterminatum. Quædam sunt successiua, ac successionis partes appellantur, vel quoniam ex illarum subordinatione Actio constituitur, ut exordium, processus, ac finis; seu quoniam in Actionis constitutione se inuicem concomitantur. Harum autem quædam sunt essentialiales, vt Agēs, Vis impellens, Finis cui, Finis propter quem, Media, Res circa quam, Agendi vis, Auxilia, ac Instrumenta, Ea quæ Actionem concomitantur, & Agendi modus; Quædam accidentales, ut Præcedens rerum status, Aliquorum præsentia, seu absentia, Tempus, Locus, Occasio. Prædicata, quæ ea ratione subiectum respiciunt, vt Negationi faueant, ideo locum habent, quoniam res ab inuicem differunt.

Hoc autem pluribus etiam ex causis euenit; quædam siquidem Plusquam genere differunt, ut, Deus, & homo: quædam toto genere, ut, substantia, quantitas, ac singula Prædicamenta: quædam differunt genere subalterno, vt homo, & lapis: quædam differunt, specie, ut homo, & equus: quædam differunt solo numero, ut Socrates, & Plato.

Eorum autem, quæ differunt specie, quædam opponuntur formaliter, ut Rationale, & Irrationale; quædam materialiter, ut Magnum, & Paruum, dum accipitur simpliciter, & absolute, non autem

tem

tem comparatiue, seu relatiue; quædam medie, vt Acutum, & obtusum; quædam contrarie, vt Caliditas, & Frigiditas; quædam priuatiue, vt Potentia, & Impotentia; quædam relatiue, vt Pater, & Filius; quædam etiam seipsis differunt, neque vllam continent oppositionem, licet relationem admittere possint, vt puta Locus a loco. Hæ tamen ab inuicem distingui solent ex concursu aliorum, tamquam ex proprijs differentijs.

Dum comparatur Prædicatorum inhærentia, animæ intuitus ad magis, ac minus dirigitur. Hoc autem in Substantia respicit perfectionem, in Numero multitudinem, in Quantitate continua extensionem, in Qualitate intensiorem, in Actione, Passioneq. velocitatem, in Tempore perseuerantiam.

Relationes, quæ ex Copularum differentijs oriri possunt, plurimæ sunt: nouimus enim Copularum fontes præcipuos ad octonarium numerum non incongrue deduci posse, hosq. esse, Est, Habet, Potest, Scit, Vult, Debet, Consuevit, & Agit, prout unamquæque actionem proponit. Hæ Copulæ quattuor rationibus adaugentur. Primo ex multiplici vsu. ex quo euenit, vt ipsa Copula, Est, deseruiat quandoque vocum, seu conceptuum dijudicationi, ministratq. simul prioribus ordinibus quæstionum: quandoque obijciat propositionum veritatem, ac falsitatem, supponatq. utcumque quæstionum definitionem: quandoque assumatur ad certæ alicuius personæ indicationem, seu dilucidationem, (quod pertinet ad Rhetoricam potius, quam ad Dialecticam:) quandoque manifestet aliquam certam rem, quod pluribus rationibus contingit: aliquando enim manifestat substantiua absoluta, ut puta, dum dicitur, Homo est animal: aliquando substantiua cum relatione, vt puta, Homo est rationalis: aliquando Denominatiua, quæ (ut ex superioribus patet) plurium ordinum sunt: aliquando Relatiua, quæ similiter plures differentias admittunt. nam quædam sunt permanentia, & nullam Actionis vim complectuntur; quædam ita sunt permanentia, ut absque Actionis conceptu non dentur: quædam ex fluxu pendent, quarum aliqua sibi inuicem succedunt, dicunturq. partes subordinationis: aliqua Actionem concomitantur, & Partium Concomitantium vocem admittunt. His etiam accedunt, quæcumque comparationem continent, atque respectu Substantiæ sunt perfectiora, seu imperfectiora: respectu Numeri excedunt, vel non excedunt: respectu Quantitatis sunt maiora, vel minora: respectu Qualitatis, intensio-

ra,

ra, seu minus intensa: respectu Motus, velociora, seu tardiora: respectu Actionis, seu Passionis, faciliora, seu difficiliora, diuturniora, seu minus diuturna: siue hæc interna, sint, siue externa.

Copula, Habet, similiter plures vsus admittit: quorum plurimi uersantur circa ea, quæ Copula, Est, coniungere solet, sed singulari quadam ratione: illi enim proprium est, permanentia tantum copulare, quæ etiam aliqua ratione diuersa sunt.

Horum quædam sunt interna essentialia, & formalia, ut Homo habet animam: quædam interna essentialia, & materialia, ut Habet corpus, Habet partes: quædam interna non essentialia, ut Habet albedinem, habitum, potentiam, figuram: quædam externa, quæ seu nullius Actionis conceptum continent, vt Habet diuitias: seu continent Actionis conceptum, ut Habet filios, amicos, potestatem, & huiusmodi alia.

Vsus copulæ, Potest, vt videtur, est triplex. quandoque enim respicit essentialia, ut Homo potest currere, idest essentialiter est aptus ad cursum exercendum: quandoque perfectam dispositionem externam, nulla habita ratione externorum impediendum, ut Iuuenis corpore, ac uiribus integer (licet nunc detineatur) potest currere: quandoque etiam impediendum omnia excludit, ut Idem iuuenis in campo positus, nullis impediendum implicitus, potest currere.

Copula Scit, & Copula Vult, quandoque internos habitus, quandoque internos actus significant. Dum habitus respiciunt, continent vim copularum seu Est, seu Habet: Dum actus proponunt, concurrunt vel cum eadem Copula Est, accedente vsu Participij, vel cum Copula Agit.

Copula Debet, significat aliquando decentiam, ut Deus debet diligere iustos: aliquando consonantiam, vt Qui inceptit, debet perficere: quandoque debitum virtutis, ut Beneficis debetur gratitudo: quandoque debitum Prudentiæ, ut Debemus propriam perfectionem proficere: quandoque debitum ex humana lege, ut Debemus vectigalia soluere: quandoque debitum ex Naturæ lege, ut Debemus Deum colere: debitum ex Diuina lege, vt Debemus Deum ita colere.

Secundo Copulæ adaugentur ex actiua, & ex passiua significatione, ex qua superadduntur, Scitur, Desideratur, Debetur, & Agitur.

Tertio ex perfecta, seu imperfecta copulatione, quæ duplici ratione exercetur, quoniam scilicet seu ab imperfectiori ad perfectius dirigit,

rigit,



rigit, seu e contra, a perfectiori ad imperfectius declinat. Hinc effluunt a Copula Est, Efficitur, & Destruitur: a Copula Habet, Acquirat, & Amittit, Acquiratur, & Amittitur: a Copula Scit, Addiscit, & Dediscit, Discitur, & Dediscitur: a Copula Vult, Accenditur in voluntate, & remittitur, & quæ passiuè his respondent: a Copula Debet, Astringitur, seu soluitur debito, & quæ passiuè idem referre possunt: a Copula Solet, Assuescit, Desuescit, & quæ passiuè idem significant.

Quarto ipsæ Copulæ extendi solent ex supradictorum fluxuum seu initio, seu processu, seu consummatione.

Harum uero relationum, quæ ex Copulis pendent, plurimæ extendi etiam possunt ob differentias temporum, locorum, & aliarum circumstantiarum. Duximus, has relationes omnes ad Dialecticæ vsus colligendas esse, cum ut paratiores sint, tum etiam, quoniam illarum vnaquæque singulari quadam ratione, mentis nostræ aciem exercet, ac dirigit. quamuis enim plures videantur referre eadem, tamen vnaquæque proprium intuitum vere prouocat.

*De vsu Logicarum relationum in collectione, ad dispositione eorum, quæ nota sunt, in inuentione eorum, quæ ignorantur, & in decenti vsu iam collocatorum, ex quibus consecuti sunt Locorum vocem, respectu terminorum, ac propositionum, respectu questionum, & respectu terminorum, mediorum, præmissarum, & Argumentationum. Cap. VI.*



**L**OGICAE relationes, quas enumerauimus, sunt quidem cæteris omnibus communiores, nullum tamen reale, ex propria vi effundunt, seu pariunt. nam relatiuorum communitas omnis (ut ex demonstratis manifestum est) non deducitur ex communi rerum natura, seu gradu, sed ex communi rerum concursu.

Ideoque ita complectuntur realia, ut non generis, sed loci sustineant partes, neque ea ratione, ut rerum unicuique propriam sedem, constitutionemque afferant, ut puta, dum in ædificij constructione singula suis aptantur locis, sed, ut ante ædificij constructionem euenit, dum plura coaceruantur, quæ, licet plurimum sint generum, ex certa tamen relatione sibi inuicem consona sunt.

Patet autem hoc locorum munus his relationibus communioribus demandari ab hominum mente. quapropter illis propriissimum

mum erit, non tantum continere, sed etiam ad inuentionem dirigere, simulque ministrare collocationi, ac depromptioni: hominis siquidem mens, ea ratione veritati studet, ut incumbat non tantum collectioni, ac collocationi eorum, quæ nota sunt, sed etiam inuentioni eorum, quæ ignorantur, intendatque ex vsu eorum, quæ nota sunt, nouam incognitorum perceptionem. Ipsæ igitur relationes Logicæ, seu rationales, dum deseruiunt tamquam Loca vacua, collectioni eorum, quæ nota sunt, dicenda erunt Loca terminorum, ac propositionum.

Dum ex earundem directionibus perquiruntur ignota, appellari poterunt Quæstionum Loca. Dum tamquam Loca plena moderantur depromptiones eorum, quæ in illis continentur, ad definitiones quæstionum, dicentur Loca terminorum Mediorum, Præmissarum, ipsarumque Argumentationum.

Ea, quæ primo colligenda sunt, & primum relationum vsum exposcunt, ex quo terminorum, ac propositionum Loca denominantur, duorum ordinum videntur esse: quædam enim sunt communiora, in illisque conueniunt, quæ singula Loca ingrediuntur, prout ad aliorum Locorum vnumquemque referri possunt, ut puta, si attendatur Locus a contrarijs, ut refertur ad vocum significationem, colligemus, Contrarijs proprium esse, eandem significandi rationem admittere. Ideoque si illorum alterum subiacet æquiucationi, aliud etiam æquiucationem admittere: & si eadem Contraria referantur ad concipiendi rationes, colligetur, eisdem Contrarijs proprium esse, easdem concipiendi rationes admittere, Ideoque si illorum alterum tam concrete, quam abstracte concipitur, aliud etiam eisdem rationibus concipi posse. Quædam sunt minus communia, atque ab ipsa Locorum communitate continentur, ut puta, dum idem contrariorum Locus attenditur, ut contrahitur ad Contrariorum species, assumimusque Caliditatem frigiditati esse contrariam, humiditatem siccitati, albedinem nigredini, & alia huiusmodi. Sicuti autem communiora omnia docentur a Logica, ita minus communia suppeditantur ut plurimum ab Experientia, ac ab ipsis sensibus.

Eadem communiores relationes duplici etiam ratione ad ignota perquirenda nos dirigunt, atque quæstionum sunt Loca: demonstrat enim quid absolute perquiri possit, videlicet vel Nominis vim, vel concipiendi rationem, vel rei existentiam, vel rei seriem, vel rei

T quiddi-

quidditatem, vel ceterorum aliquod. nam, vt diximus, horum aliquod necessario quærendum est, neque aliquid præterea exquiri potest. Demonstrant etiam, quid de re data perquirendum sit, vt puta, dum circa hominem versamur, attendendam esse vel illius vocem, vel concipiendi rationes, vel ceterorum aliquod. Et talis quidem virtus quam maxime conducit ad ipsarum quæstionum formationem, expansionem, ac contractiones recte exercendas: Expansio enim exercetur, dum proposita quæstio diligenter pensatur primo respectu partium, vt absolute attendi possunt. quod eadem seruata serie, præstari debet, qua terminorum differentia demonstrantur in Logica, vt scilicet attendantur voces, concipiendi rationes, quæ illis aptari, seu non aptari possunt, tum respectu rationis intuentis, tum ob varios vsus, tum etiam ob rerum conceptibilium aptitudinem; necnon series, seu prædicamenta, ad quæ eadem quæstionis partes sunt deducendæ. Secundo respectu relationum, quibus eadem partes ad inuicem referri possunt. ex quibus pendent omnes illarum conuenientia, ac differentia, simulq. dignoscitur, utrum referantur ad inuicem absolute, vel relatiue: vt tum tamquam species ad genus, seu tamquam definibile ad differentiam, seu tamquam subiectum ad proprium, seu tamquam subiectum ad accidens.

Ex eisdem etiam demonstrabitur, an tales quæstionis partes, ut ad inuicem referuntur, ingrediantur seriem vel Longitudinis, vel Latitudinis: & vt tum illarum annexio sit mediata, seu immediata. quæ animaduersa docere possunt, an tota quæstio sit decens, seu indecens: nam (vt diximus in Logica) quæ pertinent ad seriem Longitudinis, dum terminorum vis non ignoratur, tamquam per se nota, sunt accipienda, neque recte in dubium reuocari possunt. Idem etiam euenit terminis Immediatis, qui ingrediuntur Latitudinis series.

Consummata autem tali sollicitudine Expansione, quæstionis Contractio non erit difficilis. patet enim, quæstionem contrahendam esse ad ea, quæ magis obsistunt totius quæstionis definitioni, necnon ad illa, ex quorum determinatione cetera longe facilius patere possunt.

Silentio autem demandandum non est, non parum adiumenti afferri posse iam demonstratis rationalium relationum, seu Locorum vsibus, si Substantia particulares sensibus, experimentisq. adiuantibus, sæpius, & ea ratione attendantur, ut diligenter animaduertatur,

uertatur, quid de illarum vnaquaque possit recte seu affirmari, seu negari. nouimus enim, reliqua omnia tam essentialia, quam accidentalia, circa has uersari, illisq. inniti. Nouimus etiam, sensibilia aliquo pacto continere imaginem omnium insensibilium. Itaque vnusquisque ad hæc respiciens, propositionibus pluribus abundabit, eoq. vberius, ac facilius, si hæc attendens insistet locis iam constitutis, & ea seiunctim animaduertet, singulasq. rerum series, seu prædicamenta sedulo perlustrabit. Ad idem etiam faciet, singularum propositionum vires exercere, primoq. Imperfectiores, Constructiuam scilicet ex conuersione, Destructiuam, atque Collectiuam: mox vero ea omnia animaduertere, quæ tam de Subiecto, quam de Prædicato harum propositionum, absque ulla difficultate, aut errandi metu, affirmari, aut negari possunt, atque etiam illa omnia, de quibus & Subiectum, & Prædicatum indubie affirmantur, seu negantur. neque enim ambigendum est, quin plurimis ex his conceptis, & propositionum copia suppeditetur, & perfectiores propositionum vires ad actum perducere possint, Actiua scilicet virtus, receptiua potentia, & Inductiua virtus.

Præcipue uero colligendæ erunt communes animi conceptiones: inter quas illæ etiam recte connumerantur, quibus asseritur, Ea probabilia esse, quæ omnibus videntur, quæ videntur Sapientioribus, quæ ab aliquo Sapientissimo probantur, quæ Periti asserunt circa illa, quæ pertinent ad propriam artem. Itaque semper erit vtile circa singula, aliorum etiam sententias exquirere.

Sed iam explicandi sunt ceteri vsus rationalium relationum, ex quibus dicuntur Loca mediolorum terminorum, præmissarum, ac Argumentationum, quoniam hæc vnumquodque depromenda obijciunt. In his vsibus supponitur, quæstionem iam perpensam fuisse, neque latere seu vocum assumptarum vires, seu concipiendi rationes, seu Subiecti, & Prædicati relationes, ac series. Horum vero perceptio eam vim habet ad hos Locorum vsus, quam Conclusionem obrinere diximus in docendis argumentationum, quarum uideōstrandæ sunt, naturis, ac differentijs, nam Quæstio nihil aliud est, quam Conclusio assertione carens.

Animaduertendum tamen est, vniuscuiusque quæstionis vim contrahi ad eiusdem quæstionis Subiectum: nam (vt sæpius diximus) Subiecto semper conuenit, manifestationem recipere; ceteræ enim propositionum, ac quæstionum partes tamquam notæ, respi-

ci solent. Sicuti autem manifestari præcipue conuenit quæstionis subiecto: ita manifestandi, ac soluendi partes (respectu quæstionum) medio termino exterius accepto demãdandæ sunt. cum enim quæstionis prædicatum hoc munus, quod illi est proprium, ob Copulæ coniungentis defectum præstare non possit, id ab alio termino externe accepto, necessario exhibendum est.

Hæc demonstrant, medium terminum sumendum esse ex rationalibus relationibus, quatenus aptari possunt quæstionis subiecto, manifestandi nempe uis ad illud dirigenda est, quod manifestatio- nem exposcit haud secus, quam pharmacum parti, in quæ ægritudo viget. Siquis autem existimet, medium terminum colligendum esse ex eisdem rationalibus relationibus, quatenus aptantur prædicato quæstionis, hic certe quæstionis vim non attinget, neque percipiet, quod uere in dubium reuocatur; quin etiam in illud incidet, ut utatur tamquam noto eo, ad quod disceptatio omnis dirigenda est. siquis enim proposita, exempli gratia, quæstione, in qua quærat, an animal sit corruptibile, attendens ex loco definitionis Definitionem corruptibilis, quod prædicatur in quæstione, dicat.

Quod transit de Esse ad non Esse, est corruptibile.

Animal transit de Esse ad non Esse.

Ergo, animal est corruptibile.

Hic nõ animaduertit, ex proposita quæstione non quæri, quid sit corruptibilitas, immo hoc supponi tamquam notum, (nam hoc non intellecto, nulla esset quæstionis perceptio) sed quæri tantummodo, an animal sit corruptibile, quod idem est, ac si quærat, an animal transeat de esse ad non esse. Itaque, dum dicitur, Animal transit de esse ad non esse, absque vlla argumentatione præuia illud tamquam manifestum accipit, quod ex quæstione reuocatur in dubiũ. Quod si idem nostram hanc sententiam conetur infringere, acceptaque, exempli gratia, quæstione, in qua interrogatur, An homo sit sensituius, Medium terminumumat a loco proprietatis, respectu animalis, quod prædicatur in quæstione, dicatque hoc pacto,

Omne progressiuũ est sensituius,

Homo est progressiuus,

Ergo, Homo est sensituius.

Rursum admonendus erit, Huius mediij termini vim, respectu quæstionis propositæ, apparere præcipue, non quoniam Sensituius

prædicatur

prædicatur de Sensituius, vereque dici possit, Progressiuum est sensituius; sed quoniam ipsum progressiuum prædicatur de homine, qui subijcitur in quæstione, & ad quem etiam tale medium refertur ex eodem Loco a proprio, licet respectu illius sit proprium communius, neque primo conueniat. Quod autem idem medium eliciatur a prædicato, id est per accidens, quoniam scilicet accidit, ut terminus medius eandem vel aliam relationem habeat etiam ad prædicatum, Idem etiam confirmari potest ex his, quæ in Logicis demonstrata sunt circa primam figuram syllogismorum rectorum, ac perfectorum: in ea siquidem propositio minor, quæ Conclusioni subiectum tribuit, necessario est affirmatiua, cum propositio maior utriusque qualitatis assumi possit. patet autem, Conclusionis assertionem pendere præcipue ab affirmatiua. Quapropter videtur etiam asserendum esse, terminum medium tunc vere quæstioni solutionem asserere posse, dum sumitur ex Locis affirmatiuis. nam, quæ de Subiecto negantur, illam consummare non possunt, sed ad illam tantummodo dirigunt. Quemadmodum autem rationales relationes, quatenus aptari possunt termino, qui in quæstione subijcitur, obijciunt terminos medios, recteq. censentur Loca mediiorum terminorum; ita quatenus aptantur termino, qui in eadem quæstione prædicatur, subministrant propositiones in syllogismis præmittendas, illudq. exercent munus, ex quo Præmissarum Loca denominantur. In harum Præmissarum depromptione, illæ rationales relationes tantummodo attendendæ sunt, quæ quæstionis prædicato aptari possunt respectu termini mediij iam accepti, de quo quæstionis prædicatum ad quæstionis solutionem non tantum affirmari potest, sed etiam negari. nam etiam ipsa Quæstio definitur vel affirmatiue, vel negatiue, prout Præmissa accepta, est seu affirmatiua, seu negatiua.

Rationales vero relationes ex tali usu decentissime dicuntur Loca Præmissarum, tum quoniam semper integram propositionem suppeditant, tamquam prius notam; tum etiam, quoniam, dum Loca; Medium terminum obijcientia, sunt remotiora, ac magis relatiua, duas propositiones subministrant. nam Mediij termini infirmitas noua fulcimenta requirit. Itaque, si reuocetur in dubium, exempli gratia, An Albedinis vox sit æquiuoca; & Medius terminus accipiat a Loco, qui dicitur a Contrario, qui Nigredinem obijcit, primo ex relatione huius Mediij termini ad quæstionis prædicatum, lumen

da

da erit propositio affirmatiua, qua asseratur, Nigredinis vocem esse æquiuocam; Secundo sumenda erit alia propositio, quæ attendens eundem Locum a Contrario, ex quo Medius terminus accipitur, & Locum Prædicati, asserat vniuersaliter, Vnius Contrarij voce existente æquiuoca, alterius Contrarij vocem æquiuocam esse. Sicuti enim, hac propositione deficiente, nulla est Medij termini vis, ita, hac accedente, redditur firma: licet enim arguere primo Condicionallyter hoc modo,

Si Nigredinis vox est æquiuoca, Albedinis vox est æquiuoca.  
Nigredinis vox est æquiuoca.

Ergo, Albedinis vox est æquiuoca.

Secundo Cathgorice hoc modo,

Dum duo opponuntur contrarie, vnius voce existente æquiuoca, alterius vox est æquiuoca.

Albedo, & Nigredo opponuntur contrariæ.

Ergo, Nigredinis voce existente æquiuoca, Albedinis vox est æquiuoca.

Quæ dicta sunt circa mediorum terminorum, ac præmissarum depromptiones, simul Argumentorum depromptiones docere possunt, constito præsertim, semper terminos, qui depromuntur a certa aliqua relatione, tamquam a certo Loco, & ipsam relationem eiusdem vniuersalitatis censendos esse. Quapropter, dum Syllogistice arguendum est, sicuti medius terminus non potest seu a Subiecti vniuersalitate deficere, seu Prædicati vniuersalitatem transcendere; ita Locus, a quo Medius terminus est depromendus, non deficiet ab vniuersalitate termini, qui subijcitur in quæstione, neque transcendet illam, quæ aptatur eiusdem quæstionis prædicato.

Dum vero est arguendum Inductiue, semper illæ relationes erunt attendendæ tamquam Loca, quæ deficiunt ab vniuersalitate termini, qui in quæstione subijcitur. Maior autem Locorum vniuersalitas sumenda est non tantum ex his, quæ pertinent ad seriem longitudinis, sed etiam ex ceteris omnibus, quatenus sunt remotiora, quæ semper extenduntur ad plura.

*De Locorum enumerandorum rationibus, ac de tota illorum serie.*

Cap. VII.



ED iam deueniendum est ad contractionem Locorum enumerationem. sicuti enim ex sola Communissimorum acceptione, Extensio ad realia esset difficilior, ita, si singula accuratius enumerentur, Locorum numerus in immensum adaugeretur, & non dissimilia incommoda sequerentur. Itaque media via incedendum erit. hac enim ratione vtrumque malum deuitabimus. Loci igitur erunt vigintiduo, qui Sumuntur a Vocibus, a Conceptibus, & a Rebus, Rerumq. relationibus Logicis, quibus si addantur octo, qui ex Copularum viribus repeti possunt, erunt triginta, ut infra.

*Loci quæstionum simplicium, qui etiam sunt Terminorum, Propositionum, & Argumentationum Loci.*

- 1 A significandi ratione, respectu eiusdem vocis.
- 2 A significandi vsu, respectu eiusdem rei.
- 3 A concipiendi ratione, quoniam scilicet res concipiuntur seu substantiue, absolute, ac concrete, seu aliter, vt ex superioribus.
- 4 A rerum conceptibilitate, ex qua oritur Conceptio analogæ vniuoca, & propria.
- 5 A rerum conceptarum vsu, ex quo conceptio redditur seu vniuersalis, seu media, seu particularis, vt ex superioribus.
- 6 A rerum esse, seu Existentiæ.
- 7 A rerum natura communi, quæ distinguitur per Prædicamenta, & per ea, quæ Prædicamenta transcendunt.
- 8 A rerum Quod quid est.

*Loci quæstionum compositarum, qui simul terminorum, propositionum, & argumentationum sunt Loci.*

- 9 A Subiecti quantitate, quoniam scilicet sit absolute vniuersale, absolute commune, medium particulare, complectens vim causæ, seu aliter, vt ex superioribus.

Hic Locus, Quæstionibus tantum videtur deseruire.

- 10 A Prædicatis, quæ semper affirmationi deseruiunt, atque intrinseca.

trinseca sunt, vt puta, genus, species, differentia, definitio, seu descriptio definitioni æquipollens, proprietas, accidens essentialē, ac necessarium, seu absolute, seu ex condicione, & accidens necessarium non essentialē.

11 A Prædicatis, quæ vtpurimum insunt, atque affirmationi fauent, vt puta, Accidens essentialē contingenter, non necessarium.

12 A Prædicatis, quæ ex propria natura tam affirmationi, quam negationi deseruiunt, vt puta, Accidens essentialē, nullo modo necessarium, & Accidens per accidens.

13 A prædicatis, quæ ex propria natura, negationi, vtpurimum fauent, videlicet ex his, quæ raro fiunt.

14 A prædicatis, quæ ex propria natura negationi fauent, cuiusmodi sunt ea, quæ differunt seu plusquam genere, seu toto genere, seu genere subalterno, seu specie, seu numero.

15 A denominatiuis, quorum aliqua oriuntur ex numero, aliqua ex quantitate, aliqua ex qualitate, aliqua ex actione, aliqua ex alijs prædicamentis.

16 Ab oppositis seu formaliter, seu materialiter, seu mediè, seu contrarie, seu priuatiuè.

17 A relatiuis permanentibus, quæ nullam actionis vim completuntur, seu a toto, & partibus permanentibus, quorum aliqua pertinent ad totum essentialē, aliqua ad totum numerale, aliqua ad totum quantitatum, aliqua ad totum integrale, aliqua ad totum instrumentale, aliqua ad totum gradualē.

18 A relatiuis permanentibus, quæ absque actionis conceptu non dantur, ut puta, pater, & filius; magister, & discipulus.

19 A relatiuis successiuis, quatenus successionum partes sibi inuicem subordinentur.

Ad has pertinent actionum exordia, processus, ac termini.

20 A relatiuis successiuis, in quibus successionis partes se inuicem essentialiter concomitantur.

Ad has pertinent, agens, vis impellens, finis cui, finis propter quem, media, res circa quam, agendi vires, auxilia, instrumenta, agendi modi, & actionum fructus.

21 A relatiuis successiuis, in quibus attenduntur successionis partes, se inuicem accidentaliter concomitantes, vt puta, præcedens rerum status, aliquorum præsentia, seu absentia, tempus, locus, & occasio.

22 A compa-

22 A comparatiuis, in quibus attenditur maior, & minor seu perfectio, seu multitudo, seu extensio, seu intensio, seu velocitas, seu perseuerantia.

Præter supradictos Locos dantur Loci omnes, qui ab ipsis Copulis deduci possunt. Hos etiam enumerandos existimamus. quamuis enim nihil diuersum obijciant ab his, quæ ex superioribus Locis colligi possunt, diuersum tamen rationis nostræ intuitum exercent. Ideoq. priori quadam ratione eidem deseruire possunt. ij igitur deducendi erunt ab vsu singularum copularum, videlicet,

23 A Copula Est,

Prout vocum, seu conceptionum dijudicationem obijcit.

Prout significat veritatem, seu falsitatem.

Prout certum aliquid indicat.

Prout realia coniungit, ac separat.

24 A Copula Habet,

Prout coniungit seu interna essentialia, & formalia, seu interna essentialia, & materialia, seu ea, ex quibus oritur denominatio, ac relatio.

25 A Copula Potest, pro triplici illius vsu.

26 A Copula Scit,

Prout significat habitum sciendi, habitum agendi, & sciendi actum, seu etiam opinionem.

27 A Copula Vult,

Prout significat voluntatis seu habitum, seu actum.

28 A Copula Debet,

Prout significat seu decentiam, seu consonantiam, seu debitum ex morali virtute, seu debitum ex prudentia, seu debitum ex humana lege, seu debitum ex diuina lege.

29 A Copula Consuevit, seu a consuetudine.

30 A Copula, quæ accipitur ex certæ actionis vsu.

In ipsis Copulis attendendi sunt Actiui, & Passiui modi; perfectæ, ac imperfectæ copulationes; nec non initia, processus, & consummationes.



IMPERFECTVS, simulq. deprauatus Logicæ doctrinæ vsus (quem tertio Loco dari, atque deceptionibus deferuire diximus) explicandus nunc est.

Id breuibus præstari potest. nam si deceptio, veritatis perceptioni aduersatur, ea, quæ a veritate deducunt, deceptionibus ex necessitate ministrant; Ideoq. admonuisse sufficet, ea deceptionibus inferuire, quæ ex iam constitutis nouimus ab illis vitanda esse, qui veritatis contemplationi decenter incumbunt. Si quis autem hæc compendio enumerare velit, facile percipere poterit, horum quædam pendere ex vitiosa vocum significatione; quædam ex vitiosa proponendi forma; quædam ex vitiosa argumentandi figura, ac modo; quædam ex his, quæ ratione materiæ falsitatem continent; seu ex vitiosa collectione. Vocum vitiosâ signifikatio oritur quandoque ex simplici æquiuatione, quoniam scilicet eadem vox pluribus rebus aptetur, ut puta surgere, quæ vox aptari solet & prius ægrotantibus, dum conualescunt, & prius sedentibus, dum a sede surgunt; quandoque, quoniam vox plures concipiendi rationes proponit, ut puta, si dicatur, Socratem esse nomen, seu speciem, quoniam est homo, & homo grâmatice loquendo est nomen, logice vero species. quandoque ex amphibologia, quæ tamen voci conuenit, non vt solitarie acceptæ, sed vt certam orationem ingreditur, ut puta si dicatur, Id, quod aliquis videt, id videt: Aliquis columnam uidet: Ergo columna uidet: quandoque ex rei compositione, diuisioneq. vt sedens sedet, & sedens ambulat: vox siquidem, Sedens, demonstrat & præsentem, & præcedentem actum. Ideoq. licet possibile sit, qui prius sedebat, ambulare, impossibile tamen est, nunc sedentem nunc ambulare: seu, si quis dicat, quinarium numerum parem, ac imparem esse, quoniam continet binarium parem, & ternarium imparem: quandoque ex unius uocis diuisione, seu ex plurium copulatione, ut si dicatur, peruentum est, copulantes per, & ventum, quod flatum significat, seu econtra. quandoque ex uocis accentu diuerso, ex consonantium duplicatarum, seu non duplicatarum numero, atque ex diphthongo: nam horum unumquodque sæpe vocum uires immutat. quandoque ex loquendi figura, ut si interrogatiue dictum, tamquam asser-tiue prolatum assumatur.

Vitiosa

Vitiosa proponendi forma, vt videtur, duplex est, quarum prima constituitur, dum interrogationi adiungitur indeterminatio, seu diuisio, seu condicio, ut puta dum dicitur, Est ne homo, rationalis, vel irrationalis? seu si homo est animal, est uel rationalis, vel irrationalis. Secunda, dum diuisiua, seu indeterminata propositio negatiue profertur, ut puta dum dicitur, Homo non est rationalis, uel irrationalis: seu harum litterarum numerus non est par, vel impar. Hæc tamen rationem potius perturbant, atque a ueritatis intuitu diuertunt, quam in errorem inducant: nam neque interrogationes, neque huiusmodi propositiones argumentationem ingrediuntur.

Argumentatio est uitiosa seu ex figura, ut puta si quis ea figura utatur, in qua terminus medius in maiori prædicatur, & in minori subijcitur, cum præmissæ transponi non possint, dicatq. exempli gratia, Volans non est homo: Homo est sensituius: Ergo sensituius non est uolans: seu ex argumentandi modo, ut puta dum in prima figura, negatiuæ affirmatiua præmittitur, & in secunda arguitur ex duabus affirmatiuis, & dum hypothetice arguitur, & conditionalis assumpta constituitur ex quattuor terminis, vel si sit primæ formationis, antecedens, & consequens differunt in qualitate, seu antecedens est magis uniuersale, seu minus determinatum, quam consequens, seu alia ratione uitiose proponitur, tum in hac prima, tum in secunda, necnon in tertia, & quarta formatione. hæc enim, & reliqua quæ in Logica docendi sunt enumerata, facile decipere possunt. Eadem etiam deceptio fouebitur ex hypothetica argumentatione, dum ex positione consequentis ponitur antecedens, seu ex destructione antecedentis destruitur consequens. Diuisiua etiam argumentatio facile alucinabit, dum propositio maior uere neque diuisiua est, neque diuisiux uim continet, ut puta si dicatur, Homines sunt uel mercatores, vel Senatores: Socrates non est mercator; Ergo est Senator: cum uere neque mercator, neque Senator sit.

Oritur etiam deceptio ex inductiua argumentatione, dum ex unico, seu paucis singularibus colligitur uniuersalæ.

Deceptiones ex propositionum falsitate, simulq. ex vitiosa collectione, præter ea, quæ ex superioribus pendent, oriuntur etiam, dum colliguntur, seu ex accidentalibus substantialia, ut puta, Socratem non esse hominem, quia non est Plato, qui homo est; & eundem Socratem a seipso differre, quoniam est homo, & differt a Platone ho-

V ij minæ:

mine : seu ex his, quæ secundum quid vera sunt, absolute concluditur, ut puta Non ens esse, quia est opinabile, & Hominem non esse, quoniã nõ est equus; & Æthiopem album esse, quoniã dentes albos habet, ob idque nigrum esse, non nigrum; & album, non album; seu ex omissione aliquorum, quæ pertinent ad sententiæ perceptionem, ut puta, si relatiuo aliquo accepto, non exprimitur seu ad quid, seu secundum quid, seu qua ratione, seu quo tempore referatur, diciturq. exempli gratia, duo duplum esse: quod verum est, respectu vnius, non autem respectu trium, ideoque simul & duplum, & non duplum esse: Item absolute asserere, paginæ huius partem, (quæ ad minorem partem relata, est dupla,) secundum extensionem, non autem secundum profunditatem duplam, & non duplam esse.

Vitiose etiam colligitur, seu ex signi insufficientis usu, ut puta, oblatum aliquod, mel esse, quoniam flauum est; seu argentum, quoniam est album; & pluuisse, quoniam terra est madida; seu ex principio, finis, ut puta, aliquem domum construxisse, quoniam emit lapides, seu ex assumptione illius, quod non est causa tamquam sit causa, ut puta, Omne animal respirare, quoniam sentit.

Animaduertendum autem existimamus, harum deceptionum plures coincidere, omnesque (his tamen exceptis, quæ oriuntur ex vitiosa proponendi, ac syllogizandi forma) ad illam pertinere, quæ ex insufficienti expressione deducitur. Hoc ex eo coniectare licet, quoniam deceptio omnis oritur ex aliqua ignorantia: Ignorantia vero in his, quæ ab alijs accipiuntur, ut in pluribus, insufficientem expressionem consequitur. Inter ea vero, quæ imperfectam pariunt expressionem, præcipuum locum obtinere videntur vocum obscuritas: quæ si penitus amoueat, cetera diutius latere, seu veritati obesse vix poterunt.



## CONTEMPLATIONIS TERTIAE,

Quæ primam complectitur philosophiam,

### Pars Prima:

In qua agitur de Ente in communi, ac de quinque Entis speciebus præcipuis, quæ ex primæ diuisionis usu absoluto eliciuntur.



*De huius scientiæ certitudine, ac prioritate. Cap. I.*



**D**ERCVRIMVS ea, quæ pertinent ad sciendi modos. Ad illa nunc animus dirigendus est, quæ primas, ac communissimas rerum veritates constituunt, & intra primæ scientiæ limites continentur; Prima siquidem scientia versari debet circa communissimum genus, attingere illius Esse, & essentiam, ostendere communissimas proprietates, inuenire species, & partes indiuisibiles, demonstrationesq. exercere circa easdem partes, simulq. contractioribus sciētijis, quæ similiter detinentur circa realia, ut realia sunt, subiecta, ac subiectorum rationes obijcere. Ipsa vero a nulla alia pendere debet: quæcumque enim ad illius subiectum, subiectiq. rationem, ac realia principia definienda conducunt, ex Naturæ ordine confuse tantummodo prænoscentia sunt. Et hoc quidem primæ scientiæ singulariter conuenit, quoniam versatur circa prima, ac communissima, quæ præuiam demonstrationem non patiuntur. nam illorum veritas distincte cognoscitur in ipsis etiam sensibilibus, ac minus communibus confuse perceptis, ex prima rationis reflexione; cum ea, quæ communissima non sunt, ceterarumq. scientiarum principia,

pia, ac subiecta constituunt, absque præuia contemplatione perfecte, seu distincte non cognoscantur. Ipsæ vero confusæ perceptiones, primæ scientiæ ea ratione deseruiunt, qua viæ, ad certam aliquam ciuitatem ducentes, illi ministrare solent. Quapropter, sicuti hæ viæ, ciuitatis partes censerî non possunt, ita harum perceptionum nulla, tamquam primæ scientiæ pars, est accipiendæ.

*De Ente in communi, deq. communissima illius natura, ac communissimis proprietatibus. Cap. II.*



**E**NS communissimum, quod in prima hac scientia sustinet partes subiecti, nihil aliud esse poterit, quam ipsum Ens, prout est ens. hoc enim & communissimum est, & si ad alia communissima comparatur, quammaxime absolutum inuenitur. Sicuti igitur nullum communius de eo prædicari potest, ita omnia, quæ vniuersalissima similiter sunt, ex rationis ordine de eo prædicantur, tamquam de proprio subiecto. Quare, sicuti communissimis proprietatibus insignitum est, ita communissimas demonstrationes exposcit, quæ etiam primo loco conficiendæ sunt. nam, si his prætermisissis nostra contemplatio statim deflectatur ad species Entis, seu ad specierum aliquam omnium præstantissimam, Scientiæ huius connexio, & vnitas penitus euanesceret: siquidem nulla amplius sperari posset seu generis huius diuisio tuta, seu specierum, ac partium enumeratio certa, seu earundem coniunctio.

Ne igitur in hæc incidamus, stulteq. recedamus a sciendi modo, non paruo labore percepto, hæc communissima pro viribus explicanda sunt, cum præsertim horum vnumquodque non tantum, ut ceterorum principium, sed ex propriæ etiam veritatis impulsu, veritatis amatores excitare possit, summeq. dedebeat, talia seu ut facilia spernere, seu ut difficilia declinare, ac sponte præteriræ.

Primo igitur decernendum erit, ipsum Ens sustinere concretam, & abstractam conceptionem, huicq. posteriori vim causæ, proprie conueniræ.

Ideoq. quatenus resolute percipiatur, afferre ipsius Entis definitionem, prout generi cõmunissimo conuenire potest, simulq. continere tutissimam vim ad illius proprietates omnes concipiendas, & demonstrandas. Harum vero proprietatum (vt ex Logicis patet) quædam

quædam sunt magis absolutæ, quam relatiuæ; quædam magis relatiuæ, quam absolutæ; magis absolutarum, quædam sunt primo demonstrandæ, quædam non primo. Illarum, quæ primo demonstrandæ sunt, quædam simpliciter respiciunt ipsum Ens, quædam Entis rationem, tum vtî irrefolute, tum vtî resolute conceptam.

Earum etiam, quæ non primo demonstrandæ sunt, aliquæ deducuntur a primis, aliquæ vero a non primis. Res tamen non producit in infinitum, sed quæ respiciunt commune rerum omnium bonum, vltimum obtinent Locum. Proprietatum quoque magis relatiuarum, quædam intrinsecæ sunt, quædam extrinsecæ. & hæ quidem a magis absolutis pendent.

His sic acceptis, facile percipiemus, ex concreto Entis communissimi conceptu elici abstractum, ipsam scilicet communissimam essentiam, & hanc, licet adhuc resolute ignotam, vere tamen esse Entis communissimi causam, illudq. constituere: essentia enim sunt, quæcunque Entis nomen admittere possunt. Naturalis autem rationis nostræ vis ad ea percipienda, quæ per se nota sunt, communissimæ Essentiæ (ex qua communissimi huius Entis definitio est deducenda) perfectam, ac resolutam notitiam assequi poterit, memoria reperens, in Logicis sancitum fuisse, essentielles rerum differentias accipiendas esse ex proprijs rerum actibus, seu muneribus, hæq. magis, ac minus communes censerî, analogas, seu vniuocas, prout aptari possunt magis, & minus communibus, analogis, vel vniuocis. his enim directionibus insistentes, tamquam compertum accipiemus, ipsum Ens, & ipsius Entis essentiam communissimam nihil aliud esse, quam virtutem, seu vim ad proprium munus exequendum. impossibile siquidem est, poni aut esse aliquod non posita vi, virtuteue aliqua, aut virtutem aliquam non posito ipso Ente: sicuti enim virtus non existens, non est virtus, ita Ens destitutum virtute ad munus aliquod exequendum, non est Ens; vel certe fatendum est, tale ens vanum, & inutile esse. quod nullo modo admittendum est. Ipsius igitur Entis, seu Essentiæ nomine, profertur confuse, & analogice communissima virtus, seu vis ad proprium munus exequendum; talis enim virtus est Entis differentia constituens, ac vere substantialis.

Quod autem ad illa attinet, quæ ipsum Esse, atque essentiam consequuntur primo, suntq. illius communissimæ proprietates, excitantes eandem rationis nostræ vim in percipiendis his, quæ simpli-



cia, ac indemonstrabilia sunt, affirmabimus, omne Ens verum, seu veritatis fundamentum esse: nam ea, quæ nullum veritati fundamentum præbent, nihil omnino esse. Asseremus etiam, ipsum Ens bonitatem necessario continere, ac bonum esse. nam omne Ens, omnisq. essentia, virtutem, atque vim ad munus aliquod peragendum vere proponunt: quæ vis illius, quod constituit, bonum ex necessitate intendit, ipsaq. similiter bona est.

At, si ad tria hæc respexerimus, ad virtutem scilicet muneris alicuius exercendi, quæ ipsum constituit Ens, necnon ad veritatem, & ad bonitatem, quæ ipsum Ens primo consequuntur, quæque illius virtuti actiue deseruire videntur, attingemus sex alias Entis proprietates, quæ hæc tria consequuntur. Hæ autem sunt, Existentia, Duratio, Vnitas, Perfectio, Pulchritudo, & Vis quædam interior, qua unumquodque se & sua interna respicere potest. Quamuis autem hæc sex proprietates ab ipsa uirtute, & a duabus primis proprietatibus indistincte deduci possint, illarumq. unaquæque unamquamque demonstret, nihilominus Existentia ab ipsa uirtute præcipue pendere uidetur, Duratio a Veritate, Vnitas a Bonitate, rursumq. Perfectio a Virtute, Pulchritudo a Veritate, Internus ordo a Bonitate. neque enim in dubium reuocari potest, an uirtus ad munus aliquod peragendum existat, & re ipsa inueniatur, seu id, quod certa aliqua uirtute est præditum, simulq. verum bonum, & existens est, certa aliqua perseverantia, ac duratione fruatur. nam, si positum statim deficit, & euanescit, neque ueritate, neque bonitate præditum est. His vnitas aliqua essentialis accedat oportet: quod enim munus aliquod respicit, quod verum, ac bonum est, quod existit, & permanet, intrinseca aliqua vnitate carere non potest. Has omnes Perfectio sequitur. nam, quod tale est, id conuenienti ad proprium opus dispositione, perfectione scilicet aliqua, insigni conuenit. Perfectioni autem tum pulchritudinem, tum vim interna respicientem, addi manifestum est. nam, quod optime dispositum est, ea etiam proportionem potitur, quæ reperitur inter agentem, & illius propriam actionem, simulq. fulget decentissima propensione ad eandem exercendam, ex qua ipsa pulchritudo constituitur.

Id vero, quod talem propensionem exercet, & talem propensionem præferat, carere non potest ea vi, qua se, & interna sua respicit, sibiq. quodammodo assistit.

*De relationibus internis Entis, ut est ens; & de externarum exordijs, ac differentijs. Cap. III.*



**N**TERNÆ Entium relationes deducuntur præcipua quadam ratione ex uirtute, interna respiciente, quæ proprietas inter magis absolutas est extrema. Hæ ad quinarium numerum produci solent. euenit tamen, dum illarum aliqua in alterius uirtute continentur, ut ad minorem numerum redigantur.

Harum prima consistit in proprii Esse dilectione: secunda in sui-  
met interna excitatione: tertia in interna ad proprium actum recte exercendum dispositione, seu in propriæ perfectionis prosecutione: quarta in ea delectatione, quæ oritur ex proprii actus decenti usu: quinta ex eo intuitu, quo Entia prosequi solent perfecti actus fructus, ac bonum, simulq. eiusdem boni fruitionem.

Externæ relationes, seu proprietates externa respicientes, pendere videntur tam ab absolutis proprietatibus, quam a reatiuis internis; diuersa tamen ratione; absolutæ enim proprietates pariunt uim, seu potentiam, qua externa respicienda, atque attingenda sunt. Internæ uero relationes inducunt propensionem ad eadem externa actu respicienda, atque attingenda. neque enim absque internorum intuitu conuersio ad externa consummari solet. Ipsæ autem absolutæ proprietates externis relationibus dupliciter fauent. nam & certos quosdam actus, externa respicientes, constituere solent, & eosdem actus certis quibusdam modis ornare. Actuum exordia essentiali Entium uirtuti, eorundemq. ueritati, ac bonitati, ni fallimur, ascribenda sunt. nam illorum unusquisque seu potentia, seu ueritatis, seu bonitatis, usus, ac uires utcumque refert. Iidem tamen actus, & simplicem seu potentia, seu ueritatis, seu bonitatis extensionem exercere possunt, & easdem seu producere, seu etiam quodam pacto effundere. Hæc ex eo euenire videntur, quoniam potentia ueritatis, ac bonitatis vis seu simpliciter exercetur, seu assumpto etiam usu ceterarum proprietatum absolutarum, quas ab illarum unaquaque priori quadam ratione emanare diximus: substantia namque uirtus, Existentiæ ui accedente, protenditur, addito uero Perfectionis robore, quodam pacto effunditur, eademq. euenire solent ueritati, Durationis, ac Pulchritudinis uiribus accedentibus, quæ Bonitati Vnitatis, ac Virtutis interna respicientis robore adiuncto.

Horum autem vnumquodque clarius perspicietur, ex his, quæ circa Entium species dicenda erunt.

Quod vero attinet ad modos quibus externi Entium actus ornari possunt, earundem absolutarum proprietatum uirtute, seu etiam dehonestari, unusquisque facile assentietur, huiusmodi actus pro essentialis Virtutis natura, exerceri valide seu infirme; ex Veritatis gradu sapienter, seu insipienter; ex Bonitate ardentem, seu remissam pro Existentiæ diuersitate extensam, vel contractam; ex Duratione multiplici perseveranter, vel intermisse; ob Vnitatis differentias acute, vel obtuse; ex Perfectionum distinctione perfecte, vel imperfecte; ex Pulchritudinis gradu uenuste, seu inuenuste; atque pro natura Virtutis interna respicientis, opportune, vel importune.

Et hic quidem modus omnibus externarum relationum usus, ac modis consummationem affert, quoniam ipsa etiam Virtus interna respiciens, ex qua talis modus effluit, inter absolutas proprietates est extrema, & ceteras quodammodo perficit.

*De ratione, qua Ens communissimum diuidendum est, atque de præcipuis Entium differentijs. Cap. IIII.*

**E**A, quæ circa Ens communissimum communissime perscrutanda erant, ita enarrata sint.

Nunc ipsius doctrinæ ordine sic exigente, Entis, quatenus est ens, species perquirendas esse non dubitamus. Iis igitur obtemperantes, quæ in Logicis circa analogorum absolutorum diuisiones, ac differentias constituta sunt, respiciemus ipsum Ens ratione essentiæ perfecte, ac absolute cognitæ, virtutis scilicet communissimæ; modosq. colligemus, quibus virtutes ipsæ tum esse, tum propria munia adimplere possunt, atque eorundem modorum possibles copulationes, distinctionesq. contemplabimur. omnibus enim quæ perfectionem arguunt, simul coniunctis, primi, ac nobilissimi Entis rationem, ut licet, percipiemus. Reliqua vero Entia constituenda erunt ex subtractione eorum, quæ perfectionem arguunt. Patet tamen, horum vnumquodque tutius, ac rectius effectum iri, si diuisiones, quæ solius rationis ui exercendæ sunt, inductionibus, atque experijs, quæ sensuum adiumenta continent, fulciantur.

Modi vero, quibus Entium virtutes, atque entia ipsa esse, & propria munia

munia exercere possunt, ut videtur, ad senarium numerum deduci debent. nam sunt, & exercentur vel a se, vel non a se, vel per se, vel non per se, vel in se, vel non in se.

Illa sunt, & exercentur a se, quæ in proprio Esse, & actu, ens præcedens, actumq. præcedentem non supponunt.

Illa non sunt, neque exercentur a se, quæ præcedens ens, atque actum supponunt.

Illa per se sunt, atque etiam per se propria munia exercent, quæ sola subsistunt, & in proprio munere exercendo, sibi sufficiunt, neque alterius virtutis copulationem exquirunt. Illa non sunt per se, neque per se munus proprium exercent, quæ sola non subsistunt, neque ipsa in proprio munere exercendo sibi satis sunt, sed alterius virtutis copulationem exquirunt.

Illa in se sunt, atque in se munia sua obeunt, quæ plenam existendi rationem, continent, atque proprii actus vim, fructumq. in se recipiunt. Illa vero neque in se sunt, neque in se munia sua exercent, quæ plena existendi ratione carent, quæque proprii actus vim, atque fructum in se non recipiunt.

His sic constitutis, iam Entis species analogas colligere, necnon quid ex horum vnoquoque singulis conueniat, demonstrare tentemus.

*De Ente, quod a se, per se, & in se est, seu de Deo Opt. Max. necnon de supereminenti eius virtute. Cap. V.*

**M**

ANIFESTVM est, Ens, virtutemq. aliquam admitendam esse, quæ nullum præcedens Ens, nullamque externam actionem supponat, sed vere a se sit, atque operetur. nam si vnaquæque actio præcedentem actionem habet, entium, & actionum ordo initio, ac fine carebit, neque entium, seu actionum aliqua actu reperietur, cum impossibile sit, seu illud ens subsistere, cuius constitutio deducenda est ex infinita entium successione, seu actionem illam adimpleri, quæ infinitas actiones supponit. nam infinitum transiri non potest.

Hanc vero virtutem, quæ a se est, atque operatur, per se etiam, atque in se Esse, atque operari necesse est. nam, quæ seu in proprio Esse, & in proprio munere exercendo alterius entis, & virtutis copulationem exquirunt, seu plenam existendi rationem non continent,

neque proprii actus vim, ac fructum in se recipiunt, ab alijs necessario pendent, neque a se sunt. Ratio igitur, ac vis huius virtutis, seu entis, quod a se est, simulq. per se & in se, valde admirabilis erit. nam ex eo, quod in se est, atque in se proprium exequitur munus, simplicis, atque intellectualis naturæ erit, simulq. vera libertate præditum. Erit naturæ simplicis, nam, quæ composita sunt, ea ratione exercentur, vt singulæ compositi partes ad vnum aliquod deducantur, quod proprium munus ita exercent, vt nulla virtus illud ingrediens, aut proprium munus propria tantum virtute perficiat, aut illius bonum in se tantummodo colligat. Erit naturæ intellectualis, nam, quod simplex est, atque in se agit, versatur circa se, non quasi circa subiectum (tunc enim omni simplicitate careret, pluresq. virtutes complecteretur, quarum nulla vere in se agit) sed quasi circa suum obiectum, quod ad solam intellectualem naturam pertinere exploratum est. Erit vera libertate præditum, quoniam, quæcumque in se operantur, dum propriæ operationis fructum in se recipiunt, ad proprii commodi, ac boni adeptionem constitui manifestum est, quod liberam naturam arguit, & seruilem excludit. Eadem autem hæc virtus ex eo, quod non tantum in se est, & operatur, sed etiam per se, ita simplicis, ac intellectualis naturæ erit, vt simpliciter etiam existat, uereq. in se manens appellari possit. intelligendi enim actum, quo se intelligit, nullius uirtutis ministerio exercebit, Ideoq. sicuti semper est prona ad intellectionem, quam per se perficit, ita ab ea numquam desistit, sed semper intelligit, ac intelligitur.

Postremo eadem hæc uirtus ex eo, quod non tantum in se, ac per se operatur, sed etiam a se, excellit, ac supereminet omnium entium simplicitatem, omnesq. uirtutes, ac intellectus, Ideoq. ita libertate fruitur, ut nulli teneatur. patet siquidem, illud, quod a se est, non posse admittere alterius Entis uirtutem, receptionem exercere, seu alicui deuinciri, seu absoluta libertate carere.

Huius autem ordinis, non plura, sed unicum tantum Ens admittendum est. nam, si essent plura, nulla inter ea daretur connexio, nullusq. communis respectus; quin etiam fatendum esset, dari plures rerum ordines, omnino distinctos, omniq. penitus connexionem carentes; illa enim, quæ a se non sunt, pendent ex necessitate ab illis, quæ a se sunt.

At horum unumquodque non Naturæ tantum, sed rationis etiam

etiam legibus aduersatur; entium quippe omnium communem conceptum dari manifestum est. constat autem, ea, quæ communiter concipiuntur, aequaliter coniungi.

Quapropter dato aliquo Ente, seu entium serie aliqua ab alijs entibus omnino seiuncta, sequitur, hæc simul coniuncta, & disiuncta esse. Præterea quærendum esset, an prima uniuscuiusq. ordinis Entia, quorum unumquodque in suo ordine perfectissimum est, conueniant in aliquo, vel in nullo. Si dicatur, in aliquo conuenire, illorum simplicitas amouebitur; Quod si id negetur, fatendum erit, unumquodque simul perfectissimum, & imperfectissimum esse.

Erit perfectissimum, quoniam in proprio ordine est primum & erit imperfectissimum, quoniam caret omni perfectione alterius, quod perfectissimum est.

Conuincimur igitur, Ens, quod a se est, vere singulare, atque unicum esse. Idem etiam longe excelsit uirtutem, ac dignitatem Entium omnium, quæ sunt, vel quæ esse possunt, uereque, & absolute perfectissimum erit. nam reliqua omnia, ac reliquorum perfectio omnis necessario ab illo effluunt, quod singulariter a se est. Constat autem effectuum perfectionem, propriæ causæ perfectionem excellere non posse, sed ab ea ex necessitate deficere.

*De diuinis proprietatibus, absolutis, ac primo de Veritate. Cap. VI.*



Et iam accedendum est ad proprietates magis absolutas perfectissimi huius Entis, ad quod humana imbecillitas ex Dei uoce utcumque erigi solet.

Id recte præstabimus, modum, ac rationem attingentes, quibus conuenit, huic Enti, uerum, ac bonum esse, necnon qualiter existat, duret, præditumq. sit Unitate, Perfectione, Pulchritudine, & Ueritate interne respiciendi: nouimus enim, horum unumquodque Enti prout est ens, aliqua ratione conuenire neque in dubium reuocari potest, an huiusmodi communiora, ac indeterminata, entium unicuique proprie, ac determinate aptentur, seu an aliquid præterea ex illis effluat. nam, sicuti propria communium limites non transcendunt, ita communia analogia a proprijs respectu modi necessario contrahenda sunt. Exordiamur a Veritate, quæ inter Entis proprietates censetur prima. Hæc ab illis ueritatibus seiungenda erit, quæ uel in propositionibus reperiuntur vel

uel propositionibus exprimuntur. neque enim horum aliquod obijcere potest intimam, ac Deo propriam ueritatem, quæ sicuti aptatur simplicissimo enti, ita summam contineat simplicitatem necesse est.

Siquis autem ea attendat, quæ de Deo Opt. Max. uere affirmari, ac negari solent, non absque summa admiratione intueri poterit, de eo unumquodque simul, & affirmari, & negari. Vnumquodque de Deo, aliquo pacto affirmari potest, quoniam unumquodque ab eo ex necessitate pendet, neque ab illius uirtute seiungitur.

Rursus eadem de eo uere neganda sunt, quoniam ea ratione unumquodque in se continet, ut singula longe excellentiori gradu contineat, simulq. unumquodque longe excellat.

Ipsa autem simplicis Veritatis uox duo menti nostræ obijcere solet, rem scilicet concipiendam, & eiusdem rei conceptum, siue comprehensionem. Horum utrumque in hac diuina Veritate coniungi oportet, quinimmo unum uere, atque idem omnino est, nam, quæ perfectionem arguunt, ita a perfectissimo Ente continentur, ut diuisione omni reiecta, illi indiuisibiliter, atque identifice copulentur. Nos tamen, quoniam diuisibili uirtuti innitimur, hæc, quæ unum omnino esse cognoscimus, disiunctim contemplari, atque cognoscere cogimur.

Diuinam igitur Veritatem ex ea parte respicientes, qua percipi, ac concipi potest, facile assentiamur, ipsam ita uniformem, simplicem, immutabilem, ac apertam esse, ut omnem diuersitatem, omnem multipliciter, omnem variabilitatem, omnem obscuritatem reppellat. nam obiecti diuersitas, multiplicitas, variabilitas, atque obscuritas fallaciam, erroremque parit, aut certe imperfectum cognoscendi modum producit. quorum nullum, uel primæ eminentissimæq. ueritati inesse potest, uel eam concomitari.

Eandem uero ueritatem ex ea parte intuentes, qua cognoscit, & concipit, quam tutissime percipiemus, eam acutissima, maximeq. perspicaci intelligentia præditam esse, simulq. proprio comprehensibili semper adhærere. Si quis autem nos impellat ad id utcumq. proferendum, quod ipsum diuinum intelligibile uere constituit, hac ratione illi pro uiribus satisfacere enitemur. Accipimus ex iam constitutis, Esse, & Veritatis fundamentum esse, se se ad alterutrum consequi, ideoq. Entium, atque ueritatum ordines coæquari. Accipimus etiam, unumquodque uim aliquam continere, qua ea, quæ intelligendi uirtute sunt prædita, excitare, ac ad suum conceptum,

conceptum, atque intelligentiam perducere possit, clariorem tamen, seu obscuriorem, prout cognoscentis uirtutis conditio fert.

Sicuti igitur ex priori positione colligitur, diuinæ Veritatis uim ab alijs haud secus disiungi, quam diuinum Esse ab alijs entibus essentialiter seiungatur; ita ex posteriori deducitur, eiusdem diuinæ ueritatis uim hominum mentem ad sui conceptum impellere, atque etiam certis quibusdam illustrationibus ad id præstandum firmare, atque aptam reddere. Singula autem perpendiculariter, quæ hominum menti obijciuntur, duo tantummodo reperiemus, quæ sicuti diuinæ ueritatis uim manifeste continent, ita ad eandem utcumq. attingendam nos manu ducunt. Primum erit essendi ratio, quæ Entium unicuique necessario inest, quæque a primo Ente necessario effluit, atque emanat. Si quis igitur communem hanc essendi rationem, tamquam diuinæ ueritatis radium attendens, mentis aciem dirigat ad illius fontem, qui entia omnia uirtute completitur, atque omnia supereminet, coneturq. intueri, idem Ens, tamquam se inspiciens, proprium scilicet intelligibile, atque idæam, in qua idææ omnes, intelligibiliaq. omnia uirtute insunt; hic, recte, ni fallimur, dirigetur ad diuinæ ueritatis intelligibile.

Secundum, quod idem præstare potest, ac fortasse ratione longe præstantiori, sumitur ex communissima significabilitate, quæ indistincte conuenit non tantum rebus omnibus, sed conceptibus etiam, quin & ipsis uocibus significantibus. Siquis enim communissimam hanc aptitudinem, tamquam diuinæ ueritatis radium attendens, per eam ad illius fontem, in quo singula uiuifice continentur, mentis intuitum figat, hic fortasse illorum sententiam non spernet, qui dixerunt, Deum ita esse, ut Ens recte appellari non possit, cum omne etiam entis conceptum excellat. Ea uero, quæ sic speculantibus, ipsius diuinæ ueritatis dono occurrere possent, silentio potius uenerari, quam uerbis proferre, licet.

*De diuina Bonitate.*

*Cap. VII.*



**V**T summa, ac diuina Bonitas, cuius contemplatio diuinæ Veritatis contemplationi annexenda est, aliquo modo concipiatur, præcipue statuendum uidetur, non Enti bonum aptari non posse; id autem, quod est ens, bonum esse uel ex eo, quod est, uel ex eo, quod in optimo

optimo suo statu sit constitutum. Statuendum præterea erit, ea, quæ in optimo statu sunt constituta; necessario vel ex propria, uel ex alterius alicuius uirtute optimo statu frui, necnon ea, quæ bona sunt, uel sibi præcipue bona esse, uel non sibi præcipue, sed alijs. Si hæc ad Dei bonitatem contrahantur, exploratum erit, diuinum Esse ex eo, quod tale est, simul & bonum esse, & optimo statu frui, idemq. nõ alienæ, sed propriæ uirtutis ui, atque etiam sibi præcipue bonum esse. nam, si illius Esse ab optimo statu deficeret, uel ad optimum, alterius Entis ui deduceretur, seu si alijs præcipue, non autem sibi bonum esset, neque uere simplex esset, neque ceterorum Entium dignitatem, ac perfectionem excelleret. ea enim quæ uel optimo non fruuntur statu, uel illo quidem fruuntur, sed alterius uirtutis munere, seu ita sunt bona, ut illorum bonitas ad alterius præcipue bonum dirigatur, neque uere simplicia sunt, neque cetera omnia supereminere, atque excellere possunt. at iam constitutum est, Deum simplicissimum, ac perfectissimum esse. Nulla igitur ratione in dubium reuocari potest, quin eidem essentialiter conueniat, optimo statu frui, atque ipsum esse, & optime esse, indissolubiliter copulare, simulq. sibi atque ex propria uirtute bonum esse, Ideoq. rectissime ipsum bonum, & ipsam beatitudinem appellari; nullum enim aliud bonum seu ratione gradus, seu ratione modi, melius, ac beatius inueniri potest.

*De diuina Existencia, siue Existendi modo.*

*Cap. VIII.*



**Q**UONIAM pacto hoc diuinum Ens reipsa existat, nunc contemplandum est. Illud certe circumstantia aliqua, aliquaue circumscriptione includi, atque arctari posse, asserere non licet. hi enim existendi modi alia Entia ex necessitate supponunt, atque ab illis aliquantulum pendent, ideoq. longe admodum distant a primo, ac nobilissimo Ente, quod sicut a se omnino est, ita sibi tantummodo innititur. Hunc autem præstantissimum existendi modum, ut mentis nostræ fert infirmitas, fortasse attingemus respicientes Existenciam illius ueritatis, quæ uerbis exprimi solet, quæque nobis aliquantulum est familiarior: nam, cum duo in huiusmodi ueritate reperiantur, uocis scilicet sonus, siue etiam characteres, quatenus scriptis contineatur, & ueritas ipsa concepta, atque prolata,

prolata, seu scripta; horum priora, sonus scilicet, characteresq. ac pagina, in quibus ipsi characteres pinguntur, corporea euidenter sunt. Veritas autem est uere spiritualis. nam eadem ueritates sicuti ab vno homine prolatae repeti possunt a pluribus, qui in varijs locis, varijsq. temporibus reperiuntur, ita in vna certa quadam pagina, & in vno idiomate conscriptæ, pluribus paginis inscribi possunt, & ad varia loquentium idiomata transferri. ex quibus facile dignoscitur, ueritates has ex propriæ naturæ statu neque locis, neque temporibus, neque circumstantijs ullis arctari, seu circumscribi, sed horum vnumquodque illis accidere, ex eo, quod corporeis innitantur, aut ab eisdem sustineantur, ac deuehantur.

Siquis igitur huiusmodi corporea ab ipsa ueritatis significatione, mente seiunxerit, & aliquam conceperit ueritatem, quæ horum nullo indigeat, sed sibi innitatur, hic, ni fallimur, spiritalem existendi modum attinget, illorumq. existenciam intuebitur, quæ neque terminis circumscribuntur, neque locis continentur, cum tamen ubiq. sint, aut certe esse possint. Eadem autem clarius intuebimur, animaduertentes, ueritates, quæ a nobis concipi, ac exprimi possunt, ab his, quæ sibi innitantur, atque firmantur, longe distare, neque ob id tantum, quod hæc nullis corporum indigent adiuuentis, nostræ autem ab illis destitutæ penitus euanescent; sed ex eo etiam, quod vnaquæque nostrarum ueritatum ab alijs omnibus disincta est, cum tamen ex aliarum lumine pendeat, ab illisq. firmetur, aut certe perficiatur. Veritas autem in se manens, diuinaq. præcipue, omnes ueritatis partes simul complectitur, quas etiam ad unicam colligens ueritatem, simul illustrat, ac perficit. Huius autem admirabilis collectionis imago aliqua elici fortasse poterit, si nouum loquendi modum nobis finxerimus, in quo uerba, uocesq. tali uirtute sint præditæ, ut non vnam tantummodo rem explicent, (uti in communi hominum locutione sæpissime contingit) sed conceptus etiam, necnon conceptuum plurimorum coniunctionem, quin etiam ad id deducantur, ut uox unica conceptus omnes, necnon optimam illorum dispositionem, atque omnimodam coniunctionem proponat. Ab hac igitur amplissima significatione id omne, quod corporeum est, seiungentes, atque spirituale tamquam unicum, & in se manens intuentes, ad eam fortasse existendi rationem, quæ diuinæ ueritati conuenit, aliquantulum deducemur, atque amplissimum, simulq. indiuisibile uolumen illud, in quo ueritates omnes

nes in unica ueritate fulgent, ac rutilant, tamquam in speculo, & in ænigmate, ut mentis nostræ ferunt tenebræ, coniectabimus.

*De diuina Duratione, siue de Aeternitate.*

*Cap. IX.*



**E**D iam ad diuinam Durationem explicandam conuertatur oratio. Id ut recte perficiatur, præmonendum sumus, Durationis uoce, si propriam illius respexerimus vim, illud tantummodo significari, quod mutationi oppositum est, mutationeq. omnino caret. omnia siquidem, quæ mutantur, a priori statu utcumque recedunt, plenaq. duratione priuantur.

Duratio uero ut mutatione, ita omni etiam inchoatione, ac consummatione carebit: nam absque aliqua nouitate, ac mutatione, ulla seu inchoatio, seu consummatio dari non potest. Durationis ergo uox recte non aptatur, seu rebus, quæ mutantur, siue illarum mutatio perseueret, siue non perseueret: seu earundem mutationibus, siue perseuerent, siue non perseuerent. ea namque, quæ mutantur, si illarum mutatio perseueret, a priori statu semper recedunt, quod Durationem manifeste excludit. Si uero illarum mutatio cesset, eadem itidem duratione carent: nam mutationis consummationem recipiunt, atque ad illius carentiam, seu quietis inchoationem deducuntur.

Simili ratione ipsamet mutatio, siue perseueret, siue non perseueret, uera caret duratione, quoniam illius perseuerantia indefinenter innititur mutationi: ex eo enim dicitur perseuerare, quoniam præcedens mutatio, posteriori accedente recedit, Ideoq. ipsa mutatio perenniter mutatur. Quod si cesset, haud secus uera duratio ab ea excluditur: ex huiusmodi enim cessatione, immutabilitatis inchoatio, atque mutationis consummatio demonstratur, quorum utrumque, ut iam dictum est, plenam expellit durationem. Motus igitur, quamuis perennis, perseuerantia, durationis uocem uere, ac proprie non admittit: illius siquidem perseuerantia continet prius, ac posterius, simulq. inchoationem, ac consummationem. Durationis uero perseuerantia prioritatem, ac posterioritatem, necnon inchoationem, ac consummationem omnino repellit. His de durationis natura sic constitutis, colligere licet, diuinam Durationem, quæ ceteras omnes præcedit, ac superat, omnem

omnem inchoationem, atque omnem consummationem uere excludere, idque non tantum ratione essentiæ, existentiaque, sed ratione etiam operationis, necnon ratione modi, quo huiusmodi operatio exerceri potest. neque enim diuinum Esse aliquando incepit, siue aliquando desinet, aut diuina operatio, quæ item initio, ac fine caret, successionem, mutationemue aliquam admittit, sed ita perenniter perseuerat, ut sibi coniuncta, in seq. collecta, ac omnino contracta sit. Hæc autem dilucidius percipiemus, dato, diuinum Esse, diuinamq. operationem aliquando incepisse, aut aliquando futuram non esse, aut non eadem penitus ratione esse. Profecto, si diuinum Esse aliquando incepit, necessario fatendum erit aliam durationem, aliudq. Ens præcessisse: essendi enim inchoatio, non essendi terminum demonstrat, terminus autem præcedentem durationem arguit. Si uero diuinum Esse aliquando desinet, admittenda erit prior, ac firmior duratio, cui hæc essendi, ac non essendi durationes innitantur.

Sin autem diuina essentia, uel operatio aliquo modo immutabitur, plures erunt diuinæ durationes. Quare priorem, ac firmiorem durationem conuincunt, simulq. aliquod Ens præcedere primum Ens, illudq. sustinere. nam Duratio est Entis proprietas, neque absque ullo Ente reperiri potest.

Præterea, si diuinum Esse, seu operatio admittere possent successionem, mutationemue aliquam, necessarium esset, priorem statum, posteriori uel præstantiorem, uel minus præstantem esse: quorum utrumque & summam a Deo perfectionem excludit, & in Deo non unica, sed pluribus rationibus defectum inducit. Ergo, ne assentiri cogamur, seu durationum, atque entium ordines in infinitum extendi, seu primum Ens summa perfectione carere, defectiue alicui subijci, tamquam explorata admittenda sunt ea, quæ tradita sunt de prima diuinaq. duratione, quam Aeternitatem appellare licet. Huius autem æternitatis, diuinæq. durationis, si recte animaduertimus, imaginem aliquam præbere fortasse potest sensibilis quies, motusq. carentia: hæc enim ex motus quidem, qui uere mensurabilis est, concomitantia mensuram admittit, sed non ex propria natura. nam si hæc penitus seiungatur a motu, omnis mensuræ incapax erit.

Quamobrem si finxerimus, eam concomitari actum aliquem omnis motus expertem, ex sensibili illius conceptu perducemur ut-

Y ij cumque

cumque ad imaginem æternitatis, quæ primi intellectus spiritalem actum consequitur.

*De diuina Unitate substantiali.*

*Cap. X.*



**Q**UAE ad diuinæ Durationis, ipsiusq. Æternitatis perceptionem spectant, hoc modo enarrata sint. Ad diuinæ autem Vnitatis conceptum utcumque obtinendum, accipiendum esse existimamus, omnem substantialem Vnitatis diuersitatem pendere seu ex numero, & natura rerum, quæ coniunguntur, seu ex multiplici coniungendi modo. Duo hæc sibi inuicem aliquando aduersantur, aliquando fauent. Tunc sibi inuicem aduersantur, cum alterius consummatio alterius consummationem repellit, ut in singularis hominis, & in ciuitatis vnitatibus euenire videtur. ciuilis quippe vnitas, si coniunctorum natura attendatur, dignior erit unius hominis unitate, quæ tamen ex coniungendi modo imperfectior, ac infirmior est. nam hominis unius partes, ac membra longe decentius copulantur, quam ciues ex ciuili societate uniri possint. Tunc autem hæc duo sibi inuicem fauent, cum maior unius perfectio maiorem alterius perfectionem requirit. Hoc in spiritualibus, atque in diuina unitate præsertim, euenire perspicuum est. neque enim aliter unitas uirtuti eminentissimæ, a qua defectus omnis penitus abest, conuenire posset. In ea itaque reperientur coniuncta perfecta omnia, siue sint, siue esse possint, atque ita coniuncta, ut non tantum indiuisibiliter copulentur, verum etiam vnum penitus, atque idem sint.

Diximus autem perfecta omnia: nam ea, quæ aut omnino sunt mala, aut malo aliquo coniunguntur, a diuina unitate seiungenda esse in dubium reuocare non licet. quin etiam ipsa perfecta, atque ex propria natura bona, diuinæ unitati ea ratione annectenda erunt, ut illarum defectus, imperfectioq. omnis seiungatur; neque enim horum aliquod perfectissimo Enti aptari posset.

Non solum igitur corruptio, defatigatio, aegritudo, ignorantiaq. omnis a Deo aberunt, uerum etiam nutrir, conualescere, acquirere, addiscere, ceteraq. huiusmodi. nam horum vnumquodque ita bonum est, ut seu mali coniunctionem, seu boni defectum complectatur, ac innuat.


Illæ uero, quæ essentialiter bona sunt, neque ullum ex necessitate defectum

defectum arguunt, utputa, ipsum Esse, efficiendi uirtus, cognitio, ac fruitio, ita ad diuinam unitatem pertinent, ut & sibi inuicem copulentur, & ab eorum unoquoque imperfectio qualibet penitus rejiciatur. Quapropter fateri cogimur; Deum ita esse, ita agendi uirtute præditum esse, ita agentem, cognoscentem, atque fruentem, ut a suo Esse, uirtute, actione, cognitione, fruitioneue deficere nullo modo possit. fatendum etiam erit, ipsum diuinum Esse, uirtutem, operationem, cognitionem, ac fruitionem, omnium entium, uirtutum, operationum, cognitionum, fruitionumq. vim eminenter complecti; simulq. asserendum, idem diuinum Esse ab ipsa diuina uirtute, operatione, cognitione, fruitioneq. nullatenus distare, differereue, sed vnum penitus, atque idem esse. Hinc inspicere licet, quanam ratione diuinum Esse cetera omnia excellat. nam aliorum plurima ita sunt, ut possint non esse, neque ex necessitate sunt: quædam ad solam receptionem sunt apta, & agendi uirtute carent; quædam ita agendi uirtute sunt prædita, ut illam non semper exercent; quædam cognoscendi uirtute, quædam fruendi actu destituuntur; omnia demum huiusmodi sunt, ut ex constitutione proprii Esse, propriæq. uirtutis, ceterorum Esse, atque uirtutibus aut omnino, aut magna ex parte careant. Decernere autem, utrum diuina unitas relatiuorum etiam bonitatem complectatur, nobis non tantum difficile, atque arduum est, sed etiam, si Naturæ lumini innitamur, omnino impossibile. asserentes enim, horum bonitatem ab ea contineri, uidebimur infirmare modum diuinæ unitatis, in qua bona omnia identificantur: nam realis ratio non datur absq. reali terminorum relatorum distinctione.

Quod si hæc relatiuorum bonitas a diuina unitate amoueatur, eadem diuina bonitas utcumq. imperfecta erit, respectu eorum, quæ in ea copulanda sunt, cum præsertim dentur quædam relationes, quæ, respectu utriusq. termini, perfectionem admittunt, & fouent, ut puta, patris ad filium, filij ad patrem, amiciq. ad amicum.

Itaque, sicuti a Deo repellendæ sunt relationes omnes, quæ connotant imperfectionem, seu respectu utriusque termini, ut puta relationes illorum, qui sibi inuicem opitulantur, seu respectu unius termini tantum, ut puta, magistri ad discipulum; ita has, quæ respectu utriusque termini, perfectionem æqualiter retinent, ab eo amouere, rationi consonum non est. Patet igitur, hæc nos impellere ad præstantiorem contemplandi rationem, quæ etiam præstantiori,

ac



ac longe diuiniore lumine exercenda est. hæc siquidem nos tutos reddunt, tales relationes diuinæ Essentiæ ita inesse, vt diuinam vnitatem nulla ex parte diminuant, sed ad summam potius consummationem perducant.

*De Dei perfectione, pulchritudine, ac virtute, qua ipse sibi consentit.*  
Cap. XI.



**Q**UAE de admirabili Dei vnitatem enarrata sunt, satis paratos nos reddunt ad aliquam perceptionem reliquarum proprietatum, quæ similiter absolutam naturam sapiunt, & diuinæ Essentiæ aptandæ sunt, Perfectionis scilicet, Pulchritudinis, atque interna respiciendi virtutis. constat enim, has nobiliores, ignobiliorese esse pro maiori, minorie nobilitate operantis, operationis, ac modi, quo operatio exercetur. Itaque similiter manifestum erit, internam Dei Opt. Max. ad proprium opus dispositionem, ex qua perfectio est constituenda, omnem consummationem complecti, atque cum ipso operante identificari. Idem, eademq. ob causas sentiendum est de proportionem, in qua diuina Pulchritudo consistit, necnon de Virtute, ex qua interni ordinis radix constituitur. nam iam demonstratum est, diuinum Esse, diuinam operationem, diuinum operandi modum superexcellere omnia Entia, omnes operationes, omnesq. operandi modos, simulq. idem, atque vnum esse. Quapropter recte dici poterit, Deum Opt. Max. non perfectum esse, sed ipsam perfectionem; non pulchrum, sed ipsam pulchritudinem; non concordem, seu pacificum, sed ipsam concordiam, atque ipsam pacem.

*De diuinis relationibus internis.*

Cap. XII.



**D**EMONSTRATIS Dei Opt. Max. proprietatibus, quæ absolutorum naturam utcumque retinet, aliqua circa illas dicenda essent, quæ licet vere sint relatiuæ, interioribus tamen exercentur, neque vlla adhuc ratione exterioribus innituntur, nisi quæ superius circa diuinam vnitatem proposita sunt, huic etiam contemplationi, vt nostræ imbecillitati conuenit, satisfacerent: dato enim, diuinæ virtutis Esse excitari, perfectionem, perfectam actionem, atque omnino consummatam.

matam fruitionem vnum, atque idem esse, facile intueri possumus, horum nullum internam, realemq. relationem constituere. quamuis enim vere asserendum sit, Deum seipsum intelligere, atque a seipso intelligi, seipsum amare, atque a seipso amari, diuini tamen intelligentis, & intellecti, amantis, & amati, prout seinuicem tamquam potentia, & obiectum respiciunt, realem distinctionem dari auspicandum non est. superius quippe constituimus, ea, quæ in seipsis proprium exercent munus, circa seipsa non tamquam circa subiecta, sed tamquam circa obiecta versari, atque ita intellectionem perficere, ut nullam intelligentis, ac intelligibilis realem distinctionem inducant.

Nobis tamen ex longe præstantioris luminis irradiationibus competentum est, hæc esse exordia diuinarum relationum internarum, quarum termini constituuntur per modum intellectionis, & per modum amoris.

*De diuinis relationibus ad extra, quatenus Deo sunt essentielles: seu de diuinis proprietatibus relatiuis, atque de libero earundem usu.* Cap. XIII.



**S**ED iam mens nostra conuertenda est ad externas Dei relationes, quatenus illi sunt essentielles, seu ad diuinas proprietates relatiuas, atque externas. Harum nulla respectu vtriusque termini essentialiter seu perfecta, seu imperfecta erit: sicut enim, quæ ex vtraque parte imperfectæ sunt, diuino, atque perfectissimo Enti aptari non possunt, ita, quæ ex vtroque termino sunt perfectæ, quatenus Deo appetunt, illi ratione vtriusque termini aptandæ erunt, tuncq. internas, non autem externas relationes constituent.

Relationes igitur, quas nunc speculari suscipimus, respectu unius tantum termini, perfectæ sunt, ideoque ex eodem etiam, Deo essentialiter aptandæ erunt, & illarum usus non Dei externa respicientis, sed ipsorum externorum bonum intendet. neque enim perfectum, quatenus huiusmodi, ab imperfecto, ut est imperfectum, boni incrementum recipit. Nouimus etiam, Deum Optimum Maximum sibi bonum esse, ac summum bonum, quod nulla ratione augeri potest. Harum autem relationum semina, rationesq. omnes, vt ex superioribus patet, colligendæ sunt ex diuina Essentiâ, seu



seu virtute, necnon ex diuinis proprietatibus internis, atque absolutis, quas enumerauimus, ita tamen, ut ad tres præcipuos ordines deducantur, horumq. ordinum vnusquisq. tres præcipuas relationes contineat, omnesq. ob id nouenarium numerum impleant, quemadmodum enim, quæ ab entibus externe exerceri solent, continent necessario extensionem seu potentiam, seu veritatis, seu bonitatis, ita diuinæ potentiam, veritatis, ac bonitatis extensio triplicem usum admittit: illarum siquidem vnaquæque potest extendi tantum; extendi, ac protendi; protendi, ac effundi.

Tunc diuinæ Essentiæ vis, cui Potentia, externa respiciens, ascribitur, extenditur tantum, cum simpliciter exercetur. tunc protenditur, cum externæ Existentiæ, quam a diuina Virtute, priori quadam ratione pendere nouimus, usum assumit. tunc effunditur, cum perfectionis quoque, quæ ab eadem Essentia præcipue effluit, vires exercet. Simili ratione, diuina Veritas ex diuinæ Durationis, ac Pulchritudinis, & diuina Bonitas ex diuinæ Vnitatis, & Virtutis internæ respicientis accessu, non tantum simpliciter exercentur, ac extenduntur, sed protenduntur etiam, atque effunduntur.

Ex simplici uero extensione diuinæ Essentiæ oritur prima constitutio eorum, quæ Deo sunt externa. Ex eiusdem protensione deducitur omnis externorum firmitas, ac fulcimentum. Ex illius effusione accedit eorundem consummatio. Ex sola extensione diuinæ Veritatis externa omnia excitantur. ex eiusdem protensione externorum vnumquodque pro uniuscuiusque captu illuminatur. ex illius effusione eisdem diuina arcana reuelantur.

Ex sola extensione diuinæ Bonitatis, diuina bona externis ita obijciuntur, ut ad illorum amorem prouocentur. ex eiusdem protensione, diuinorum bonorum elargitio inducitur, simulq. illorum admiratio, ac uehemens quidam amplexus. ex illius effusione, ea, quæ diuina bona recte profecuta sunt, ad summam beatitudinem pro singulorum captu perducuntur. Patet autem, horum unumquodque pluribus rationibus exerceri posse: externorum namque constitutio, quam diuinæ Essentiæ, seu Virtuti simpliciter ascribendam diximus, a Deo exerceri potest, tum absque ullo usu externi alicuius, quod seu recipientis, seu suscipientis sustineat partes, tum cum externi alicuius usu. Dum diuina Virtus nullum externum ad usum deducit, externa creat; dum uero exercetur assumpto usu quorundam externorum tum agentium, tum recipientium, rerum genera-

tionem,

tionem, ac propagationem perficit. Non dissimili ratione diuina fulcimenta, consummationes, excitationes, irradiationes, reuelationes, bonorum oblationes, elargitiones, amicæq. adhæSIONES, ad eorundem externorum commodum ab ipso Deo exerceri poterunt. Hæc tamen clarius cognoscentur ex his, quæ inferius enarranda sunt circa ceterorum Entium ordines. Nunc uero animaduertendum videtur, has relationes, in quibus aliæ plures fortasse uirtute continentur, non tantum a Deo Opt. Max. actu exerceri posse, sed etiam ex summa illius uirtute, quammaxime fortiter, ex summa illius ueritate quammaxime sapienter, ex summa illius bonitate quammaxime ardentem, ex summa illius existentia quammaxime extense, ex inuariabili illius duratione quammaxime perseveranter, ex indiuisibili illius unitate quammaxime efficaciter, ex summa illius perfectione quammaxime absolute, ex inenarrabili illius pulchritudine quammaxime uenuste, & ex incomprehensibili illius ordinatione interna quammaxime opportune, necnon optima cum dispositione. Non dubitamus, plura alia attingi, atque utcumque effari posse, diuino lumine illustrante, circa diuinas relationes externas, uariosq. illarum usus: at sufficit, in præsentibus hæc aliquo pacto delineasse: nam ea contemplamur, quæ Naturæ uis liberius experiri potest. cetera uero, aliquando longe firmioribus directionibus insistentes, ac Deo Opt. uolente, opitulanteque, perquirere enitemur.

Silentio tamen demandandum non est, diuinarum relationum vnamquamque ea ratione Deo Opt. Max. aptandam esse, ut ad actus etiam tum priuatiue, tum positiue oppositos deduci possit. Deus enim non solum creare potest, sed etiam non creare, & destruere; non tantum fulcire, sed etiam non fulcire, ac fulcimentis omnibus denudare: idemq. circa alias relationes, atque etiam circa agendi modos, euenire necesse est. si quis enim horum aliquod a Deo amouere uelit, hic se iungat aliquid, quod pertinet ad usum summæ potentie, summæ ueritatis, ac summæ bonitatis, atque id, quod summum est, non summum efficiet. Idem ad id deducetur, ut illi fatendum sit, Deum agere non libere, sed ex necessitate Naturæ, quod iam constitutis manifeste repugnat. qua enim ratione uere a seipso operatur, simulq. perfectissimum, ac summum est, si necessitati subijcitur? necessitas siquidem arguit uel externam uim, uel internum defectum, uel interni boni inquisitionem: quorum nullum aptari potest Enti, quod est a seipso, quod complectitur omnem perfectionem,

Z nem,

nem; quod est ceterorum omnium fons. Si uero dicatur, Deum Opt. Max. sibi necessitatem imponere, & se certis quibusdam legibus devincire, perscrutandum erit, an id Deus libere, uel non libere agat. Si libere, ergo uere est liber, singulaq. & agere, & non agere potest. Si non libere, ad eadem inconuenientia deuenietur, simulque amouebitur ab eo, quod perfectissimum est, atque independens, ratio independentiæ, & libertas, quæ bonorum maximum recte censeretur potest.

Quamuis igitur negandum non sit, diuinam Bonitatem ex sui natura esse suimet diffusiuam, simul tamen asserendum est, has diffusiones adimpleri non posse absque usu, concursuq. intellectiois, ac dijudicationis. diuinæ enim bonitati, diuina ueritas, ac intellectio essentialiter adiunguntur, eidemq. identificantur. Dicens autem, diuinam bonitatem intellectu, dijudicationeq. accedente, seipsam diffundere, assentiatur necesse est, eam non ex Naturæ necessitate, sed uere, & omnino libere talem effusionem exercere.

*De his, quæ creatis entibus sunt communia, deq. reali illorum Esse, ac plenitudine. Cap. XIII.*



**H**is circa diuinam naturam, diuinaq. proprietates sic delibatis, ad reliquorum explicationem accedamus. Nouimus, uirtutem, quæ omnino independens, atque a se est, uere unicam esse, receptionem omnem repellere, omni inchoatione carere, atque libere cetera creare. Ex his patet, ceteris omnibus commune esse, a prima pendere, simulq. deficere quammaxime ab illius ueritate, bonitate, existentia, duratione, unitate, perfectione, pulchritudine, internaq. respiciendi uirtute, ita tamen, ut singula pro uniuscuiusque captu ex diuinarum relationum protensione, atque effusione, ad optimum perducere possint.

Utrum uero Entia, quæ libere a Deo creanda, ac constituenda sunt reipsa, existant, uel non existant, quantum ad sensibilia, atque ad ea, quæ sensibilibus annectuntur, attinet, sensus ipse testatur. intuemur enim Cælum, terram, & quæ ab his continentur, quorum unumquodque a Deo est: Quantum autem ad ea, quæ sensu non attinguntur, ratio ipsa conuincit. nam, si Deus ex solius decentiæ impulsu imperfectiora produxit, atque Entium partem constituit,

eum.

eum non ex decentia tantum, sed ex consonantia etiam, perfectiora produxisse asserendum est, propriamq. bonitatem quam affluentissime effudisse, ut perfecte incæpta ad summam consummationem perduceret. quod etiam, quantum ad sensibilia attinet, ultra omnem nostrum captum reipsa præstitum esse, res ipsæ, ac iisdem sensus testantur.

Eadem sententia confirmari potest ex natura humanæ mentis. nouimus enim eam diuina liberalitate ea ui præditam, ac decoratam esse, ut possit omnia perquirere, ac perlustrare. Siquis igitur asserat, aliqua eorum, quæ ex recto rationis usu inueniuntur, reipsa non dari, hic fateri cogetur, omnem speculandi rationem inutilem, ac uanam esse, atque ex illius usu homines dirigi non ad uerum, sed ad mendacia, seu certe illius conatus uanos, atque inutiles esse, quod manifestam impietatem continet.

Sicuti autem tamquam compertum est accipiendum, omnia, quæ ad uniuersi tam sensibilis, quam intelligibilis consummationem aliqua ratione pertinere possunt, ex diuina bonitate uere, ac reipsa esse; ita nullo modo admittendum est, Entium aliquod præter Deum, inchoatione carere, horumue aliquod Deo coæternum esse. patet enim, ea, quæ Deo essentialiter, ac primo conueniunt, creaturis aptari non posse; in Logicis siquidem constituimus, specierum specialissimarum proprietates ita uni conuenire, ut alteri essentialiter adiungi nequaquam possint. Neque uero ad id deuenire licet, ut dicamus, ea, quæ a Deo sunt, Deo coæterna esse non propria, sed ipsius Dei uirtute. nam, si proprietatibus uere est proprium, a rerum essentia pendere, neque sine illa reperiri posse, data creaturarum æternitate, diuina etiam Essentia eisdem creaturis tribuenda erit, sicuti datis pluribus risibilibus, plures homines ex necessitate dantur. Deum autem se extra se effundere impossibile est.

Non dissimili igitur ratione impossibile erit, diuinam æternitatem, quæ omnem inchoationem reiicit, creaturis aptari.

Præterea, cum Esse illorum, quæ ex diuina electione creanda sunt, intelligi non possit, nisi præcedat intellectus actualis creationis, per quam proprium consequuntur Esse, manifestum est, asserentem, creabilia Deo coæterna esse, simul opposita affirmare, illorum scilicet Esse incipere, & non incipere.

*De Entibus, quæ a se non sunt, sed per se, & in se, seu de Abstractis intellectibus.*  
Cap. XV.



**S**ed etiam singula; prout huic contemplationi conuenit, perscrutemur.

Ea, quæ a se quidem non operantur, nec sunt, per se tamen, atque in se operantur, & sunt. Quatenus in se operantur, & sunt, ut iam didicimus, sunt intellectualis naturæ, simplicem existentiam admittunt, libertateq. decorantur. Quatenus vero etiam per se sunt, retinentq. condicionem priorem, ut sint etiam in se, non tantum intellectus erunt, sed in se manentes. Igitur ita intelligendi virtute præstabunt, ut simul ex seipsum et idææ vere intelligibiles sint, atque etiam seipsos indefinenter intelligant. neque enim alia ratione proprium actum per se, atque in se exercere possent.

Horum tamen intelligibilium simplicitas a diuina simplicitate quammaxime distabit. neque enim effectus, causæ perfectionem æquare possunt. Quapropter recipere poterunt, ea tamen ratione, ut ex recipientis, & recepti copulatione, nulla essentialis compositio resultet, sed recipiens nouum tantummodo essendi modum adipiscatur haud secus, quam aeri eueniat, dum illuminatur, & speculo, dum imaginem aliquam recipit.

Quod autem ad eorundem intelligibilium libertatem attinet, sciendum est, eam, quantum ad eligendi actum, uere absolutam esse: quantum uero ad actionum tum consummationem, tum fructum, pluribus rationibus deuinciri, ac coarctari: nam a se non sunt, sed a Deo, ac ex diuina bonitate. Deficiunt a summa Dei perfectione, ac bonitate, a qua plurima recipere possunt. Itaque necessario tenentur Deo, atque sibi: Deo quidem, tamquam Entium omnium perfectissimo, tamquam sibi benefico, atque proprii Esse auctori.

Igitur, sicuti est summe indecens non tantum priuatiue, sed positue, supereminentem Dei naturam attingere, eam autem non uenerari, ac decenter colere: ita est quammaxime dissonum, inspicere diuinæ bonitatis propensionem, illi autem decenter neque occurrere, neque adhærere. Est etiam quammaxime inhonestum, ac turpe, recepisse a summa Dei bonitate proprium Esse, aliaq. innumera beneficia, ac maxima, & deficere a diuino cultu, & a gratiarum actionibus, neque talem erga alios se exhibere, qualem se Deus erga singu-

los

los exhibet. Idem intellectus debent sibi, quoniam Deo deseruientes alia plura, ac præstantissima ab illo recipere possunt, quorum amissio propriæ etiam stultitiæ ascribenda erit: patet siquidem, quammaxime stultum esse, seipsum denudare talibus bonis, quæ a summa Dei benignitate, ac liberalitate speranda sunt.

Horum igitur abstractorum libertas, si propriæ Naturæ limites attendantur, ea ratione deficit a diuinæ libertatis gradu, qua seruorum libertas recedit a dominorum, ac imperantium libertate.

*De Abstractorum intelligibilium ueritate, numero, distinctione, ac dispositione.*  
Cap. XVI.



**L**ABORANDUM nunc est, ut aliquo pacto intueamur, quam ratione communiore proprietates absolute, quæ his etiam intelligibilibus abstractis aptadæ sunt, a diuinis eiusdem ordinis proprietatibus distent, atque deficient. Huius autem contemplationis exordium a ueritate, quam primum locum obtinere nouimus, sumendum erit. Hæ ex ea parte, qua comprehendendi possunt, accipiendæ non sunt, seu a significabilitate, seu ab Ente, seu ab aliquo illorum, quæ Deo sunt omnino interna, (horum enim unumquodque, ut iam demonstratum est, constituit ipsam diuinam uirtutem, seu illi omnino identificatur) sed ab his, quæ Deo ita sunt externa, ut diuinarum relationum ad extra, quas superius enumerauimus, uim primo contineant: sancitum siquidem est, Deum creaturarum numerum omnem adimplere. Itaque censendum est, eum propriæ potentiæ, propriæ ueritatis, propriæq. bonitatis extensionem, protensionem, atque effusionem ea ratione adimplere, ut ea primo ac præcipue patriat, in quibus singularum harum relationum, ac extensionum ratio, ac uis priori quodam lumine colligitur, & continetur, quæque in proprio intelligibili ea præcipue comprehendunt, quæ pertinent ad illarum usum, simulq. Deum ipsum, tamquam horum fontem, ac auctorem, priori quadam ratione ex Naturæ ordine intueri possunt.

Patet autem, has relationes, quatenus a Deo externe exercentur, essentialiter ab inuicem distingui. Quapropter assentiri cogimur, ex illarum unaquaque certam ueritatis intelligibilis obiectionem constitui, ob idq. abstractorum intelligibilium ordines harum relationum.

lationum

lationum numerum æquare, ac nouem esse, ea tamen ratione, ut in singulis ordinibus plures intellectus admittendi sint. Hoc ex eo manifeste deduci uidetur, quoniam singulorum ratio pluribus rationibus extendi, ac contrahi potest: beatificationis siquidem ratio contracta ad beatificationem, quæ intelligibili alterius ordinis aptari potest, diuersum intelligibile parit: quod tamen, ut magis contractum, a prioris dignitate recedit. & hæc quidem contractiones pluribus vicibus repeti possunt.

Dum igitur singuli ordines respectu singulorum ordinum sic contrahuntur, atque extenduntur, euenire credendum est, ut horum intelligibilium multitudo, diuina bonitate seipsam summe diffundere eligente, quam maxime adaugeatur.

Quis autem his intelligibilibus numerus constituendus sit, & utrum sit eliciendus ex nouenarij nouem multiplicationibus, ita ut posterior id totum, quod ex præcedenti collectum est, multiplicet, vel ex aliquo numero omnes harmonicas cõsonantias cuiuscumque gradus, & ordinis comprehendente; an alia ratione, Deus ipse scit.

Nos tanta in re non tantum certa aliqua ratione caremus, sed neque probabili coniectura ducimur. Id tamen asserendum videtur, hos intellectus ab inuicem non solum numero, sed specie etiam distinguui. illorum enim vnusquisq. proprium intelligibile conspicit, ac speculatur, ita tamen, ut perfectiores imperfectioribus propria lumina, atque etiam perfectiora, diuinaq. præsertim deferre, atque impartiri possint, huiusmodiq. lumina ab inferioribus gradatim recipiantur, donec ad postremos deueniatur, quibus proprium erit, ab omnibus nobilioribus perfici, ipsosq. homines, de quorum intellectuali natura postmodum dicendum erit, illuminare. Ipsas autem diuinas relationes externas, quatenus ad actum deductas, ac externa absolute constituentes, abstractorum intelligibilium obiecta atque essentias, prout constitutum est, vere constituere, ex eo etiam patere potest, quoniam talia obiecta ea ratione deficiunt a summa amplitudine diuini intelligibilis, intelligibilia omnia eminenter, ac indiuisibiliter complectentis, ut simul transcendant corporea omnia vna cum his, quæ corporea essentialiter concomitantur. sicuti enim Entis conceptus, etiam quacumque creaturarum conceptione reiecta, libere exerceri potest, quoniam innititur primo Enti, quod a nullo pendet, sed a se est; ita creationis, manutentionis, consummationis, necnon ceterarum diuinarum relationum

conceptus,

conceptus, libere ad actum perducitur, ommissa quacumq. rerum corporearum conceptione.

Hoc autem manifeste conuincit, tales conceptus primo, ac præcipue inniti non rebus corporeis, sed his Entibus, quæ essentialiter sunt abstracta, atque in se manent. quæcumque enim corporibus primo aptantur, absque corporum conceptione conceptus non pariunt.

Eadem etiam supponunt conceptus abstractorum intelligibilium, quos enumerauimus, haud secus, quam hi innitantur Entis conceptui, eoq. ablato consequenter corruant.

Idem confirmatur ex natura humanæ mentis, quæ (ut postmodum clarius patere poterit) non tantum attingere potest rerum omnium essentias, veritatesq. essentielles, sed etiam ad easdem attingendas reipsa impellitur, ac dirigitur ob quasdam obiectiones, atque iniectioes, quæ ab unoquoque cognoscibili, ac intelligibili effluunt, & humanam mentem utcumque attingunt. At, nisi diuinarum relationum externarum rationes absolute, abstractorum intelligibilium propria obiecta proponerent, illorum obiectiua ueritas a nobis nullo pacto attingi posset. nam nulli alij conceptus dantur, quibus tale munus ascribendum sit. Itaque fatendum esset, has obiectiones, atque iniectioes, nostram intelligendi vim, necnon horum Entium intelligibilitatem hac ex parte frustrari: quod Naturæ ordo non patitur. Aliud etiam eueniret satis mirabile, humanam scilicet mentem percipere sensibilia omnia, quorum intelligibilitas est summe infirma, perducitq. ad idæam diuini intelligibilis omnium lucidissimi; in his vero, quæ ab utroque extremo manifeste distant, deficere; quod certe valde dissonum est.

Sed aliqua dicenda sunt, quæ constitutorum intelligibilium dignitates, ac dignitatum gradus utcumque docere possint.

Existimandum est, eos ceterorum dignitatem excellere, qui priori quadam ratione intuentur diuinæ bonitatis effusionem: hæc enim respectu creaturarum vltimi finis rationem continent.

Eandem ob causam his succedent intellectus, quibus datum est, diuinæ veritatis effusionem priori ratione conspiciere. Tertium locum obtinebunt, qui circa diuinæ potentiæ effusionem versantur: hisq. eadem ratione adiungentur, qui diuinæ bonitatis, diuinæ veritatis, & diuinæ potentiæ protensionem respiciunt: quos eadem serie subsequuntur, qui intuentur simplicem earundem extensionem.

In

In abstractorum autem dispositionibus, ut ex specierum analogarum natura colligere licet, dignitatis, ac originis prioritates non distinguuntur, sed eadem tam respectu dignitatis, quam respectu originis, priora censenda sunt. Hæc tamen omnia, uti Deo placet, & sint, & dicantur.

*De Abstractorum intelligibilium bonitate, existentia, ac reliquis proprietatibus absolutis, & relatiuis, internis, ac externis.*  
Cap. XVII.



**N**unc pro viribus explicandæ sunt ceteræ eorundem abstractorum intelligibilium proprietates. Illorum bonitas deficiet a diuina bonitate non ex eo tantum, quoniam non complectitur optimum essendi statum essentialiter, sed ex eo etiam, quoniam propria unicuique essendi bonitas intra propriæ veritatis limites continetur.

Quamuis autem hi intellectus pro vniuscuiusque gradu optimum essendi modum admittant, huncq. præcipue non ad aliorum, sed ad proprium commodum, ac bonum, illud tamen adipisci possunt non ex propria, sed ex optimi Entis voluntate, ac virtute.

Eorundem existentia quamuis ex certa aliqua circumstantia, realiue circumscriptione non coarctetur, detinetur tamen intra certos terminos virtutis, quæ unicuique conuenit. Illorum etiam duratio talis quidem erit, ut ad non esse nullo pacto sint prona, (simplicia quippe sunt, & carent quacumque contrarietate,) at neque initio carebit, neque illius perseverantia absque diuinæ bonitatis vsu perenniter consistet. nam tales intellectus, ut nouimus, a se non sunt. Simili ratione illorum vnitas neque omnia congeret, neque eo pacto propria amplexabitur, ut ab illis naturalia disiungi non possint.

Idem sentiendum erit circa eorundem perfectionem, pulchritudinem, ac virtutem interna respicientem: harum enim unaquæque & intra certos limites detinebitur, & ab eisdem vtcumque seiungi poterit. Hæc autem incommoda illis euenient, dum ex deprauato propriæ libertatis vsu, diuinæ bonitati aduersari audebunt. tunc siquidem illorum veritas obscurabitur, bonitas deprauabitur, existentia coarctabitur, duratio ad illorum incommodum persistet. nam ad proprii operis vsum neque disposita, neque propensa erunt, sed eiusdem abusum prosequentur, Ideoque imperfectissima, atque

deformia

deformia fient, simulq. deuenient ad summam ordinis perturbationem internam. Sicuti autem, quatenus a diuina bonitate recedunt, his malis subiiciuntur, ita adhærentes diuinæ bonitati ex decenti propriæ libertatis vsu, ex diuina liberalitate, diuinæ potentiæ, diuinæ veritatis, & diuinæ bonitatis protensionem, ac effusionem experiri possunt, simulq. præstantioribus veritatis luminibus imbui, summa beatitudine frui, præstantiorem existendi modum consequi, perfectissima, pulcherrima, ac sibi omnino consentientia reddi.

Quod autem attinet ad horum intelligibilium internas relationes, id tantummodo admonuisse sufficiet, has a diuinis relationibus internis plurimum differre: diuinæ siquidem ita internæ sunt, ut non tantum interna bona respiciant, sed eadem etiam ab interno adipiscantur. Hæc autem ex eo internæ appellari possunt, quoniam internam consummationem respiciunt, cum neque id, quod consummationem affert, neque ipsa consummatio ex interno deduci possit. Et hæc quidem veritatem continent non solum respectu propriæ conseruationis, verum etiam respectu excitationum, perfectionum, operationum, atque ipsius finis, seu boni: horum enim intelligibilium bonum, ac operatio, quatenus ad ipsum bonum perducere possint, Dei virtute fulcienda sunt. Ex his omnibus quamtutissime deducuntur, quæ circa eorundem intellectuum relationes externas desiderari possunt. patet enim, hos intellectus, quatenus diuinæ voluntati copulentur, ita illi adhærere, ut absque illius nutu nec velint, nec possint extendere, protendere, seu effundere ad extra seu potentiam, seu sapientiam, seu bonitatem; Quatenus vero a Deo recedant, ab ipsoq. repellantur, eius voluntati semper aduersari, ita tamen, ut contra Dei voluntatem nihil perficere valeant.

*De Entibus, quæ neque a se, neque per se, sed in se operantur, & sunt; seu de humanis mentibus.*  
Cap. XVIII.



**D**ost speculationem Abstractorum intelligibilium, quæ nec sunt, nec operantur a se, sed per se, atque in se, ea occurrunt, quæ cum in prima sui constitutione per se non operentur, aut sint, in se tamen vere & operantur, & sunt. Hæc (ut ex superioribus patet) quatenus in se essendi, ac operandi virtutem continent, intellectualis

A a simpli-

simplicisq. naturæ ex necessitate erunt, abstractamq. existendi rationem vere admittent.

Quatenus vero hanc intelligendi virtutem in prima sui constitutione per se exercere non possunt, essentiali intelligibili, seu idæa omnino carebunt; ex communi Naturæ ordine seiuncta creari non poterunt; propriaq. illorum vis intelligendi consistet ex sola recipiendi virtute: quæcumq. enim proprio intelligibili, seu idæa essentialiter insignita sunt, atque ex communi Naturæ ordine omnino seiuncta creari possunt, non tantum in se, sed etiam per se intelligunt, Ideoq. ad secundum rerum ordinem, ad ipsa, scilicet abstracta intelligibilia, deducenda sunt. Ex recta autem contemplandi ratione conuincimur, tertia Entium differentia data, tertium etiam rerum ordinem a ceteris omnibus vere disiunctum admittendum esse. Entia autem, quibus imperfectiores hi intellectus increari debent, abstractorum intelligibilium ordinem non ingredientur. nouimus enim, his essentialiter conuenire, ex prima sui creatione seiunctim subsistere, ac per se operari.

Neque etiam dicendum erit, imperfectiores hos intellectus sibi inuicem copulari: hoc enim destruit singulorum simplicitatem, atque in se operandi virtutem: neque illorum copulatio alicui in intelligendi actu vllum adiuumentum affert. nam, quod intelligere quidem potest, sed per se non intelligit, alteri deseruire non potest, quod eodem modo effectum sit ad intellectionem actu exercendam.

Horum igitur intellectuum vnusquisq. creandus erit intra aliquod Ens, ordinis imperfectioris, non tamen in his, quæ non in se, sed per se operantur: hæc enim (vt postmodum demonstrabitur) neque per se subsistunt, neque aliorum subsistentiæ ministrare possunt; sed in his, quæ licet non per se, nec in se operentur, sibi inuicem tamen, vt suo loco patebit, ea ratione adhærent, ac copulantur, vt vnumquodq. vnus cuiusq. subsistentiæ deseruiat, Ideoq. ex communi coniunctione corpora, corporea q. virtutes pariant, & conferuent. Cum autem horum quædam cognoscendi, sentiendi scilicet virtute sint prædita, quædam nihil uere sentire, seu percipere possint, manifestum est, hanc imperfectiorem intelligendi uirtutem (quam ad hominum Esse pertinere tute asserendum est) non ad iungi his, quæ a cognoscendi actu deficiunt, sed sentientibus, ac percipientibus: neque horum unicuique, sed illis tantummodo, quorum sentiendi uirtus ceteras longe excellit, illi scilicet, quam simili-

liter

liter ad hominis naturam pertinere, ex naturalis scientiæ demonstrationibus percipiemus. decet siquidem, ut imperfectissima uirtus perfectioris ordinis, in quo continentur intelligibilia omnia, copuletur uirtuti perfectissimæ, imperfectioris ordinis, ad quem sensibilia pertinent, illiq. adiuncta ceteris omnibus assistat, & præsit. nam, quæ sibi inuicem sunt proximiora, facilius, ac utilius associantur.

*De ratione, qua humana mens humanis corporibus tamquam propria illorum formâ adiungitur.*  
Cap. XIX.



I quis autem percontetur, quam ratione uirtus ordinis intelligibilis, his, quæ sensibilibus ordinem ingrediuntur, recte copulari possit, ac copuletur, (ni fallimur) respondendum erit, huiusmodi copulationes ab his non esse omnino dissimiles, quibus sensibilibus formæ his adiungi solent, quæ ex certorum accidentium gradibus perfectioribus disponuntur. nam rerum sensibilibus formæ dum ad Entia intelligibilia referuntur, eam proportionem præferunt, quam inter accidentia, & formas sensibilibus reperiri non dubitamus.

Quemadmodum igitur sensibiles formæ his adiunguntur, in quibus accidentia consona quammaxime intensa, ac perfecta sunt, vt puta, Ignis forma, his, in quibus caliditas accidentalis est summe intensa; ita intellectualis vis imperfectior ex diuinæ bonitatis vi his increatur, quæ perfectissima sentiendi uirtute sunt prædita.

Hæc uero intelligendi uirtus adhærebit eidem sensibilibus formæ perfectissimæ, non tamquam propria illius forma, sed tamquam forma totius compositi, quod ex formæ sensibilis perfectissimæ adaptione ad intelligendi uirtutem admittendam disponitur haud secus, quam forma ignis substantialis ingreditur illud, quod summe est calidum, vt forma non huius caliditatis summe intensæ, sed totius compositi, quod ob huiusmodi caliditatem disponitur ad formæ igneæ consecutionem.

Hæc uero intelligendi uirtus non destruet sensibilem uirtutem, cui adiungitur, sed illam potius perficiet vna cum ceteris omnibus, quæ recipienti insunt, atque ad longè præstantiorem ordinem perducet, vt intelligendi vim associet: idem quippe pro rerum natura euenit caliditati accidentali, dum forma ignis inducitur; tunc siqui-

Aa ij dem.

dem ingreditur quodammodo ordinem substantialem. Quapropter, si quis, attendens communem hominum ortum, asserat, humano corpori formato, nullaq. adhuc viuendi, seu sentiendi virtute prædito, intelligendi virtutem adiungi; hunc, Naturæ ordinem immutare credendum est. ea enim, quæ magis perfecta sunt, ab intellectualis naturæ copulatione secernet, & longe imperfectiora illi adiunget. Præterea sibi aduersabitur: nam patere potest ex naturalis scientiæ demonstrationibus, in humani corporis formatione cor præcedere formationem totius corporis. In corde autem vita, & sentiendi vis manifeste inest, & exercetur. Igitur, si in communi hominum ortu humanum corpus rationi aditum præbet, hoc viuendi, ac sentiendi virtute præditum esse necesse est. nam humanum corpus, cuius rationalis anima est vera forma, non constituitur absque usu virtutis viuentis, ac sentientis.

Qui vero ad id deueniunt, vt opinentur, intelligendi virtute accedente, sentiendi virtutes, ac reliquas imperfectiores destrui, mentem autem ipsam horum munia sustinere, alia quadam ratione eundem Naturæ ordinem perturbare videntur: nam (vt postmodum demonstrabitur, ac ipsa experientia docet) corruptio omnis est a contrario, intelligendi autem virtus sentiendi virtuti non est contraria, sed illi quammaxime consona. quod ex eo præcipue patere potest, quoniam sentiendi uirtus intelligendi virtuti aditum præbet.

Hæc tamen sententia eatenus admittenda esset, quatenus corruptionis vox non destructionem, sed summam immutationem obijciat. nam (vt ex superioribus colligere licet) sensitiua potentia, quæ ceterarum omnium est præstantissima, ac reliquas omnes corporeas virtutes ad hominis Esse utcumque attinentes perficit, absorbetur quodammodo vna cum ceteris ex accessu intellectualis virtutis. hominum enim natura transscēdit essentialiter simplicem sensibilibium ordinem, Ideoque cetera, quæ ad hominis pertinent Esse, ex præsentia intellectus, nouum essendi modum adipiscuntur: intelligendi enim virtus, simul in se manet, & ad imperfectiorum virtutū vnamquamque diffunditur, ac singulas humanas reddit. His autem ex eo etiam libentius assentimur, quoniam hac ratione tantummodo rerum omnium nexus, ac copulatio retineri potest. patet autem, ea, quæ ab unico principio pendent, eoq. optimo, nisi illius impulsibus aduersentur, & se inuicem diligere, & ad communem fontem pro viribus properare.

At

At horum vnūquodq. vanum, & inutile redderetur, si perfectissima sentiendi virtus vna cum reliquis corporeis non subijcitur imperfectissimæ intelligendi virtuti, quæ summo bono adhærere potest, ceterasq. omnes sibi ministrantes, in se, ac per se ad idem summum bonum pro vniuscuiusque captu perducere.

Falso etiam constitutum esset, hominem rerum omnium vinculum, ac nexum esse. neque enim vere omnia copularet, si sentiendi virtutes, quæ omnium corporearum virtutum dignitatem excelunt, non tantum repelleret, sed etiam destrueret.

Sed exorsam contemplationem prosequamur. Dicimus igitur, hos intellectus vere plures esse, ac humanorum corporum numerum adæquare. patet enim vnicum intellectum neque corporibus omnibus aptari posse, neque in corporum singulis increari. nam, hoc admissio, sequeretur, eundem intellectum simul & esse, & non esse.

Idem incommodum, aliaq. non pauca patiemur, sustinentes, huius ordinis intellectus plures quidem esse, sed singulos certa quadam serie ex vno corpore in aliud transmigrare: his enim admissis, sequeretur, hos intellectus seu proprio bono, ac sine frustrari, seu post proprii boni adeptionem ab illius fruitione diuelli: quorum neutrum rerum ordo consummatissimus patitur. Præterea, cum singulis commune sit, proprio intelligibili, propriaq. idæa carere, manifestum est, hos ex puro intelligibili gradu ab inuicem discerni non posse.

Alia igitur ratione ab inuicem discernentur, ex vniuscuiusque scilicet ad certum corpus relatione, necnon ex his, quæ ex corporibus contrahunt, seu etiam illis imprimuntur tamquam ex signis, notisq. intimioribus. At, si plura corpora tamquam sibi propria assumant, huius discretionis ratio penitus euanesceret, quod Naturæ est dissonum.

Horum autem intellectuum libertas vera quidem erit, sed non absoluta.

Primum pluribus rationibus demonstrari potest, ex eoq. in primis, quoniam hi intellectus ex propria natura in se operantur, atque propriæ operationis fructum in se recipiunt, quod nihil aliud est, quam sibi essentialiter præesse, veraq. libertate frui, atque etiam se ad optimum finem dirigere, optimiq. adhæsiōnem admittere posse.

Secundum ex his patere potest, quæ circa illorum essentiam explicata sunt. neque enim hi intellectus ea tantummodo ratione de-

uinciuntur,

uinciuntur, qua abstracta intelligibilia Deo teneri diximus, sed longe etiam firmiori; Deo siquidem acceptum referre debent non tantum proprium Esse, sed propria etiam corpora, ceteraq. corpora omnia, quæ illis ex diuina bonitate, ac liberalitate copiose elargiuntur, tum ad proprii corporis conseruationem, & vsum, tum ad animi exhilarationem, mentisq. illustrationem: quorum vnumquodque sicuti vere est maximum, ita etiam quammaxime deuincit.

Quod vero attinet ad rationes, quibus communissimæ Entium omnium proprietates tam absolutæ, quam relatiuæ, tam interiores, quam exteriores, his intellectibus adiunguntur, atque inhærent, simulq. ad uarias immutationes, quæ ab eisdem intellectibus admitti possunt, ob rectum, seu deprauatum propriæ libertatis vsum, admonuisse sufficiet, horum duplicem statum admittendum esse, intellectualem scilicet & corporeum.

Ea, quæ pertinent ad intellectualem illorum statum, colligenda sunt ex his, quæ dicta fuere circa intellectus in se manentes, hoc tantum præterea animaduerso, horum scilicet rectum, seu deprauatum libertatis vsum ex his tantummodo eliciendum esse, quæ dum corporaliter existunt, recte, seu perperam eligunt, prosequuntur, ac operantur. Quæ vero attinent ad corporeum eorundem existendi modum, demonstranda erunt a scientia naturali, seu etiam ab ipsa humanorum actuum directrice philosophia. neque enim absque pleniori perceptione corporearum virtutum, hæc recte concipi possunt.

*De Entibus, quæ neque a se, neque in se sunt, sed per se operantur; seu de his, quæ ab alijs recepta, propriam in ipso recipiente vim retinent, atque exercent.*

Cap. XX.



VAE humani intellectus differentijs transpositis per se operantur, sed non in se, nihil aliud erunt, quam virtutes, quæ ex externarum relationum vsum ab agente effluunt, quatenus a recipiente retentæ, illius vim multipliciter immutare possunt.

Has ad duos præcipuos ordines redigendas esse arbitramur. eorum enim, quæ sunt, quædam intellectualem naturam sunt prædita, quædam intellectualem virtute destituuntur. Ea autem, quæ ab intellectualem naturam admitti solent, haud secus ab his differunt, quæ a corporibus

poribus comprehenduntur, quam intellectus ipsi a corporibus differant.

Horum ordinum primus tantummodo in præsentia attendendus erit. nam, quæ hæctenus contemplati sumus, sunt intellectus. Postmodum vero explicabitur secundus ordo, perceptis, prout huic primæ scientiæ conuenit, differentijs Entium, quæ intelligendi videntur carent.

Ex his autem, quæ superius a nobis exposita sunt, facile colligere licet, primum ordinem in tres partes iterum distinguendum esse.

Prima constituitur ex eo relationis vsum, quo respectu agentis, potentia extensio, protensio, ac effusio exerceri solet: respectu vero recipientis, externæ potentia admissio, detentio, ac redundantia.

Secunda deducitur ex eo relationum externarum vsum, quo agens propriæ veritatis extensionem, protensionem, ac effusionem operatur: recipiens vero eandem suscipiens, ac retinens, illustratur, ac decoratur.

Tertia ex tertio relationum externarum vsum, quo agens propriam bonitatem extendit, protendit, atque effundit: recipiens vero eandem suscipiens, ac retinens, præstantiora bona consequitur, seu etiam ad beatitudinem perducitur.

His omnibus commune erit, ex propria natura receptibilia tantummodo esse, neque extra recipientem subsistere posse.

Ex eo igitur, quod in se non operantur, nec sunt, intellectualem virtute carent, proprioq. intelligibili destituuntur, neque aliena intelligibilia, aliena sue idæas intueri possunt. Ex eo vero, quod per se operantur, simplicia sunt, atque eo magis, quoniam a simplicibus effluunt, ac recipiuntur. Ex his autem manifestum est, Entia hæc ita receptibilia esse, vt ipsa nihil recipiant. patet enim, simplicia, quæ in se recipiunt, ex necessitate in se esse, atque operari, neque ad præsentem ordinem pertinere, sed ad præstantiores, intelligibilium scilicet & intelligentium, de quibus iam dictum est.

Patet quin etiam, ex horum receptibilium concursu neque recipientium, neque receptorum essentiam mutari, neque essentialem compositionem oriri. hoc enim admisso, hæc recepta non amplius per se operarentur, sed tamquam recipientis partes.

Sicuti autem horum Entium fons, atque initium Deus Opt. Max. statuendus præcipue est; ita hominum intellectus eorum terminus, atque receptor proprii ratione appellandus erit. cum enim rece-

ptio



ptio recipientis defectum, effusio vero perfectionem arguat, Deo, omnium perfectissimo, tantummodo effundere conuenit, Humano vero intellectui, omnium imperfectissimo, tantum recipere. Medijs autem intellectibus, vtrumque aptari poterit, magis tamen, ac minus, prout præstantiores, seu minus præstantes ordines ingrediuntur. Harum autem extensionum, quæ ab intelligibilibus pendent, atque ab eisdem intelligentibus recipiuntur, imaginem aliquam intuebimur, attendentes propositionum, seu veritatum mutuas relationes. hæ enim sicuti veritatum in se manentium specimen retinent, ita ad illarum perceptionem quantumvis nos manu ducunt: communissimi siquidem principij vis, qua de vnoquoque verum esse vel affirmare, vel negare asseritur, quæque extenditur ad demonstrationum indemonstrabilia principia, ad demonstrationum conclusiones, & ad ceteras omnes veritates, diuinæ virtutis specimen refert, neque tantum, quatenus omnia virtute continet, acque absque ulla sui mutatione omnia quodammodo effundit, sed etiam quatenus iam producta respiciens omnia firmat, omnia roborat, atque omnia illustrat. quemadmodum enim Deus Opt. Max. primo abstracta intelligibilia, illorum Esse non destruens, roborat, illustrat, ac perficit; ita primum hoc principium propriæ claritatis, ac certitudinis vim in principia indemonstrabilia inijcit, illaque nulla ex parte immutans, illustrat, ac roborat. Simili ratione quemadmodum Deus Opt. Max. abstractorum intelligibilium ministerijs sæpe adiunctis, humanas mentes, quæ ex proprij intelligibilis ueritatem non intuentur, atque conclusionum demonstrandarum naturam imitantur, roborat, illustrat, atque ad perfectiora dirigit; ita idem principium non tantum principia indemonstrabilia, sed demonstrabiles etiam conclusiones, eorundem principiorum virtute adiuncta, confirmat, ac certa reddit. Siquis autem has veritates, quæ extra humanam mentem non consistunt, tamquam in se manentes, ac singula libere exercentes, concipiat, consentiatque, illam, quæ ceteris omnibus præest, singulasque tutatur, ceteras omnes in se actu, sed eminenter, atque indiuisibiliter continere; hic ex earundem veritatum dispositione facile coniectare poterit, non tantum certos singularum creaturarum terminos dari, sed etiam quam ratione a creatore, qui termino caret, effluant, ac sustineantur, atque etiam, quonam pacto illius lumine, adiuuentisq. destituta infirmentur, atque obtenebrentur haud secus, quam conclusionis

veritas,

veritas, si nulla principiorum, ac primæ certitudinis uis ad illam deueniat.

Entia uero, quæ speculamur, prout seu potentia, seu ueritatis, seu bonitatis extensionem continent, certis quibusdam nominibus fortasse proferenda sunt. nam, quatenus bonitatem respiciunt, dona, seu gratuita appellanda videntur: quatenus ueritatis uim referunt, rationes, seu ueritatis lumina: quatenus potentia magis aptantur, virtutes.

Siquis autem percūctetur de illorum libertate, ac reliquis proprietatibus, ni fallimur, respondendum erit, horum Entium libertatem nullam esse. nam in seipsis non operantur. Sanciendum tamen est, ea adaugere quam maxime posse libertatem recipientis, atque illius usum dirigere. Idem etiam euenit respectu communissimarum proprietatum. nam simili ratione, eorum obiectiua ueritas in seipsa obscura, ac fortasse nulla, ad recipientis utilitatem difficiliora dilucidare, atque quam clarissima reddere poterit. Veritas comprehensua, in seipsa nulla, recipientis comprehendendi uim ita adauget, ut superiora intueri possit, quod propriæ uirtuti absque huiusmodi receptione non datur; similiaque respectu bonitatis, existentia, durationis, unitatis, perfectionis, pulchritudinis, atque internæ dispositionis euenient.

*De Entibus, quæ neque a se sunt, neque per se, aut in se operantur, sed ex coniunctione subsistunt; & primo de substantiali illorum uirtute, & quantitate. Cap. XXI.*



**Q**UANTVS rerum ordo, qui ex prima hac diuidendi ratione postremus obijcitur, ea complectitur Entia, quæ neque per se, neque in se operantur, aut sunt. Hæc autem (ut ex constitutis patet) quatenus per se non operantur, simpliciter non consistent. Quatenus autem non operantur in se, neque simplicia, neque intellectualis naturæ erunt. His igitur commune erit, copulari alijs Entibus, seu uirtutibus, quæ similiter neque in se, neque per se operantur, ita tamen, ut illarum nulla aut copulationem præcedat, aut extra eam consistere possit, sed simul collectæ coniunctum aliquod constituent, cui appetatur proprium quoddam munus, ad quod perficiendum singulæ uirtutes coniunctæ propria quadam ratione deseruiant.

B b

Hæc

Hæc ita statuenda esse, vnusquisque intueri potest. nam, si hæc virtutes ad inuicem copulandæ, copulationem præcedant, interim vero simpliciter consistant, seu si post copulationem ad simplicem essendi modum aliqua ratione deduci possint, fatendum est, eas etiam per se, & in se operari. nam, cum nihil inutile detur, quod simpliciter est, simpliciter etiam operetur necesse est.

Ad alium igitur Entium ordinem deducendæ erunt, neque ad eum pertinebunt, de quo nunc est sermo. Quod si non constituant coniunctum vere vnum, atque ad munus aliquod præstandum idoneum, seu illarum vnaquæque propria quadam ratione muneri huic non inferuiat, sed communi tantum ratione, vt pluribus hominibus euenit, qui ad graue aliquod trahendum, seu impellendum concurrunt, necessario dicendum erit, illarum concursum vel omnino inutilem esse, vel deseruire non ad munus aliquod inducendum, sed ad iam inductum facilius exercendum.

Sequeretur etiam, eas ab inuicem disiungi posse, sicut & homines simul operantes disiunguntur: quorum vnumquodque communi rerum dispositioni repugnat, & superioribus contradicit. Sicuti autem his virtutibus commune est, in se non operari, ita etiam eisdem commune erit, propriæ operationis fructum in se non colligere, neque sibi vere inferuire, Ideoq. tales virtutes vera libertate, eligendiue virtute præditæ non erunt, sed ex Naturæ impulsu proprios actus exercere poterunt.

At quærendum est, quotnam virtutes ad horum coniunctorum constitutionem sint necessariae, necnon an talia coniuncta plura, vel non plura sint. Constat virtutem aliquam primo requiri, quæ totius coniuncti bono præcipue inferuire possit, cuique ceteræ omnes ministrent. hac enim (quam substantialem appellare licet) ablata, nulla horum coniunctorum vnitas, nullusque nexus demonstrari potest.

Huic vero substantiali virtuti extensio, continua scilicet quantitas, necessario adiungenda est. ea enim, quæ extensione essentialiter carent, indiuisibiliter, atque seu per se, seu in se exerceri possunt. Harum autem virtutum nullam seu per se, seu in se exerceri constitutum est. Has igitur ex quantitate extendi, atque diffundi, & vere corporeas esse, necesse est. Cum autem quantitas, vt est quantitas, non tantum diuisibilis sit, sed etiam diuisibilis in infinitum, hæc substantiæ, vt quantæ sunt, similiter diuisibiles erunt. Vtrum autem

rem omnes actu diuidi possint, & vtrum ex diuisione patiantur, vel pereant, ex singularum naturis demonstrandum erit. Ideo vero ipsa quantitas est diuisibilis in infinitum, quoniam ex extensione constituitur, & extensio ex indiuisibilibus componi non potest: indiuisibile enim indiuisibili adiunctum illud necessario tangit non ratione extremi, sed ratione totius, Ideoq. neque propriam indiuisibilitatem exuere potest, neque alienam amouere. nam quod tangit, non ratione totius, sed partis extremæ, tantum diuisibile est, & non indiuisibile, ut accipitur. Sicuti igitur extensio non componitur ex indiuisibilibus, ita ad indiuisibilia resolui non potest. Hoc autem nihil aliud est, quam in infinitum diuisibile esse. patet siquidem id, quod in infinitum diuisibile non est, ad indiuisibilia tandem, tamquam ad sui partes, perducendum esse, simulq. ex horum coaceruatione rursus posse constitui. Sicuti autem quantitas continua diuisibilis est in infinitum, ita quantitas discreta, numerus scilicet in infinitum potest adaugeri. ex diuisionis enim proportionem partium quantitas semper diminuitur, illarumq. numerus semper adaugetur: infinitus tamen numerus non datur, quoniam neque infinitæ diuisiones actu exerceri possunt, licet quantitas in infinitum sit diuisibilis: talis siquidem potentiæ bonitas consistit in eadem potentia, non autem in illius actu: nam tendit non ad perfectionem, sed ad destructionem.

Quamuis autem ex quantitatis continuæ diuisione, partium diuisarum numerus adaugeatur, non tamen ideo censendum est, quantitatem continuam numero natura priorem esse: nam ipsam quantitatem continuam, siue indiuisa, siue diuisa sit, vnitas necessario concomitatur, quæ ex sui natura indiuisibilis est. Ideoque, dum totum diuiditur, illius vnitas expanditur potius, seu diffunditur, quam diuidatur: eadem quippe vnitatis ratio, quæ est in toto, a singulis partibus retinetur; neque tantum, dum seiunctim respiciuntur, sed etiam, dum sibi inuicem associantur. nam dualitas etiam, & trinitas propriam vnitatis rationem retinent, necnon quaternitas, & quinque, & ceteræ, quæ plurium concursum referunt, licet imperfectiores censi possint: primorum namq. parium, seu imparium concursum, seu repetitionem referunt, & vere primæ non sunt.

Extensæ vero quantitatis indiuisibilitas attendi potest respectu omnium trium dimensionum, longitudinis scilicet, latitudinis, ac profunditatis, vt punctum respectu duarum dimensionum, latitudinis

dinis scilicet, ac longitudinis, vt linea: & respectu vnius dimensionis, longitudinis scilicet, ut superficies. Igitur asserendum erit, neque lineam ex punctis componi, neque superficiem ex lineis, neque solidum ex superficiebus.

Patet tamen, horum indiuisibilibus nullum seiunctim dari: puncta enim adhærent lineis, lineæ superficiei, superficies corpori.

Quamuis autem quantitas omnis substantiali virtuti essentialiter copuletur, ipsa tamen quantitas, ac singulæ illius dimensiones, ac termini abstracte, ac seiunctim mente concipi possunt, atque etiam respici, tamquam demonstrationum subiecta. nam horum unumquodque certis proprietatibus insignitur, quæ de illis per propria principia demonstrari possunt.

Et hæc quidem contemplatio Geometriam constituit, sicuti numerus Arithmeticam parit. nam ipse similiter (licet extra numerabile non consistat) abstracte, ac seiunctim intueri potest.

*De communi operatione substantiæ corporeæ, seu de motu locali.*  
Cap. XII.



Explicandum nunc est, quænam operatio ascribenda sit his substantijs extensis, seu corporeis.

Accipientes autem, tales virtutes substantiales ob essentialem extensionis copulationem a se quodammodo egredi, & per totam extensionem effundi, tutissime affirmabimus, illius etiam operationem eandem effusionem ex necessitate referre, ideoque nihil aliud esse, quam motum localem, atque illum præcipue, quo substantia corporea ad certum actum deducta se ipsam mouere potest. nam, cum operatio essentialis necessario rei operantis bonum vtrumque respiciat, circa eandem versetur necesse est. Præterea impossibile est, corpus aliquod aliud externum corpus mouere, nisi se ipsum moueat. sed aliqua attentio adhibenda est, vt percipiamus, quonam pacto corpus seipsum mouere possit. nam mouere, & moueri opposita sunt. Itaque impossibile est, mouentem, quatenus est mouens, moueri, & motum, quatenus est motum, mouere; corpus vero se ipsum mouens, mouentis, ac moti partes necessario sustinet. Quamam igitur ratione defendi poterit, mouentem, vt mouentem, non moueri, & motum, vt motum, non mouere? Huic arduæ difficultati recte, ni fallimur, satisfaci-

fatisfaciemus, animaduertentes, nullum inconueniens sequi, si mouens, quod ut mouens non mouetur, quatenus mobili essentialiter est coniunctum, reipsa moueatur, & si motum, quod ut motum non mouet, quatenus mouenti essentialiter coniunctum reipsa moueat: tunc siquidem mouens mouebitur quidem, at non primo, sed consequenter, & motum mouebit similiter non primo, sed consequenter.

Manifestum vero est, hæc in substantiarum corporearum motu, admirabili quadam ratione associari. quamuis enim virtus substantialis tamquam præcipua, afferat mouendi virtutem, & motus recipiendi aptitudo, extensioni ascribenda sit: nihilominus harum vnaquæque sicuti respectu essentiæ sibi inuicem essentialiter copulantur, ita respectu essentialis operationis eandem copulationem ex necessitate retinent. Itaque necessario etiam vtraque mouetur, ita tamen, ut virtus substantialis primo moueat, & moueatur consequenter, quatenus scilicet est extensa: Extensio econtra primo moueatur, & moueat consequenter, quatenus scilicet substantialem virtutem complectitur.

Hinc colligere licet, motum localem nihil aliud esse, quam actum illius potentiæ, quæ substantiæ extensæ essentialiter conuenit, quatenus est extensa, a substantia extensa, quatenus est substantia. cum enim potentia substantiæ extensæ, vt est extensa, sit mobilitas, & eiusdem substantiæ extensæ vis, quatenus est substantia, respiciat motum, quem efficere potest, manifestum est, data huius potentiæ consummatione, ac actu, motum dari, & ex motus constitutione talis potentiæ actum constitui. Siquis autem dicat, motum esse actum mobilis, quatenus mobile a mouente, hic ignotum per ignotum definiat. nam, dum ignoratur, quid sit motus, simul occultum est, quid per mobilis, ac mouentis voces concipiatur, vel, si hæc nota sunt, ignorari non potest, quid sit motus. Constituta vero motus definitio omni locali motui aptari potest, siue sit ab intrinseco, dum scilicet aliquis, vel aliquod seipsum mouet, siue ab extrinseco, dum scilicet aliquod ab alio mouetur. nam quæcumque mouent, siue se, siue alia moueant, exercent vim substantialem; & quæcumque mouentur, seu a se, seu ab alijs moueantur, mouentur, quatenus extensa sunt.

Ex his autem, quæ circa motus essentiam enarrata sunt, deducitur quamturissime, accessum, ac recessum a motu seiungi non posse.

se. nam, quod mouetur, necessario recedit ab vno termino, & accedit ad alium: si enim a nullo recedit, & ad nullum accedit, quiescit, & non mouetur. Id vero veritatem continet non tantum, dum mobile per aliud corpus defertur, sed etiam, dum per se ipsum mouetur, vt in conuersionibus euenit. tunc siquidem singulæ mobilis partes a certo termino ad certum terminum deferuntur.

Colligitur etiam, motum absque aliqua quiete non dari. posito enim, id, quod mouetur, recedere ab vno, & ad aliud tendere, sequitur, id, a quo receditur, & id, ad quod acceditur, vel quiescere, vel respectu illius, quod mouetur, quiescentis partes sustinere, tardius scilicet moueri. ex quo idem sequitur: nam, in quibus magis, ac minus locum habent, extrema etiam admittenda sunt; ea vero in motu sunt summa velocitas, & summa quies.

Præterea, quamuis operatio, ut operatio, bona sit, & motus propriam quandam bonitatem retineat, nihilominus id, quod præcipue per motum intenditur, est noua habitudo, seu mouentis ad alia, seu aliorum ad mouentem, seu vtriusque ad vtrumque. Patet autem, hanc dari non posse absque alia quiete seu absolute, seu respectu motus, qui exercetur.

Demonstratur quoque, nullam extensam substantiam in infinitum protendi posse, talesq. substantias ex necessitate plures esse, non tamen infinitas numero. nam, si daretur corporea substantia infinitæ molis, a nullo termino recedere, neque ad ullum terminum accedere posset. infinitum enim termino caret. Immobilis igitur erit, ac omnino inutilis, tum sibi, tum alijs, quod Natura non patitur. Præterea quærendum esset, an tale corpus diuidi possit, vel diuisionem omnem refugiat. Si dicatur illud diuisionem non admittere, fatendum erit, illud indiuisibile esse, & extensione carere. at dictum est, illud non tantum esse extensum, sed etiam in infinitum extensum. Erit igitur simul extensum, & non extensum, infinitum, & indiuisibile. Si vero admittatur, tale corpus diuisibile esse, admittendum consequenter erit, illud partes terminatas habere, atque ex harum seiunctione diminui: quorum unumquodque infiniti naturam similiter destruit.

Si corporeæ substantiæ non essent plures, sed vnica tantum, motus inutilis esset, neque bonum aliquod afferret seu huic vnico mobili, (quod eandem semper dispositionem tam ex motu, quam ex quiete conferuat) seu alijs, cum nullum aliud detur corpus.

stantiæ

stantiæ mobiles essent numero infinitæ, ad inuicem disponi, ac sibi inuicem deseruire non possent, quod Naturæ ordo non patitur. Ipse autem motus, quoniam absque spatio non datur, & spatium omne, & singulæ illius partes sunt extensæ, & in infinitum diuisibiles, similiter diuisibilis erit in infinitum. nam in vnoquoque puncto spatij terminari potest, & ab vnoquoque exordiri. Erit tamen infinitus non actu, sed potentia, quoniam ipsa quoque extensio in infinitum diuisibilis, actu infinita non est, sed ex necessitate terminata, & finita.

Motus vero, ac extensionis, seu spatij termini non eodem modo se habent: extensionis enim termini extensioni adhærent, illiq. interni sunt; motus vero termini motui non adhærent, neque illi interni sunt, sed ex necessitate externi: sumuntur siquidem a quiete, quæ motum omnem excludit. In extensione igitur datur primum, & vltimum, illius scilicet extrema; motus vero neque primum, neque vltimum admittit. nam, si dicatur, in motu dari primum & vltimum, quærendum erit, an hæc sint partes motus, vel non.

Si dicatur, esse partes, fatendum erit, in eisdem motum esse. Non igitur erunt primum, seu vltimum motus. Si dicatur, motus partes non esse, assentiri cogimur, in illis nullum motum esse, sed quietem tantum, ex qua constituuntur termini motui non interni, sed externi, vt dictum est. hæc ex spatij etiam natura confirmari possunt. puncta enim, in quibus motus inchoatur, ac terminatur, attenduntur in motu vt termini magnitudinis extensæ, per quam motus exercetur, non autem tamquam termini ipsius motus. Igitur, sicuti spatij, vt sic inclusi, primum, seu vltimum indiuisibile, dari non potest, esset enim simul inclusum & non inclusum, ita neque motus, qui intra eosdem terminos exercetur, primum, seu vltimum admittendum est.

Ex his vero colligendum est, motum interrumpi potius, quam diuidi. Hæc autem inter se differunt: nam diuisio extensionem actu existentem secatur, illa non corrupta; interruptio vero incrementis, ac prosecutioni obsistit, motumq. corrumpit. Ex eisdem etiam demonstratur, motum, alium motum a se distinctum tangere non posse, vt linea aliam lineam a se distinctam tangit. ea enim se tangunt, quorum extrema singulis interna sunt simul. at motus terminis internis caret. Igitur, sicuti necessario datur quies media

inter

inter motum, & motum, ita impossibile est, motum tangere alium motum a se disiunctum.

*De Loci natura communi.*

*Cap. XXIII.*



**O**RPOREAM substantiam concomitantur non tantum motus, & quies, sed etiam locus, & tempus. Loci ratio illi adiungitur, quatenus quiescendi rationem continet; tempus vero constituit, quatenus reipsa mouetur.

Quod ad Locum attinet, patet, illum extensum, ac immobilem esse; patet etiam, illius extensionem absque vlla substantiali virtute non subsistere. hoc enim aduersaretur superioribus demonstrationibus. Præterea vix concipi potest, quonam pacto duæ extensiones, loci scilicet, ac locati, se inuicem compatiuntur, vel, si se inuicem compatiuntur, quonam pacto ad vnā, eandemq. non deducantur, vt euenit puncto, dum punctum tangit, & lineæ, dum lineæ annectitur. nam hæc spatia similiter se inuicem ex toto tangerent.

At speculandum est, quam ratione eadem extensio, quæ corpori mobili annectitur, quæque mobilitatem præcipue affert, immobilis reddi possit, seu certe summæ immobilitatis vim sustinere. id enim non paruam difficultatem continet. Id recte fiet, accepto, corporearum substantiarum extensionibus essentialiter conuenire, referri posse ad aliquod immobile, siue id ex propria natura certo aliquo motu omnino careat, seu ex humanæ rationis vi conceptum immobilis vt cumque retineat. nam, hac relatione data, necessario dandum est, certam quandam mensuram constitui, quæ corporum mobilium extensioni innititur, non quatenus mobilia sunt, sed quatenus subiecta huic commensurationi; quam ideo vere immobilem esse conuincimus, quoniam, aliquo corpore, seu aliqua corporis parte ab ea recedente, ipsa vere persistit immobilis, licet fulcita noua corporis superingredientis extensione. Hæc igitur immobilis commensurabilitas Locum pariet, &, nisi assentiamur, hanc vere esse ipsius Loci naturam, ad id delabemur, vt, si quis supponat, totam corporum molem, vel corpus aliquod, quod cetera complectatur corpora, vnico ferri motu, fateri cogatur, hæc (quæ manifeste mouentur) quiescere potius, quam moueri. nam ex tali motu neque totum seu a se, seu ab alio corpore recedit, neque partium aliqua  
elongatur

elongatur seu a se, seu a partibus coniunctis, sed omnia eundem statum retinent. Patet autem, accessus, ac recessus rationibus amoris, simul motum auferri. Præterea admittendum esset, vel dari extensionem sine substantia, vel Locum ipsum moueri, quod simul & Loci, & motus naturam destruit. nam, si Locus mouetur, per alium Locum mouebitur; corpora etiam, quæ vna cum Loco mouentur, in eodem Loco persistent, ideoq. simul quiescent, & mouebuntur. quorum vnumquodque manifestam contradictionem continet. At accepto aliquo, ut immobili, facile inspiciemus, motum unumquemque vere accessum, ac recessum parere; commensurationem respectu huius immobilis vere immobilem esse, & Locum nulla ratione moueri.

Qua autem ratione, & a quo corpore, tota Loci ratio vere sumenda sit, demonstrabitur, dum contemplatio ad certa corpora deflectetur.

*De Temporis natura communi.*

*Cap. XXIII.*



**D**E O tempus corporearum substantiarum motum concomitatur, quoniam, vt dictum est, corporibus motis conuenit, ab aliquo recedere, & ad aliquod accedere. hoc enim absque successione, & absque prioris, ac posterioris conceptu non datur; successio autem prioris, ac posterioris vim continens, nihil aliud est, quam tempus, præsertim si aliquod tamquam primum, & aliquod tamquam vltimum concipiatur. sicuti enim eadem corporum extensio, quæ vere mobilis est, quatenus referri potest ad aliquod immobile, certam distantiam mensuram admittit, & certum occupat Locum; ita idem motus, qui in successione consistit, quatenus refertur ad aliquod primum, & ad aliquod vltimum, mensurabilis est, & certum tempus constituit.

Tempus vero, vt est tempus, neque intendi, neque remitti potest. illius siquidem Esse oritur a ratione prioris, ac posterioris, complectiturq. numerabilis vim, quæ neque remitti, neque intendi potest.

Eidem aliud quid mirabile conuenire videtur, vt scilicet, reipsa neque diuidi, neque interrumpi, sed mente tantum signari possit: consequitur enim motum, vt perseuerat, illumq. ex eadem perseuerantia.

seuerantia metitur. Patet autem perseuerantiam, quatenus huiusmodi, terminum vllum non admittere.

Hinc igitur factum est, vt nihil inueniatur, quod ex propria natura tempori finem imponere possit, quod nulli aliorum euenit: linea enim terminatur punctis, superficies lineis, seu linea, solidum superficiebus, seu superficie, & motus quiete, nisi forte hæ partes seu instanti, seu Non tempori demandentur. At instans, absque tempore non datur; Non tempus vero nihil reale affert, sed temporis carentiam tantummodo obijcit. Quapropter fatendum est, tempori, quatenus est tempus, nullum terminum præfigi. Neque tamen ob id sentiendum est, tempus principio carere, seu in infinitum extendendum esse: nam, sicuti temporis Esse ex motu deducitur, ita illius perseuerantia motus perseuerantiam concomitatur.

Nouimus autem, motui quietem opponi, eumque ex quietis accessione interrumpi, ac terminari. Nouimus etiam, eundem motum pendere a substantia corporea, quæ in infinitum extendi non potest, sed certis finibus vndeque terminatur. Vtrum autem corpus finitum, motum indeficientem parere, seu non parere possit, postmodum diligentius contemplabimur. In præsentia id tantum modo admonuisse sufficiet, tempori essentialiter conuenire, distinguui in præteritum, ac in futurum, præteritumq. ideo præteritum appellari, quoniam aliquando fuit præsens. futurum itidem dicitur, quoniam aliquando præsens erit. Ex his vero recte colligi existimamus, horum nullum esse infinitum; præteritum non esse infinitum, quoniam iam pertransijt: futurum non esse infinitum, quoniam transibit: neque enim aliter seu futuri, seu temporis vocem admittit. at infinitum transiri non posse, sæpius tamquam ex propria natura euidens acceptum est. Si quis autem asserat, tempus ipsam etiam quietem meriri posse, nisi supponat certi alicuius motus perseuerantiam, hic a iam constituto veritatis cursu manifeste recedet.

Vtrum autem ipsum tempus, ita motum consequatur, vt non a quocumq. motu sumendum sit, sed a certo aliquo primo uelociori, ac æqualiori, ex dicendis patere poterit.

*De ratione, qua indiuisibilis, ac diuisibilis Existentiæ, ac Durationes se inuicem compatiuntur, ac coexistunt.*

*Cap. XXVI.*

*De ratione, qua indiuisibilis, ac diuisibilis Existentiæ, ac Durationes se inuicem compatiuntur, ac coexistunt.*

*Cap. XXVI.*

*De ratione, qua indiuisibilis, ac diuisibilis Existentiæ, ac Durationes se inuicem compatiuntur, ac coexistunt.*

*Cap. XXVI.*

*De ratione, qua indiuisibilis, ac diuisibilis Existentiæ, ac Durationes se inuicem compatiuntur, ac coexistunt.*

*Cap. XXVI.*

*De ratione, qua indiuisibilis, ac diuisibilis Existentiæ, ac Durationes se inuicem compatiuntur, ac coexistunt.*

*De his, quæ præter extensionem corporeis substantijs adiungenda sunt.*

*Cap. XXV.*



Nunc cetera, quæ præter extensionem, ac motum corporeis substantijs superadduntur, considerata sunt. Patet autem, data mobilium multitudine, communiq. eorundem dispositione, illis ea etiam ex necessitate adiungi, quæ motuum multitudinem consequuntur, atque eisdem, pluribus rationibus inseruire possunt. huiusmodi sunt Qualitates, Relationes, Actiones, Passiones, Situs, & Habere. Hæc tamen non eodem modo singulis erunt adijcienda, sed pro vniuscuiusque statu, atque natura, vt ex his innotescet, quæ de corporum speciebus dicenda erunt.

Quæ attinent ad communem mobilium veritatem, bonitatem, existentiam, durationem, vnitatem, perfectionem, pulchritudinem, internum ordinem, internas, ac externas relationes, ideo præmittuntur, quoniam, quæ omnibus conueniunt, ex iam constitutis facile deduci possunt. Cetera vero ad specierum doctrinam pertinent.

*De ratione, qua indiuisibilis, ac diuisibilis Existentiæ, ac Durationes se inuicem compatiuntur, ac coexistunt.*

*Cap. XXVI.*



ICTVM est de Ente, vt est Ens, ac de quinque Entis speciebus præcipuis, quæ ex prima diuidendi ratione primo obijciuntur.

Singularum etiam essentiæ expositæ, ac proprietates demonstratæ sunt.

Nunc igitur, antequam eadem diuidendi ratio, prout corporeis substantijs conuenit, repetatur, corporeorumq. species diligentius examinentur, ac speculentur, aliqua dicenda videntur circa rationes, quibus indiuisibilis, inuariabilis, ac æterna Dei Opt. Max. existentia, atque æternitas, & creaturarum nouitas, diuisibilitas, ac successio, se inuicem compatiuntur, & coexistent. Hanc autem contemplationem aggredientes, ex eo humanæ mentis infirmitatem fateri cogimur, quoniam, dum horum vnumquodque se iunctim attendimus, certum vtriusque intuitum videmur assequi. Dum vero hæc nitimur associare, se inuicem repellere, ac sibi inuicem re-

Cc ij pugnare

pugnare uidentur. At desistendum non est: nam, dum certissima rationis ui, ea admittere cogimur, quæ omnem humanum captum excedunt, id saltem assequimur, ut toto animo assentiamur, tunc Deum, ac diuina quammaxime a nobis comprehendere, cum hæc nobis uere esse incomprehensibilia intuemur. Præcipue autem animaduertendum esse arbitramur, diuinæ Existentiæ, diuinæq. Durationis indiuisibilitatem a puncti, quo linea terminatur, & ab instantis, quo temporis partes copulantur, indiuisibilitate longe differre: punctum enim, & instans, ideo indiuisibilia sunt, quoniam a quacumq. extensione, & a quacumq. temporali perseverantia deficiunt. Diuina uero Existencia, diuinaq. Duratio, seu Æternitas ideo indiuisibiles appellandæ sunt, quoniam, cum extensionum omnium, omniumq. temporalis perseverantiæ uirtutem excellent, ita sibi adhærent, atque insistant, ut nullam partium disiunctionem admittere possint. Quapropter diuina Existencia sicuti sibi innititur, neque ulla corporeæ extensionis fulcimenta requirit, quin potius cetera omnia fulcit, ac sustinet; ita corpoream extensionem libere concomitatur, ea tamen ratione, ut neque ex maiori illius amplitudine amplior, neque ex maiori contractione contractior efficiatur, sed tam in tota, quam in partium unaquaque, licet minima, ac in earundem punctis tota, atque æqualiter inueniatur, neque extensionibus his ulla proportione respondere possit.

Simili ratione diuina Duratio, atque Æternitas sicuti in se contrahitur, atque se quamtutissime colligit, neque ullam temporis mensuram patitur, quin potius temporum, ac reliquorum omnium durationes metitur; ita temporis successioni uere coexistit, ea tamen ratione, ut neque ex maiori illius perseverantia diuturnior, neque ex minori breuior efficiatur, sed tam in toto tempore, quam in temporis parte unaquaque æqualiter inueniatur, neque his successionebus ulla proportione respondeat: constat enim neque diuinam Existenciam, ob localem quantitatem, (quæ nihil aliud est, quam extensio manens) neque diuinam æternitatem ex temporis successu (qui nihil aliud est, quam extensio fluens) immutari posse.

Siquis autem ex his, quæ nobis obijciuntur, hos diuinæ, ac corporeæ existentiæ, ac durationis consensu concipere velit; hic fortasse id utcumq. assequetur, ex unitatis, & ex immobilitatis rationibus, quas extensis, ac mobilibus substantijs aptari nouimus. nam, si eadem quantitas, ut diuisibilis, unitatem numeralem retinens, re-

specu

specu totius: eandem ad singulas partes extendit, tum ut seiunctim accipiuntur, tum etiam ut sibi inuicem associantur; & ut est mobilis, immobilitatis rationem sustinens, atque exercens, loci omnino immobilis commensurationem conseruat, repugnans non erit, diuinæ existentiæ, ac durationis indiuisibilitatem, ac inuariabilitatem, corporum diuisibilitatem, ac variabilitatem compati posse, vereq. diuisibilibus, mobilibus, ac successiuis substantijs, diuinæ indiuisibilitatis, immutabilitatis, ac persistentiæ uirtutem assisteret.

Quamtutissime igitur asserendum erit, a Deo, seu ratione loci, seu ratione temporis, nihil distare, nihilq. seu absens, seu nouum esse. Et his quidem eo firmiter insistemus, scientes, extensa, ac successiua omnia ex diuina uirtute constitui, ac conseruari.

Siquis autem, hæc, quæ de diuinæ Æternitatis, ac temporis coexistentia dicta sunt, minus attingens, aliud quoddam mente concipiat, diuinæ scilicet æternitati, ac temporis, durationis antiquitatem, & cursum perennem communem esse, utriusque uero discrimen constitui, quoniam durationis antiquitas, ac cursus perennis, ut æternitati conuenit, neque aliquid adimit, neque aliquid affert, ideoq. quatenus nihil adimit, præteriti, quatenus nihil affert, futuri uoces non recipit, sed præsentis tantum vim retinet; eandem uero durationis antiquitatem, ac perennem cursum, prout temporis aptatur, semper aliquid adimere, & aliquid afferre, recteq. ob id ipsum tempus in præteritum, ac in futurum distingui; Siquis, inquam, hæc ita asserat, hic æternitatis, ac temporis naturam confundet: talis enim antiquitas, prioris, ac posterioris, necnon mensurabilis, ac transibilis, rationes manifeste complectitur, siue aliquid afferat, & adimat, siue nihil afferat, & adimat. Itaque a diuinæ æternitatis conceptu longe distabit. nam id, quod uere collectum est, & coniunctum, distrahet, & disiunget. Præterea rem omnem ad id deducet, ut circa rerum creationem nihil afferre possimus, in quo nobis non aduersumur. dato enim diuinam Æternitatem constitui non ex cuiusuis distantie reiectione, sed ex summa distantia, licet inuariabilis, extensione, quæ initio, ac fine caret, neque temporis falsam æternitatem, (quam tamen nonnulli tutantur) neque ueram temporis inchoationem (quam euidenter probari constat) recte sustinere possumus. falsa temporis æternitas non sustinetur, quoniam, si tempus inchoatione caret, iam infinitum, atque impertransibile tempus pertransijt, quod manifestam contradictionem.

tradictionem continet. Similiter vera temporis inchoatio non sustineretur, quoniam fateri cogimur, huic inchoationi infinitam durationem præcessisse, quæ, cum ab infinita distantia temporis in eo tantummodo differat, quoniam nihil Deo vel aufert, vel affert, hæud secus, quam temporis infinita distantia, impertransibilis censenda est. Rectam autem æternitatis rationem attingentes, quæ a temporali perseverantia non deficit, sed in se collecta, atque contracta manens, ita temporis vim excellit, ut eam pariat, neque ex illius distantia ad ullam distinctionem, seu distantiam deduci possit, (quod etiam diuinæ Existentiæ respectu extensorum euenire constat) & falsam temporis æternitatem quam rectissime expellemus, & veram creaturarum nouitatem, temporisq. inchoationem quam tutissime demonstrabimus: nam, sicuti sphæræ centrum sphæræ motum parit, & non recipit, atque in eodem centro lineæ plures distinctæ, ac diuisibiles, singulariter, coniunctim, atque indiuisibiliter copulantur; ita diuina Æternitas temporalem distantiam parit, sed non recipit, & quæcumq. in se sunt noua, distincta, atque diuisibilia, æterne, collectim, atque indiuisibiliter intuetur, ac parit, cum præsertim horum vnumquodque ortum ducat non ex nouo, sed ex æterno Dei consilio. nouum enim consilium internam Dei nouitatem arguit, quæ dari non potest.

Huius autem indiuisibilis virtutis, noua, & diuisibilia producentis, imagines plures in ipsis etiam sensibilibus reperiuntur. dato siquidem, exempli gratia, procedendi signo ab alicuius exercitus Imperatore, patet, signi huius vim ad omnes quidem exercitus partes, simul, & indiuisibiliter perducere, cum tamen hæc omnes partes, huic edicto obtemperantes, non indiuisibiliter, sed serie quadam seruata iter suscipiant: alias enim præcedere necesse est, alias vero sequi, idq. longiori, aut breuiori temporis intercapedine, prout ipsarum viarum angustia, procedentiumq. commoditas exquirunt. quod etiam respectu creaturarum euenire constat: iam enim constitutum est, creaturarum essentias, naturalq. tales esse, ut abstracta non modo actu esse non possint, nisi illorum præcedat non esse; sed neque ad propriam beatitudinem perducere, nisi huiusce beatitudinis præcedat carentia. Corpora vero successionem etiam temporalem continent, cum tamen ipsa æternitas & nouitatem, & successionem omnem rejiciat.

Animaduertendum est autem, in illa intercapedine, quæ est inter-

ter abstractorum Esse, & beatum esse, successionem aliquam, sensibilemue distantiam cogitari non posse, sed tantummodo distantiam quandam intelligibilem esse concipiendam, quæ cum omni successionem careat, transibilis, seu impertransibilis rationes non sustinet.

Quod autem pertinet ad diuinam perceptionem eorum, quæ a creaturis pendent, statuendum esse existimamus, Deum Opt. Max. sicuti nullo externe impellente, seu excitante, nullaq. proprii comodi, seu boni necessitate, sed libere omnino, creaturas producit; ita etiam eadem bonitate impellente, nulla autem necessitate cogente, sed omnino libere, easdem creaturas, & ea, quæ a creaturis sunt, cognoscere, atque intueri, ea tamen ratione, ut his perceptionibus, nullus seu memoriæ, seu coniecturæ, seu prophetiæ usus aptari possit; sed singula, propria natura retenta, respectu Dei, præsentis intuitu concipiuntur, licet respectu creaturarum pro vnoquoque temporis instanti, siue præterita, siue præsentia, siue futura sint.

Illud autem animaduersione dignum videtur, huiusmodi diuinæ cognitionis exercendæ libertatem, data creaturarum libera productione, respectu illius cognitionis intelligendam esse, cui sollicitudo aliqua, seu approbatio aliqua associetur: constat enim hanc a Deo omnino libere exerceri, nouumq. bonitatis usum continere, non autem absolute, ut scilicet aliquod vere Ens, possit a Deo non cognosci: hoc enim euidenter repugnat, hæud secus, quam si dicatur, aliquid simul esse, & non esse. nam, cum nihil absque diuinæ virtutis extensione esse possit, aliquid, quod actu sit, a Deo ignorari est impossibile.

Hæc omnia, Dei, atque illius Ecclesiæ iudicio, qua decet reuerentia, & humilitate subijcimus.







# CONTEMPLATIONIS TERTIAE,

Quæ primam constituit philosophiam,

## Pars Secunda:

In qua agitur de quinque corporeæ naturæ speciebus præcipuis, quæ eliciuntur ex contractione primæ diuisionis ad corporea.



*De corpore, quod a se, per se, et in se mouetur, seu de primo Cælo. ab Aristotele philosopho. Cap. I.*



**C**ONSTITVTVM est, substantias corporeas neque extensione, neque numero infinitas esse, easdemque ad inuicem disponi, mutuasq. relationes admittere posse. Datur igitur aliquod corpus, quod ea ratione a se operatur, propriamq. seu quietem, seu motum exercet, vt a nullo externo corpore, seu ad quietem, seu ad motum perduci

possit, sed illi prima quiescendi ratio, prima corporee mouendi virtus, ac prima mobilitas, aptandæ sint, atque ad cetera omnia corpora pro singulorum captu transmittendæ. Quod si non admittatur tale corpus inter cetera corpora primum, corporum series nulla esset, sicuti Entium ordo non sustinetur, amoto communissimo omnium fonte. Idem corpus, vt corpori conuenire potest, proprias vires per se, ac in se exercere poterit, & exercebit, Ideoq. non tantum seipsum mouebit, ac sustinebit, sed hæc munia ea etiam ratione præstabit, vt, quatenus quiescit, sibi innitatur, &, quatenus mouetur, sibi transitum, ac aditum præbeat. horum enim aliquo amoto, vel non operabitur, vel a se non operabitur: indigeret siquidem.

dem corporibus vel sustentibus, vel aditum præbentibus: extensio namq. absque substantiali virtute, seu vacuum dari non potest: Hoc corpus vnicū erit: datis enim pluribus corporibus, quæ a se, per se, & in se operentur, plures corporum ordines omnino seiuncti admittendi sunt, simulq. assentiendum, nullum esse absolute primum; quod constitutam rerum omnium connexionem dissoluit. At si hoc corpus vere vnicum est, illi propriissimum erit, a nullo corpore contineri, & corpora omnia complecti. Non continetur ab alio corpore, quoniam, quæ ab alio continentur, ab illo quietis, ac motus rationem recipiunt, neque vere in omnibus a se operantur.

Complectitur omnia corpora, quoniam corporum series est vnica. Si quis autem interroget, quidnam supra hoc corpus, quod primum Cælum appellandum est, reperiatur, rationis vi ad id nos impellente, admirabile quoddam, & a nostra intelligentia omnino deficiens, respondendum erit, videlicet nihil, quod ad corpoream naturam pertineat: nam, si aliquod corporeum reperitur, vel primum Cælum non erit primum corpus, vel plures corporum series constituentur, vel extensio absque substantiali virtute admittenda erit. quorum vnumquodque reiectum est. Hinc colligitur, firmissima illius quies: neque enim respectu totius moueri potest. nam, si ita moueretur, ab aliquo recederet, ad aliquod accederet, & per aliquod transiret; at nihil datur, a quo recedere, ad quod accedere, & per quod transire possit. Præterea, tali motu admissio, iam per se non moueretur, neque sibi aditum præberet; quod illi essentialiter conuenit.

Colligitur etiam, idem corpus vel omnino quiescere, vel moueri tantummodo respectu partium.

Primum admittendum non est: quamuis enim motus bonitas oriatur præcipue ex noua mobilis habitudine, quæ in primum corpus non cadit; ipse tamen motus, vt est operatio quædam, ex se etiam expetibilis est, præsertim dum nullum incommodum affert. Idem ex propriæ mouendi virtutis vsu euenit, sine quo mouendi virtus est frustra.

Itaque, si Cælum nullum incommodum ex motu consequitur, ex necessitate mouebitur.

Patet autem, illud nullum incommodum pati. nam, cum inter cetera corpora primum locum obtineat, simplicissimum est, & ex vnico substantiali gradu constitutum. Itaque contrarietate omni

caret, neque seu ab internis, seu ab externis incommodum recipere potest.

Quamobrem non tantum mouebitur, sed mouebitur etiam absque ulla intermissione. eadem enim, quæ ad motum impellunt, ad eiusdem motus perseverantiam faciunt. Deinde, nisi primum corpus moueretur, nihil commodi certis corporibus afferre posset, neque illorum relationes, ac nexus fouere; quod rerum ordini manifeste aduersatur. Dato autem huiusmodi motu primi corporis, sequitur, hunc motum circularem esse, & corpus sphericam figuram referre. quæcumque enim terminantur figuris rectilineis, dum circumuoluuntur, necessario egrediuntur extra seipsa, ac externam extensionem, seu externum corpus supponunt. Præterea spherica figura simplicissima, ac perfectissima est: includitur enim vnica superficie, quæ vndequaque est vniformis, Ideoq. primo, ac simplicissimo corpori aptanda est. Eadem etiam vndequaque liberam circumuersionem admittit, cum ouata, & aliæ figuræ eiusdem ordinis, tamquam compositæ, vnica circumuolutionem patiantur, quæ proprios limites non transcendat.

Neque vero existimandum est, primum corpus ita sphericum esse, vt interiora omnia, tamquam sui partes, complectatur, sed ea ratione, vt ex parte superiori connexo, ex parte autem inferiori certa cum profunditate concauo terminetur.

Nisi hoc concedatur, his, quæ superius constituta sunt, aduersabimur. nam nullum præter primum corpus admitti posset.

Necesse est autem inter concauum, & conuexum primi corporis, aliquam profunditatem dari. nam extensa virtus (vt iam demonstratum est) vndequaque extensionem requirit, neque ex sola superficie indiuisibili constare potest, cum præsertim impossibile sit, talem superficiem dari, seu motui subijci.

Si quis autem querat, an præter figuram, & præter densitudinem, seu raritatem, quæ corpus figuratum necessario concomitantur, alia qualitas primo corpori aptanda sit, ni fallimur, respondendum erit, Lucem tantummodo illi aptari posse: nulla quippe qualitas præter Lucem, ita agens est, vt absque receptione, & absque vlla contrarietate subsistat. Nulla igitur ceterarum qualitatum primo corpori aptari poterit. Vtrum autem Lucem aliquam illi reipsa inesse asserendum sit, ex Astrologorum experientia accipiendum existimamus. ratio enim, quæ persuadere videtur, nullum corpus cæleste absque

absque astro dari, communis, atque probabilis est, neque ex primis, ac proprijs deducitur. Quapropter sensus, ac longissimæ experientia assertionibus præferri non debet. Quod si dicatur, corpus vnum quodque necessario sensibile esse: siquidem veritas Entia omnia concomitatur, ac, si intelligibilis non est, necessario sensum attingit: assentiendum quidem erit, hoc corpus ab intelligibilium natura deficere, & vere sensibile esse, non tamen ex proprio lumine, sed ex proprio tantummodo motu, accedentibus inferiorum Cælorum luminibus, de quibus postmodum dicendum erit. nam & Deus Optimus, cui hoc primum corpus respectu ceterorum corporum proportionem respondet, ex ceterorum, quæ ab ipso sunt, intuitu nobis redditur intelligibilis.

*De cælorum, quæ a primo Cælo continentur, necessitate, natura, numero, dispositionibus, atque de Cælorum omnium proportionibus ad abstracta intelligibilia. Cap. II.*

**D**ATO primo corpore, quod a se, per se, & in se mouetur, ex recta diuidendi methodo, alia corpora, corporeaue substantias eousq. admittendas esse, conuincimur, donec, percursis singulis huius diuisionis membris, sibi inuicem non aduersantibus, ad ea perducamur, quæ respectu huius diuisionis indiuisibilia appellanda sunt. Primo igitur illa corpora sese obijciunt, quæ operantur, non a se, sed per se, ac in se.

Hæc quatenus per se mouentur, ac sibimet aditum præbent, (vt ex iam constitutis patet) spherica ex necessitate sunt, ac spherico mouentur motu. Itaque, quamuis illorum motus, ac quies deficient a simplicitate primi motus, primæq. quietis: vere tamen simplicia erunt. nam ex vnico substantiali gradu similiter constituentur, neque vllum admittent contrarium: spherica enim figura, & sphericus motus contrario carent. Eadem vere etiam perfecta erunt: neque enim imperfectum aliquod proprium opus aut perficere, aut per se, ac in se exercere potest.

Quod vero ad horum corporum multitudinem, ac differentias attinet, nihil ex diuidendi methodo afferri posse videtur.

Quapropter enumeratione inquirenda erunt, huiusmodiq. enumeratio ex Astrologorum experientia, omne robur accipiet: cui

etiam insistendum erit, quantum ad singulorum Cælorum distinctiones, polos, ac cursus, qui omnes opponuntur cursui primi Cæli. patet tamen, hanc oppositionem nihil inimicum denotare, sed ipsallentium potius, seu amicorum sibi inuicem obuiantium, sequenti inuicem amplexantium concursus referre. Ipsi vero inferiores Cæli ita tum primo Cælo, tum inter se cohærent, ut inter spheram, & spheram nullum interuallum detur. hoc enim admissio, sequeretur, dari extensionem absque substantiali virtute, seu aliquam substantialem virtutem corpoream motu carere, atque inutilem esse.

Quoniam autem in Cælorum numero discernendo Astrologi inter se discrepant, liberum nobis erit, illorum amplexari sententiam, qui decem spheras constituunt, tamquam summe consonam his, quæ hactenus speculati sumus: corporea enim, nobilioraq. præsertim, abstractorum imaginem fortasse referunt. Quamobrem, si ordines abstractorum intelligibilium, quæ a Deo sunt, recte ad novarium numerum deducuntur, hisq. Deus Opt. Max. omnium auctor, præest, ac denarium complet, corporibus cælestibus idem numerus satis probabiliter aptari poterit.

Itaque primum Cælum, prout licet corpori corpora respicienti, obijciat imaginem Dei Opt. Max. similiq. proportione, ceterorum Cælorum vnumquodque referri poterit ad vnumquemque abstractorum intelligibilium ordinem. Siquis autem ijs etiam acceptis, quæ ab eisdem Astrologis circa singulos Cælos animaduertuntur, seruata dignitatis serie, comparauerit, singulas spheras singulis intellectuum abstractorum ordinibus, nonnulla fortasse intuebitur, quæ non parum admirationis, ac venerationis afferre possunt. Sicut enim beatitudinum intellectus, qui diuinæ bonitatis consummatam extensionem conspiciunt, amoris vehementioris vi correpti, Deo, ut rationi consonum est, ita adhærent, atque inhærent, ut vix proprii intellectualis actus conatum aliquem emittere possint: Simili ratione, nona spheræ primæ spheræ proxima, ita illius velocissimis motionibus insitit, ut in proprii motus actu reddatur tardissima, ac pene immobilis. dicunt enim hanc, triginta sex millium annorum spatio proprium motum perficere.

Præterea, sicuti amoris vis, qua huiusmodi intellectus inflammantur, ex effectibus potius, quam ex proprio intelligibili attingi potest: ita ipsius nonæ spheræ natura, ac veritas, attingitur non ex aliquo lumine, sed ex solo motu.

Rursum,

Rursum, quemadmodum intellectus reuelationum intuentur lucidissime, atque aptissime innumerabilia Dei arcana, Ideoq. ex propriarum virium debilitate, ipsius autem diuini intelligibilis luce inenarrabili, pauitatione, ac quadam intellectuali trepidatione (ut recte coniectare licet) corripuntur, ita etiam octaua spheræ, quæ firmamentum dicitur, quæque huic intellectuum abstractorum ordini proportione respondet, stellis innumerabilibus vndequaque fulget, & trepidationis motum exercet, qui eandem internam trepidationem (prout illius naturæ conuenit,) manifeste refert. Hæc vero non est vndequaque lucida, sed obscuriora etiam continet: nam neque diuina lux eo pacto ab his spiritibus attingitur, ut ipsi diuino Enti est conspicua.

Id tamen ex eo etiam euenire credendum est, quoniam, si lux per totum hoc corpus æquabiliter diffunderetur, ceterorum omnium luminum, atque etiam motuum sensum auferret. Inter septem Planetarum spheras, quæ ab octaua certo ordine continentur, ac septem inferiores intellectuum abstractorum ordines, si singulæ singulis comparentur, eandem proportionem contemplabimur.

Saturnus enim diuinorum fulcimentorum intellectibus respondere videtur; Iuppiter his, qui bonorum diuinorum elargitiones speculantur; Mars ijs, qui diuinas illuminationes, Sol ijs, qui diuinas consummationes præferunt; at Venus diuinorum bonorum oblationibus respondebit, ex quibus diuinus præcipue prouocatur amor: Mercurius diuinis excitationibus: postremo Luna, quæ ad generationem maxime confert, diuinarum creationum mentes incitabitur. Sicut autem variæ abstractorum contractiones, illorum numerum quammaxime adaugent, ita etiam Cælorum vires ex multiplicibus singulorum constitutionibus, astrorumq. distantijs, ac relationibus, immutari, atque adaugeri compertum est.

Planetarum vero spheris omnibus conuenit Astris insigniri, ita tamen, ut vnicuique vnicum astrum insit.

Illis etiam commune est, in proprijs circumuolutionibus perficiendis, octauæ, & nonæ spheræ uelocitatem longe excellere, idque eo magis, quo magis ab his spheris recedunt. Quare ipsius Lunæ circumuolutio velocissime completur.

Ex his autem fortasse eadem proportio demonstratur ad ordines intellectuum abstractorum. ex eo enim, quod stellas habent, illis intelligentijs proportione respondent, quæ respectu amoris a præstantioribus

tioribus deficiunt: Ex eo, quod singulæ singulam stellam habent, illos intellectus referre videntur, qui a reuelationum intellectibus longe recedunt: Ex eo, quod velocius proprias circumuolutiones complent, atque eisdem (prout illarum patiuntur vires) fortius incumbunt, videntur respondere illis ordinibus abstractorum, quæ eum longius a Deo distent, proprios conatus pro distantiarum ratione magis intendunt.

At hæc, vti Deo Opt. placet, ita & dicantur, & sint.

*De primi Cæli, cælorumq. inferiorum veritate, ac bonitate.*

*Cap. III.*

**R**A T I O, qua tam primo, quam inferioribus corporibus cælestibus, communissimæ Entium omnium proprietates aptandæ sunt, ex his, quæ hæctenus speculati sumus, facile concipi potest. quod enim ad illorum veritatem attinet, manifestum est, neque primi Cæli, neque cælorum inferiorum obiectiuam veritatem essentialiter intelligibilem esse, sed sensibilem tantum. Et primum quidem Cælum, atque Cælum illi proximum, sensibilia sunt, non primo, sed accedentibus luminibus inferiorum Cælorum: cetera vero omnia ex proprio astro sensum attingunt.

Sicuti igitur primi, ac secundi cæli sensibilis veritas, sentientium plurimos subterfugere solet, ita inferiorum cælorum obiectiuam veritas ex propria vi sensum videndi attinget, neque visum diligentius exercentes latere potest. Comprehensiuam vero eorundem veritas nulla omnino erit: intelligendi siquidem, & sentiendi virtute carent. intelligendi, quoniam illorum unumquodque ex plurium virtutum copulatione constituitur. sentiendi, quoniam simplicia sunt.

Sentiendi autem virtus (vt suo loco demonstrabitur) requirit mixtionem, mixtorum compositionem, certaq. præterea organa.

Quod autem ad eorundem bonitatem pertinet, asserendum erit, ea nullius boni seu intelligibilis, seu sensibilis fruitionem expetere, vel adipisci. sed neque opposita mala, aut incommoda admittere possunt. nam corpori simplicissimo, quod omni cognoscendi virtute caret, horum unumquodque repugnat. Euenit ob id, ut horum corporum vis neque proprii boni consummationem, neque

proprij

proprij

proprij mali declinationem prosequatur, sed dirigatur ad aliorum bonum, præstantiori quadam virtute moderante, Deo scilicet Opt. Max. recteq. instrumenti bonitatem complectetur, non quidem interni, atque Deo videnti essentialiter coniuncti, (horum enim unum quodque his aduersatur, quæ circa præstantissimum Dei Esse, demonstrata sunt) sed externi, atque essentialiter disiuncti. Neque tamen ob id asserendum erit, corpora cælestia a Deo, & ab abstractis intellectibus ea ratione moueri, vt ipsa mobilis tantummodo partes retineant: huic enim ea aduersantur, quibus comprobatum est, corpus vnumquodque ex propriæ substantiæ virtute motum parere posse, & ex propria extensione eundem recipere, ac sustinere.

Præterea, si corpora cælestia, quæ perfectissima sunt, & a quibus cetera pendent, mouendi virtute destituuntur, nullum dabitur corpus, quod mouere possit. nam effectus causæ perfectionem non excedit, quod non tantum rationi, sed sensui etiam aduersatur. Ea etiam, quæ circa abstractorum naturam enarrata sunt, eandem sententiam destruunt. nam, si abstractis conuenit, proprium munus per se, & in se exercere, illis opposita operandi ratio aptari non potest. Patet autem, his motum aptari, quæ neque per se, neque in se operantur.

Quamuis autem cælestia corpora, & propriæ substantiæ virtute motui insistant, diuini tamen instrumenti munia decentissime sustinent: a Deo namq. ita constituta sunt, vt diuinæ voluntati, ex interna virtute ministrent, simulq. diuinam virtutem, illis iniectam, effundant. id siquidem humanis etiam instrumentis eueniret, si talia ab homine formari possent, vt absque vlllo contactu humanam artem conciperent, ac exercerent. At instrumentalis cælorum bonitas eo præstantior erit, quo ipsa cælestia corpora sunt perfectiora, & quo præstantiori artifici deseruiunt.

Diriguntur autem non ad Dei bonum, nam illius bonitas est omnino independens; non ad bonum abstractorum, quæ nullius corporis bono egent; sed humanarum mentium, quæ corporeis adiumentis indigent, quibusq. corpora omnia (vt ex superioribus patet) ministrant. Sicuti autem Deus præstantissima hæc instrumenta solus, ac libere ex diuino consilio produxit, ita solus eorundem vim concipere, & ad vsum deducere potest. Nemo ergo mirari debet, homines neque stellarum multitudinem numerare, neque cur diuersæ, ac ita dispositæ sint, rationem asserre posse. nam, quæ ex diuina

na.

na voluntate, diuinoq. consilio perficiuntur, ab humana mente absque reuelatione cognosci non possunt.

*De calorum existentia, ac duratione.*

*Cap. IIII.*



**S**icuti primum cælum ceteris omnibus corporibus præest, ita illius quies omnibus quiescendi rationibus, & illius motus omnibus motibus præerit. Itaque ex illius quiete, quæ uere absoluta est, omnis corporum commensuratio, & loci ratio omnis deducenda erit; & ex illius motu, qui omnino est liber, uelocissimus, ac omnino uniformis, omnium motuum commensuratio, & omnis temporis ratio effluet, recteq. ob id fanciendum est, hoc primum corpus, quod uere sibi innititur, ea ratione existere, ut ex propria extensione sibi sit locus, & ceteris omnibus extensionibus, existendi, & loci rationem impartiat.

Et hæc quidem ex Geographorum peritia, ac diligentia facile confirmari possunt. hi enim, dum locorum differentias docere intendunt, nihil aliud definiunt, quam gradus quosdam, tamquam immobiles conceptos, longitudinis, ac latitudinis, ex primo corpore, primaq. extensione deductos. & recte admodum. nam, si Locus nihil aliud est, quam corporum extensio, quatenus ex relatione ad aliquod immobile mensurari potest, certus locus nihil aliud erit, quam certa, ac immutabilis commensurabilitas respectu primi existentis, prout immutabilis est, seu ut talis concipitur.

Quamuis autem Cælorum inferiorum unusquisque, primi cæli existentiam imiteretur, ex eo tamen ab illo deficiunt, quoniam illorum existentia terminatur a primo cælo, seu immediate, seu mediatè.

Quæ circa eiusdem primi corporis, ac ceterorum cælorum durationem exquirenda essent, recte demonstrari possunt ex his, quæ superius constituta sunt. quod enim ad illorum exordium spectat, nouimus, nullum Ens præter primum initio carere. Patet etiam, cælestia corpora incepisse non per motum, qui ab illis oritur, sed per creationem. nam, quæ complectuntur unicum gradum substantiæ, ex sola creatione oriri possunt. quod longe euentius est in his, a quibus primus motus oritur.

Quamuis autem cælestia corpora neque internæ, neque externæ  
 opposi-

oppositioni subijciantur, vereq. incorruptibilia sint, illorum tamen perseuerantia in fluxu consistit, & mensuratur tempore.

Itaque asserendum videtur, illorum usum terminum aliquem recepturum: illorum siquidem, quæ per motum operantur, ac tempore mensurantur, fructus ex successione perficitur, neque vlla illius pars, disiunctim accepta, perfecta censerit potest. ea enim, quæ perfecta sunt, vere consummata sunt, neque ex noua accessione ad consummationem tendunt.

Quapropter, sicuti hæc, finis munia sustinent, ita ea, quæ successiua sunt, quibusq. accessus, & recessus essentialiter copulantur, non vltimi finis, sed medij, vltimo fini deseruentis, partes assumunt. Cum igitur mediorum, fini deseruentium, bonitas ex finis bonitate sit consummanda, manifestum est, cælestium corporum fructum ex cælestium agitationum sine consummandum esse: hac enim non admissa, vane omnino id exquireretur, quod numquam acquiritur.

Neque vero ad id declinare licet, ut dicatur, bonitatem, quam cælorum effundit virtus, in vnoquoque tempore ea ratione perfectam esse, qua totius perfecti perfectæ partes, perfectionis vocem, ac uim admittunt. nam, quæ ita perfecta sunt, non recedunt, sed permanent.

Præterea, si totius successione consummatio non datur, sed corporum cælestium motus in infinitum extenditur, neque totius, (quod numquam erit) neque partium, quæ ex suo toto perfectionem adipiscuntur, bonitas admitti poterit, idque eo minus, quoniam infiniti partes non dantur. dato enim infinitum partes habere, illud simul & finitum, & infinitum appellari poterit. Nouimus etiam, corpora cælestia continere bonitatem, quæ aptari potest instrumento non intrinseco, sed omnino extrinseco. Asserens igitur, horum instrumentorum usum numquam defuturum, simul & instrumenti naturam destruet, & defectum aliquem in artifice farebitur, quasi opus suum perficere vel non possit, vel nolit, vel nesciat. Ea etiam corruent, quæ superius circa tempus constituta sunt: daretur enim tempus, quod simul & futurum esset, & non futurum, quod haud secus repugnat, quam tempus præteritum, & infinitum esse, & re ipsa præteritum. Quamuis autem, dum corpora cælestia mouentur, simul etiam quiescant, & primi cæli motus sit omnino simplex, & vniformis, non tamen inferre licet, cælorum fructum semper eundem esse. nam cælestium luminum, ex qui-

bus vniuersi moderatio oritur, nulla est quies. Eadem etiam ob indefinentes cælestium motuum agitationes, novos semper intuitus exercent, neque, (si Astrologorum rationibus acquiescendum est) eosdem vniquam repetere possunt.

Hoc vero videtur, longe firmiora reddere ea, quæ de instrumentali cælorum bonitate iam dicta sunt. decebat siquidem, huius instrumenti perfectionem talem esse, vt liberum omnino sui ipsius vsum summo artifice exhiberet, sicuti eiusdem artificis summa perfectio, eadem numero sæpius repeti non permittit.

Quapropter, licet omnia producta, & omnia producenda necessario sint vnum specie, idem tamen numero, eademq. ratione repeti impossibile est. vt nonnulli Antiquiores asseruere, constituentes magnum Annum triginta sex milia annorum complectentē. Quam sententiam absque summa Creatoris iniuria nemo sustinere potest. nam tam eadem sæpius repetere, quam opus proprium numquam consummare, agentis imperfectionem conuincunt.

Rationes vero his oppositæ, acceptæ a temporis natura, cui terminus omnis repugnat, & a spherica cælorum figura, quæ principio, ac fine carere videtur, non tantum infirmæ sunt, sed etiam omnino nullæ. nam superius visum est, tempori quidem, vt est tempus, terminum non aptari, quoniam sumitur a motu, quatenus perseverat; sed idem tempus, vt re ipsa a motu non differt, atque motui innititur, vere destrui posse. Neque huic veritati obsistit humana conceptionis infirmitas, quæ non facile attingit illud ante, quod tempus omne præcedit, seu illud post, quod temporis consummationem refert. nam idem experimur in conceptu illius, supra, quod cælos omnes transcendit: & in conceptu æternitatis, cui omnia nobis præterita, ac futura præsentia sunt, ac indiuisibiliter collecta, nec non multa alia, quorum vnumquodque firmissima ratione conuincitur.

Quod uero attinet ad sphericam figuram, manifestum est, in ea ubiq. initium, ac finem signari posse. Itaque certo quidem principio, ac fine caret, sed absolute, neque principio, neque fine caret. Et hoc quidem satis euidens est ex circumuolutionum repetitionibus, quæ nullo modo admitti possent, si spheræ absolute principium, ac finem refugeret.

Difficultas igitur uere circa numerum uersatur: quæritur enim, an dari possint infinitæ circumuolutiones seu respectu præteriti, seu respectu

respectu futuri, seu respectu utriusque: quorum unumquodque ex proprijs definitum est.

*De reliquis communioribus proprietatibus cælorum.*

*Cap. V.*



Is circa cælorum existentiam, ac durationem sic constitutis, ni fallimur, quam tutissime deducuntur ea, quæ de illorum unitate, perfectione, pulchritudine, interno ordine, ac relationibus tum internis, tum externis, exquirenda essent. posito enim, hæc corpora cognitione carere, primi, præcipuiq. instrumenti bonitate prædita esse, eadem respectu totius esse immobilia, respectu partium indefinenter moueri, omni interna, externaque contrarietate carere: facile colligere licet, cælos ipsos ex propriæ unitatis ui omnia, quæ ad instrumenti perfectissimi naturam pertinent, non quidem indiuisibiliter, sed indissolubiliter continere: ex perfectione ad proprium munus exercendum, Deiq. uirtutem tum recipiendam, tum effundendam, quam optime dispositos esse: ex pulchritudine summam ad eadem exercenda propensionem, atque ad proprium actum proportionem externe etiam obijcere posse: ex interno ordine sibi unde quaque consonos esse: Ideoq. prout non cognoscentibus conuenire potest, imaginem quandam referre eorum, quæ cognoscunt, ac in proprio Esse, excitatione, perfectione, bono, boniq. fruitione conuiescunt. Ex his uero sequitur, eadem cælestia corpora aptissima esse ad cæterorum corporum, prout vniuscuiusque naturæ conuenit, constitutionem, directionem, ac dispositionem consummandam.

*De corporeis naturis, quæ neque a se, neque per se, sed in se mouentur; seu de Generabilibus, ac Corruptibilibus in communi.*

*Cap.*

*VI.*



Ost speculationem primi Mobilis, quod operatur a se, per se, & in se, nec non cælorum inferiorum, qui per se, & in se mouentur: ad illa deueniendum est, quæ in se tantum operantur, non autem a se, nec per se. Horum vnumquodque, quatenus in se operatur, prout proprio ordini conuenit, perfectum erit, motum aliquem pariet, ac

*Ec ij sensum.*

sensum aliqua ratione excitare poterit: Quatenus autem non operatur per se, dum mouetur, per aliud corpus transibit. Huius igitur ordinis plura corpora admittenda sunt. nam, si vnicum esset, necessario moueretur vel per caelestia corpora, vel per vacuum extensionem, vel per se, non quidem, vt corpora caelestia, quorum vnaquæque pars mouetur, sed quoniam pars quiescens, parti motæ aditum præbeat.

Horum autem nullum admittendum est: nouimus enim caelorum figuram dirumpi non posse, & vacuum extensionem ex communi rerum dispositione non dari.

Patet etiam, admissio, hoc corpus vnicum esse, necessario illud esse simplex, ac omnino vniforme. Nulla igitur ratio adduci poterit, cur partium aliqua diuersimode uel ab alijs partibus, vel ab ipso toto motum exercent.

At, si plura sint huius ordinis corpora, cum illorum vnicuique sit proprium, se per aliud corpus mouere, eisdem proprium erit, corpori alteri se mouenti aditum præbere posse. Eorum etiam aliqua ex necessitate erunt simplicia, quæ plura erunt: quemadmodum enim nullo existente simplici, nulla sunt composita, cum composita ex simplicibus constituantur; ita dato, corpus simplex vnicum esse cogimur reiectam amplecti sententiam, vnicum scilicet esse huius ordinis corpus: nam ex vnico simplici, composita oriri impossibile est. His autem sic constitutis, sequitur, horum corporum vnumquodq. non tantum pronum esse ad mouendum se, sed etiam ad quiescendum post proprii motus consummationem: simplicium siquidem motus, necessario simplex erit, & rectus. nam, cum præter circularem, & rectam lineam simplex linea non detur, præter circularem, ac rectum simplex motus dari non potest. quoniam motus circularis caelestibus corporibus conuenit.

Hæc igitur, quatenus sint simplicia, mouentur motu recto. constat autem, lineam rectam, & motum rectum, in his præsertim, quæ a caelorum sphaeris comprehenduntur, in infinitum extendi non posse, sed necessario terminari ex vna parte a caelorum circumferentia, ex altera vero a caelorum centro. Itaque, siue a centro ad circumferentiam tendant, siue e contra a circumferentia ad centrum, licet tota hæc linea illis percurrenda esset, post motus consummationem ex necessitate conuiescent. neque enim dicendum est, motus hos indeficienter repeti. nam tales motus cum ab opposito ad

oppo-

oppositum tendant, vere oppositi sunt, neque eidem mouenti simplici conuenire possunt.

Hinc colligitur, horum corporum vnumquodque vere passibile, atque etiam corruptibile, ac generabile esse. sicuti enim ea, quæ in motu, proprio bono fruuntur, semper mouentur, ita ea, quæ non semper mouentur, in motu proprio bono non fruuntur, sed ab illo distant, Ideoq. per motum ad illud tendunt, vt eodem post motum, & in quiete fruantur. At hoc nihil aliud est, quam passibile esse, si mulq. corruptibile: nam passibilia omnia corruptibilia sunt: talis siquidem passio oritur a contrario positiuo. contraria vero positua se inuicem expellunt, ac corrumpunt.

Idem demonstrari potest ex motuum oppositione, nec non ex his, quæ circa caelestia corpora dicta fuere. ea enim quæ ad oppositos motus essentialiter prona sunt, sibi inuicem essentialiter aduersantur, & caelestium corporum instrumentalis vis dum circa inferiora versatur, illa intuetur, tamquam materiam. Materiam vero conuenit, mutationi, destructioni, ac nouæ constructioni subijci. Ex his deducitur, talia corpora ita simplicia esse, vt ex vnico gradu substantiali non consistant: ea enim, quæ ad inuicem opponuntur, necessario conueniunt in genere.

Itaque illorum unumquodque ex generico, & ex specifico gradu constituetur. Et hi quidem gradus plures erunt, seu pauciores, prout hæc corpora erunt, seu simplicia, seu pluribus, paucioribusq. rationibus composita. Sicuti autem caelestia corpora, quæ in se quidem exercentur, sed non ad propriam felicitatem, vt abstracta, intelligibilia, ab abstractorum intelligibilium perfectione deficiunt: ita hæc corruptibilia a caelorum dignitate recedunt: Cæli enim cum sint immunes ab omni labe corruptionis, ad aliorum diriguntur bonum. corruptibilia vero ob propriam conseruationem videntur moueri: Naturæ siquidem ordo exposcit, vt ea, quæ interne imperfecta sunt, propriæ imperfectioni vtcumque mederi conentur.

Quotnam autem sint horum corporum species, quidue illarum vnicuique conueniat, nobis in præsentia speculari non licet: in logicis enim sancitum est, ea, quæ in reali gradu communiori conueniant, vniuoca esse, propriamq. diuidendi rationem exquirere, ex qua scientiæ distinctio oritur. Hæc igitur alteri scientiæ demandanda sunt, naturali scilicet philosophiæ, cuius etiam partes erunt,

erunt, communiorum proprietatum, vt singulis aptantur, doctrinam afferre.

*De præcipuo influxuum ordine, qui corpora attingit, simulq. de Natura communi, & de illius insufficientia respectu eorum, quæ semper generantur ex propagatione.*  
Cap. VII.

**A** vero prosequentes, quæ nostræ huic contemplationi sunt propria, ad ea corporea deducemur, quæ per se, & non in se, operantur. Hæc, vt coniectare licet ex his, quæ circa simplices virtutes simili differentia constitutas enarrauimus, nihil aliud sunt, quam iniectiones, seu impressiones, seu influxus virtutum, tam simplicium, ac intelligibilium, quam non simplicium, ac corporalium corporeas naturas attingentes.

Ideo autem simplicium etiam, ac intelligibilium abstractorum iniectiones, seu impressiones, seu influxus, quatenus corporibus, seu corporeis infiguntur, corpoream naturam aliqua ratione recipiunt, quoniam receptum omne secundum recipientis naturam ex necessitate recipitur, Ideoque, sicuti id, quod in se est indiuisibile, indiuisibiliter recipit, licet diuisibile aliquod recipiat; ita illa, quæ in se diuisibilia, & extensa sunt, diuisibiliter, & extense semper recipiunt, licet indiuisibile aliquod recipiant. Hæc tamen ea ratione admittenda sunt, vt nos non lateat, non rerum esse, sed effendi modos tantummodo immutari. neque enim indiuisibile dum a diuisibili recipitur, indiuisibilem naturam reijcit, sed manens indiuisibile, modum diuisibilis exercet: simulq. ratione diuisibile ab indiuisibili receptum, manens diuisibile, ad indiuisibilis modum deducitur.

Siquis autem his assentiri detrectet, hic fateri cogetur, vel nullam intelligibilium ad corporea, ac corporeorum ad intelligibilia relationem actu exerceri posse, vel illorum vnumquodque simul & diuisibile, & indiuisibile esse: quorum primum, rerum ordinem dirumpit, secundum contradictoria simul affirmat.

Sciendum tamen est, quam maxime inter se distare, ab alio recipi, & alicui præsentem esse. receptio enim ad virtutum copulationem, atque associationem vtrumque perducit, Ideoque recepti modum immutat: Præsentia vero si sola sit, nullam associationem, virtutum

tutumue copulationem parit, Ideoque neque rem, neque effendi modum immutat. Sed aggrediamur iam contemplationem harum iniectionum, seu influxuum, seu impressionum, prout exercentur circa corpora, atque ex receptione pendent. Primo vero statuendum est, illas esse præstantissimas, quibus Deus Opt. Max. atque abstracta intelligibilia Deo adhærentia, attingunt, exercentq. corpora cælestia, præcipue vero primum cælum. Hæc quatenus sic receptæ, vt nostra est sententia, Communis Naturæ vim constituunt: simplicem enim cælestium corporum virtutem ea ratione illustrant, roborant, atque adaugent, vt non tantum inferiora simpliciter mouere, & ad inferiora, propria lumina diffundere possint, verumetiam his commotionibus, ac irradiationibus pariant omnium generabilium consummationem, ac conseruationem, prout vniuscuiusque naturæ conuenit, idq. ratione ab illa non dissimili, qua instrumenta, (quorum fortasse vis solam incisionem intuetur) dum ex artificis virtute exercentur, non tantum incidunt, sed pulcherrimas etiam imagines formant. Hæc tamen cælestium corporum vis sufficere non potest ad generationem seu humani corporis, seu aliorum animalium, quæ ex sola propagatione non generantur. si enim sufficerent, earundem specierum indiuidua iam genita talem generationem non præcederent, seu certe non necessario, sed sola cælorum virtute, absque vllò eorundem concursu, hæc species oriri possent, haud secus, quam species imperfectiorum non viuentium, viuentium, & non sentientium, uiuentium, ac sentientium.

At, cum non oriantur, colligendum est, constitutionem harum perfectiorum specierum, humanæq. præsertim, ascribendam esse causæ ordinis præstantioris, Deo scilicet Opt. Max. neque enim alia ratione sufficiens illarum causa afferri potest. nam, si asseratur, cælestia corpora aliquando aliqua facere potuisse, quæ nunc non possunt, quærendum erit, quisnam hanc uirtutem adeo præstantem illis ademerit. Id certe Deo ascribendum non est. nam Dei suorum operum non pænitet, non abstractis intelligibilibus, quæ omni inuidia carent, neque Dei opera immutare possunt: non eisdem corporibus cælestibus, quæ proprium malum non intendunt, neque diuina dona abnuunt, seu repellunt, quæque omni eligendi virtute destituuntur: non inferioribus corporibus, ob easdem causas, atque etiam, quoniam illorum uis ad corpora cælestia non extenditur. Neque etiam ad id deueniendum est, vt dicatur, harum specierum



cierum præstantiorum prima exordia constituisse ex aliquo stellarum aspectu præterito: nam nullius constellationis vis ea efficere potest, quæ pertinent ad vniuersi perfectionem: sed sicuti partialis est, ita etiam partialiter immutare solet. Constat autem, harum specierum Esse pertinere ad bonum vniuersi: hominemque præcipue, qui ceterorum omnium censetur finis.

*De influxibus, qui a corporeis ad corporea fiunt, simulq. de impulsu locali, de alteratione, de generatione, de corruptione, & de augmentatione.*  
Cap. VIII.



**I**NFERIORA non tantum experiuntur efficientem corporum cælestium virtutem, quæ diuinam effundit vim, sed ipsa etiam proprias vires exercere, atque ita extendere solent, vt, communi Naturæ vi accedente, ad inuicem agant, & patiantur, ac multa alia præstare possint, quorum explicatio ab ipso naturali philosopho petenda est. In præsentia tamen silentio demandandum non est, inter has externas corporum impressiones motum in loco primo exerceri, huncque vt ad aliud extenditur corpus, per contactum fieri. impossibile quippe est, corpus corpus mouere, nisi ipsum attingat, vel certe aliud corpus, quod ipsum tangit. Illa vero seipsa tangere dicimus, quorum extrema sunt simul.

Post localem motum sequitur motus in passibili qualitate, cui conuenit Alterationis nomen. Hæc, quatenus pendet ab alterante, Actio dicenda est; quatenus ab alterato recipitur, Passio. Actionis tamen, ac passionis nomina alijs etiam productionibus, ac receptionibus aptari solent.

Post alterationem sequuntur Corruptio, & Generatio. Harum vnaquæque versatur circa formas substantiales, seu proprias, seu communes, quatenus repelli, seu infigi possunt. Itaque cælestium corporum virtuti diuini præcipue ascribendæ sunt, & in instanti fiunt. Ipsa igitur generatio vere nihil aliud est, quam transmutatio de non Esse ad Esse, nullo sensibili remanente, vt subiecto: illi siquidem tantummodo subijcitur virtus substantialis communior, quæ in seipsa insensibilis est, atque ad rei genitæ substantiale Esse, tamquam in consummatum ad consummatum deducenda est. Patet autem, nullam generationem absque aliqua corruptione exerceri.

ceri. nam corpus absque proprio gradu substantiali nõ datur, Ideoque inducto nouo substantiali gradu tamquam constituyente, priorem constitutionem amoueri necesse est. nam duo gradus substantiales eidem, tamquam illi proprijs, conuenire non possunt.

Præter dictas mutationes, datur etiam motus in quantitate. Hic generationem præcedit, & sequitur. Prior tamen imperfectus admodum est: oriri enim solet seu ex sola fermentatione, seu ex plurius collectione. Posterior vero est longe perfectior. nam rem eandem secundum omnem dimensionem adauget. Quapropter his tantummodo conuenit, quæ ex interna uirtute seipsa ad perfectiorem statum perducere possunt: externa siquidem attrahunt, eaq. non tantum ad suimet conseruationem immutant, sed simul ex eorundem accessu, seipsa ad decentiorem magnitudinem dirigunt. Horum Entium proprietates communissimæ ex naturali scientia deducendæ erunt. nam pro agentium, ac recipientium diuersitate, diuersæ sunt.

*De corporali natura, quæ neque per se, neque in se operatur: seu de prima, & omnium communissima Materia.*  
Cap. IX.



**V**LTIMA diuisionis nostræ differentia proponit illud corporeum, quod neque per se, neque in se, proprium exercet munus.

Hoc recipiendi uirtutem præditum tantum esse, ipsumque recipiendi actum, illi tamquam proprium munus conuenire, manifestum est: corpora quippe omnia, quibus agendi aptatur vis, licet moueant tantummodo, propriam agendi vim ad aliena non extendunt, nisi prius eandem in se recipiant, atque in se agant. Simul igitur prædita sunt substantiali uirtute, qua in se agere possint, & passibili qualitate, qua agant in externa.

Corporeum vero, de quo nunc est sermo, sicut in se non agit, ita neque in alia agere potest, sed recipiendi uirtute tantummodo præditum est. Itaque inter cetera corporea imperfectissimum obtinebit locum: omni siquidem perfectione destitutum erit: nam ea, quæ adsunt, non recipiuntur, & recipiens a recepti uirtute necessario est denudatum.

Constituetur igitur ex vnico gradu substantiali, ex ipsa scilicet recipiendi uirtute, quæ vnico substantiali gradui aptatur. Itaque, si

præter hunc alius gradus substantialis illi addatur, quærendum erit, an virtus, quæ posteriorem gradum constituit, actionem, vel passionem respiciat. si dicatur, eam esse virtutem agendi, hoc imperfectissimum corporeum proprios limites egredietur, atque ad superiores ordines deducendum erit.

Si vero est virtus recipiendi, cum idem a priori virtute præstetur, virtus superaddita inutilis omnino erit, quod Natura non patitur. Præterea impossibile est, horum graduum copulationem pendere ex eorundem graduum virtute. hoc enim admissio, fatendum esset, hos gradus agendi virtute præditos esse, quod reiecimus, seu virtute aliena, ac externa: sequeretur enim, eos ab inuicem disiungi posse. nam, quæ copulantur virtute alterius, ex sui natura dissolubilia sunt.

Assentiri etiam cogimur, quatenus hi gradus essentialiter copulentur, illorum alterum esse perfectibilem, alterum vero perficientem. ea nempe, quæ aliter associantur, ad rei constitutionem vere non pertinent. at, si vnus alterum perficit, patet, vtrumque eiusdem ordinis non esse, sed alterum recipiendi uirtutem continere. Hic igitur tantummodo huic imperfecto corporeo vere aptabitur. Hæc autem substantialiter recipiendi virtus necessario etiam extensa, seu quanta erit, ita tamen, vt sit omnino indeterminata, tum ratione figuræ, tum ratione densi, ac rari: si enim certa figura, vel certa seu raritas, seu densitas hanc essentialiter consequeretur, fatendum esset, eam sibi ipsi essentialiter impedimenta afferre, ac seipsa essentialiter destruere: patet siquidem, ea, quæ certa aliqua vel figura, vel raritate, densitateue essentialiter sunt prædita, aliam vel figuram, uel raritatem, densitatemue absque totius corruptione admittere non posse.

Præterea agendi uirtutem complecteretur. nam, quæ certam figuram, uel certam densitudinem, raritatemue continent, graua, uel leuia sunt, ac agendi uirtutem exercent. Et hæc quidem eandem uim habent respectu ceterarum qualitatum. quemadmodum enim assentiendum est, hanc imperfectissimam corporeitatem aliqua ui præditam esse, qua qualitates omnes recipere possit: ita admittendum non est, illam certa aliqua qualitate essentialiter affici. hac enim ei adiuncta, & agendi daretur uirtus, & ceterarum qualitatum receptio destrueretur: quorum utrumque huius corporeitatis naturam immutat, ac destruit. Horum autem omnium concursus, substan-

tialis

tialis uidelicet gradus, imperfectissimi receptionem tantummodo exercentis, quantitatis, ac qualitatis, cuiuscumque ordinis indeterminata, imperfectissimam quandam naturam constituet, cui primæ, ac communissimæ Materiæ nomen, ac munus aptatur. Hæc simpliciter, ac per se consistere non potest: communiora enim, ac omnino indeterminata, quæ ex certo reali gradu constituuntur, ac uniuocam conceptionem admittere solent, absque specierum subsistentia, reipsa non reperiuntur, licet seiunctim concipi possint: impossibile siquidem est, corpus aliquod actu reperi, quod ad certam aliquam, determinatamq. speciem non contrahatur; sicut etiam neque ulla extensio datur, quæ seu propria, seu aliena figura non terminetur, atque etiam ad certam aliquam uel densitatem, uel raritatem non deducatur.

Idem qualitati, ac ceteris omnibus conuenit: dato enim horum aliquod ex solo communiori gradu per se existere, illud simul & determinatum, & indeterminatum esse admittendum erit. Et hæc quidem his consona sunt, quæ circa corpora generabilia, ac corruptibilia superius innotuere. Itaque & illa ex his, & hæc ex illis demonstrari possunt: sicut enim materiam primam respicientes, facile intuemur, ea, quæ ex illius potentia educuntur, nihil aliud esse, quam corporum generabilium, ac corruptibilium formas, proprietates, & accidentia: sic ipsas corruptibilium formas attendentes, materiæ necessitatem conuincimus. Ea uero memoria repetentes, quæ de cælestium corporum natura enarrata sunt, assentiri cogimur, primam materiam, quam etiam generabilium, ac corruptibilium formarum recessum nominare licet, neque corporibus cælestibus subesse, neque illorum formas ulla ratione recipere posse: his enim admissis, sequeretur, cælestia corpora constare non ex unico substantiali gradu essentialiter perfecto, vt superius dictum est, sed saltem ex duobus, ex eo uidelicet, qui ceteris corporibus omnibus communis est: & ex altero, quo proprium vniuscuiusque cæli constituitur Esse. Hoc autem posito, fatendum esset, corporeum de ipsis non analogice, vt iam constitutum est, sed uniuoce prædicari, simulq. ipsa cælestia corpora generabilia, ac corruptibilia esse, quod manifestam falsitatem continet, cum præsertim inueniri non possit, seu in quod, seu a quo corrumpantur.

Generabilium uero, ac corruptibilium formæ, ac qualitates, dum primæ materiæ associantur, ea ratione associantur, vt substantialis

Ff ij materiæ

materiæ gradus, ac reliqua, quæ ipsum essentialiter concomitantur, potentiæ, ac perfectibilis partes sustineant: forma vero, ac qualitates specificæ, actus, ac perfectientis munia exercent. Quapropter id, quod ex horum copulatione oritur, est vere, ac essentialiter vnum, ea tamen ratione, vt materia dum certam aliquam formam recipit, non amittat propriam aptitudinem, ac propensionem ad alias omnes formas corruptibilium: hæc enim essentialiter illi aptatur, eidemq. nouarum formarum indelebilem appetitum imprimunt. Et hæc quidem in causa sunt, cælestium præsertim corporum virtutibus ad idem impellentibus, vt nulla corruptibilis forma ex communi Naturæ dispositione, materiæ indissolubiliter inesse possit.

Asserendum tamen existimamus, hunc materiæ primæ appetitum aliquando ad saturitatem deducendum esse, simulq. generationum, ac corruptionum cursum consummandum, corporumq. contrarietates ad concordiam reuocandas. cum enim corporea omnia homini deseruiant, hominum natura ad proprium bonum deducta, cetera etiam, prout vnicuique conuenit, ad optimum deducenda esse credendum est. Præterea rationi consonum non est, naturalem appetitum ad saturitatem non dirigi, sed in infinitum protendi, & naturalium discordiarum usum termino similiter carere, & ad pacem non perducere, præsertim cum a talibus assertionibus nos vehementissime reuocent ea, quæ de cælestium motuum consummatione nuper sancita sunt.

In his vero materie, ac formarum copulationibus ipsa materia vere efficitur, & vere recipit, diuersis tamen rationibus. nam, si totum, quod recipit, referatur ad totum, quod recipitur, dicendum est, materiam effici: id siquidem, quod imperfectum est, efficitur perfectum. Quod si idem totum perficiendum referatur, non ad totum recipiendum, sed ad substantialem formam, seu ad aliquod accidens, aptius dicetur, materiam recipere, quam effici, eademque, simili proportione seruata, euenient in dissolutionibus. Communissimæ primæ materiæ proprietates, cælorum proprietates imitari videntur, ita tamen, vt ea proportio retineatur, quæ subiecto conuenit, dum comparatur proprio efficienti.

De præcipuis Effendi modis, qui Entibus aptari possunt, eminenti scilicet ideali, virtuali, potenciali, ac formali. Cap. X.



ORPOREORVM species, quæ ex contracto, ac repetito primæ diuisionis vsu colligendæ erant, ita explicatæ sunt. Duo tamen præterea præstanda videntur, vt nostra hæc contemplatio recte consummari possit: varij nempe effendi modi, qui entibus aptari possunt, pro viribus explicandi sunt; & entium iam percursorum mutuæ relationes, mutuiq. concursus, prout huic contemplationi conuenit, perquirendi, atque enarrandi.

Effendi modi duorum ordinum videntur esse. Primus conuenit rebus, vt sunt in suis causis. Secundus eisdem aptatur, vt sunt in seipsis. Ad primum igitur ordinem pertinet ille Effendi modus, quo Entia omnia reperiuntur in Deo, vt est omnium fons. Hic vero haud secus inexpressibilis est, quam Deus ipse sit inexpressibilis; eminens tamen, atque idealis appellari solet: eminens, quoniam Entia, quatenus in Deo sunt, tamquam in causa, nihil aliud sunt, quam eadem diuina essentia, omnia supereminens: Idealis, quoniam singula entia diuinam naturam, tamquam omnium exemplar, vt-cumque referunt. Et hic quidem effendi modus Entibus omnibus conuenit, seu incorruptibilia, seu corruptibilia sunt. Huic adduntur virtualis, ac potencialis effendi modi. Hi autem generabilibus, ac corruptibilibus entibus tantummodo recte aptari possunt. his enim essentialiter conuenit, reperiri in materiæ potentia, & in cælorum virtute, diuinam vim effundentæ.

Iidem tamen effendi modi ad Entia incorruptibilia, atque ad eadem Entia corruptibilia, alia quadam ratione extendi videntur, prout scilicet horum entium vnumquodque ea seu producere, seu recipere potest, quæ per se operantur, sed non in se, influxus videlicet varios Entium tum intellectualium, tum sensibilibum. nam hi etiam, quatenus recipi possunt, in potentia quodammodo sunt: & quatenus suimet effusionem admittunt, virtualiter existunt in his, quæ tales effusiones exercent.

Effendi modi secundi ordinis, quos aptari diximus rebus, vt sunt in se, communi fortasse voce reales, seu formales appellari poterunt. Hi a superioribus distinguuntur, quoniam ex his ipsa entia certam, ac realem denominationem admittunt, quod ex nullo superiorum

euenire

euenire manifestum est: neque enim aqua in propria frigiditate constituta, calida dicenda est, licet caliditatem recipere possit. Caelum itidem calidum recte non appellatur, licet caliditatem inducat, eamque virtualiter contineat. Si quis enim ex virtuali, & potenciali essendi modis certam denominationem colligere velit, is eidem subiecto vtrumque oppositorum ascribet. nam potentia, quæ sumitur a genere, vtrumque oppositorum indistincte respicit, & calorum virtus vtrumque inducit.

Reales vero, ac formales essendi modi, tot ordinum erunt, quot sunt entium corruptibilium species, ac differentiarum.

*De formarum materialium, ex quibus oritur formalis essendi modus, causis, natura, ac differentijs; & de seminali essendi modo. Cap. XI.*



**Q**UONIAM vero circa virtuales, formales, ac potentiales rerum generabilium essendi modos, plura occurrunt, quæ non parum difficultatis continent, vt in his discutientis efficiamur paratiores, animaduertendum videtur, ea, quæ a Natura, & ab arte fiunt, opposita quodammodo ratione fieri. nam, dum aliquid a Natura fit, actus, vt est actus, præcipue efficienti, calorum videlicet virtuti, ascribendus est; & idem actus, prout certus, seu talis actus, materiæ debetur. In his, quæ arte fiunt, oppositum euenit. nam actus, vt est actus, obtinetur a subiecto: &, vt est talis actus, effluit ab artifice. Vtrumque exemplis clarius apparebit: patet siquidem, dum ignis naturaliter calefacit, caliditatem, vt ab igne efficiente emittitur, eandem, ac vt recipitur seu ab aqua, seu a ligno, seu a ferro, ob recipientium diuersitatem, diuersam reddi. Econtra, dum ab artifice aliquid formatur ex ligno, certa forma, prout est certa, artificii debetur: & vt est forma, debetur ligno; artifex siquidem, ligni aptitudinem ad plurimas formas suscipiendas, ad certam formam contrahit, cum tamen hæc forma, quæcumque illa sit, ideo actu fit, quoniam ipsum lignum actu est. At inquirendæ sunt causæ, cur hæc tam in naturalibus, quam in artificialibus ita se habeant. Id recte fiet, subiectorum, & agentium differentijs, prout conuenit, animaduersis.

Patet, artificialium subiecta carere omni interna propensione ad id recipiendum, ac fouendum, quod ab externa virtute inducendum

dum est: Rerum vero materialium materiæ inesse summam propensionem ad formam sibi congruam complectendam. Constat etiam in constitutionibus rerum artificialium, agendi vim pendere non ab arte, sed ab artifice: cuius signum est, quoniam, artifice in proprio actu non persistente, artis opus intermittitur, neque iam inducta virtutem aliquam continent ad cetera consummanda. In naturalibus econtra: ars ipsa, quæ etiam Natura est, artificis munia præstat. Itaque, sicuti opus inchoatum facile non intermittitur, ita ipsa ars, materiæ subiectæ aliqua ex parte iam infixæ, operis consummationi deseruit. ex quo etiam fit, ut Naturæ opera, quanto magis ad finem accedunt, tanto velocius ad illum properent. Hinc quamtutissime colligere licet, ex subiecto, ac forma artis aliquod vere, & essentialiter vnum oriri non posse. nam neque subiectum ad formam recipiendam reperitur propensum, neque agens, propriam agendi virtutem in subiectum inijcit: Ex Naturæ vero subiecto, & ex forma recepta constitui quoddam vere, & essentialiter vnum. nam materia ad formam propensa, illam amplexatur, & forma agentis vim continet: hæc enim vere nihil aliud est, quam communis Naturæ agens vis, ad certum aliquod contracta, certæ materiæ parti, quæ ad idem essentialiter est prona, interne adhærens. Sicuti igitur facile assentire licet, artificialium formas in subiectis quodammodo latitare, ac ab eisdem educi: ita id respectu rerum naturalium omnino abnuendum est: admixta enim formarum naturalium latitatione, illarum unitas essentialis amoueretur, fortasse etiam omnis illarum veritas: & idem ex educatione sequeretur: nam educatio absque aliqua latitatione non datur. Neque tamen asserendum est, formam ab agente, ea ratione induci, vt præexistat generationi. nam, vt ex dictis patet, id, quod præexistit, est ipsius Naturæ vis, quæ a materia sic contracta, quatenus perfecte infigatur, efficitur forma: quatenus vero infigatur ex parte, seu primam tantummodo vim inijciat, seminum uirtus dicenda erit. Tunc autem uirtualis, potentialis, ac formalis essendi modi mira quadam ratione associantur, & pariunt nouum quendam essendi modum, qui seminalis appellari poterit.

At silentio demandandum non est, formarum materialium vnquamque, dum varie, ac varijs materiæ partibus infigitur, in diuidua eiusdem speciei constituere, quæ ex solo numero, ac exercitijs quibusdam accidentibus ab inuicem distinguuntur: ipsas autem formas

formas materiales, si proprium illarum attendatur Esse, ab inuicem distingui non numero, sed vt numeri ab inuicem distingui solent. Nam, vt in logicis diximus, Vniuocorum differentia, ex quarum vnaquaque certæ quædam corruptibilium formæ constituuntur, quæ vel in priorum locum succedunt, vel prioribus imperfectioribus superadduntur, haud secus, quam numeris euenit, dum vnitas superadditur.

Ipsarum vero formarum gradus in infinitum non extenduntur, sed eousque, donec summum sui ordinis perfectioris apicem attingant. Illarum igitur distinctio omnis ex perfectionis, ac dignitatis gradibus multiplicibus deducenda erit. quibusdam siquidem conuenit, materiæ magis infigi, communisq. Naturæ virtutem obscure referre. Quædam autem a materiæ nexu sunt liberiores, ac eandem communis Naturæ virtutem & vberius amplexantur, & splendidius continent.

Hinc euenit, vt corruptibilium quibusdam corruptio primo appetitur, quibusdam non corruptio, sed dissolutio; quibusdam non dissolutio, sed mors; quibusdam eadem mors non essentialiter, sed consequenter potius, ac quodammodo accidentaliter videatur appeti. Huiusmodi apparent sentiendi virtutes: hæc siquidem ex vegetantis virtutis, cui adhærent, morte extinguuntur, non autem, quatenus sensitiva sunt. Quapropter existimare quis posset, harum aliquas, quibus intellectualis virtutis copulatio essentialiter conuenit, ex copulatione illius, quæ essentialiter est immortalis, ad immortalitatem transferri,

*De dignitate formarum materialium, ac de rationibus, quibus principij, causa, ac Naturæ voces aptentur his formis, illarumq. materijs, Naturæ communi, ac primæ materiæ. Cap. XII.*

**R**EPENDENTES, quæ circa Entium materialium formas enarrata sunt, assentiri cogimur, illarum vim diuinam potius, quam cælestem censendam esse: Natura siquidem communis, ex cuius contractione constituuntur, diuina potius dicenda est, quam cælestis, quamuis affigatur cælestibus corporibus, quæ instrumenti exercent partes, quæque ex propria priorum motuum, luminumq. virtute, ea fortasse præstare possunt, ex quibus oriuntur primæ materiæ dispositi-

dispositiones, ac præparationes: perspicuum est enim, eadem ratione materialium formas substantiales referri ad materiales dispositiones, qua communis Naturæ diuina virtus refertur ad corpora cælestia. Ideoque asserendum videtur, formas ipsas communi Naturæ, materiæ vero dispositiones Cælorum virtuti ascribendas esse. Ipsæ autem formæ materiales, certæ alicui materiæ infixæ, necnon vnaquæque materiæ pars, certa aliqua forma illustrata, principij, causæ, ac Naturæ voces sustinere vtcumque poterunt. nam, quæ agendi, ac patiendi vim afferunt, non externe, sed interne, non accidentaliter, sed essentialiter, ita principia, & causæ sunt, vt simul pertineant ad naturam illius, quod operatur, seu patitur. Patet autem, tales formas, quatenus certæ adhærent materiæ, & tales materias, quatenus certæ formæ subijciuntur, afferre vim, ac aptitudinem actionum, ac passionum omnium, quæ rei constitutæ, ac ipsi composito essentialiter conuenire possunt, quamuis actus formæ, passionis vero materiæ priori quadam ratione ascribendæ sint. Animaduertendum tamen est, has voces generabilium formis, ac materiæbus ita aptari, vt referantur tantummodo ad singulorum generabilium ordines, prout singulis conueniunt: communis siquidem principij, causæ, ac Naturæ communis partes, diuina vis, corporibus cælestibus infixæ, & ipsa materia prima, decentissime sustinent. nam singula indistincte respiciunt, nullaq. ratione subijciuntur generationi, corruptioniue, sed eadem semper manent, non quidem specie tantum, quod corruptibilibus quoque effectibus conuenit, sed etiam numero, quod primis corruptibilium causis propriissimum est, sicuti etiam eisdem tantummodo datum est, alterius principij, quod ad eundem ordinem pertineat, vi non fulciri. Generabilium autem formæ, ac materiæ omnia non respiciunt, sed singulæ singulis aptantur, non semper manent; (generantur enim, & corrumpuntur ex generatione, ac corruptione compositi, quod constituunt, licet non primo, sed consequenter,) neque statum eisdem generabilibus, ac corruptibilibus firmiorem admittunt.

Itaque principij quidem, & causæ, necnon naturæ voce proferri poterunt, sed ea ratione, vt non ignoretur, hæc principiorum, ac causarum, simulq. Naturæ contractioris munia tantummodo sustinere. Ipsa vero Natura communis, cælestibus corporibus impressa, ideo principij, & causæ voces admittit, quoniam, eorundem cælorum motibus, ac luminibus ministrantibus, ita diffunditur, ac exer-

ctetur, vt simul efficiens, formalis, ac finalis causæ vires exercent. efficiens enim dicenda est, quatenus materiam exagitat, & eidem præest. formalis, quatenus ad vniuscuiusque constitutionem contrahibilis est. finalis, quatenus, vt sic vndequaque contracta, commune generabilium bonum inducit, ac fouet. Hinc factum est, vt generabilia, & corruptibilia indefinenter quidem elabantur, ac fluant, sed respectu specifici gradus inuariabiliter perseuerent, inuariabilemque intuitum, ac certitudinis rationem obijcere possint, recteque ob id scientificæ demonstrationi, ac perceptioni subijciantur.

*De mutuis intelligibilium, ac corporeorum relationibus, atque amplexibus.* Cap. XIII.



ERCURSIS effendi modis, mutux Entium relationes, mutuique amplexus explicandi sunt.

Hi ad duos similiter ordines deduci videntur. Primus ordo ex his oritur, quæ a Deo Opt. Max. exerceri solent circa abstracta intelligibilia immediate, seu mediate, quæque spirituales relationes constituunt. Secundus vero constat ex his, quæ ab eodem Deo infiguntur corporibus immediate, seu mediate, continetque naturales relationes.

Hi duo relationum ordines ab eodem fonte scaturientes, omnium entium copulationes, amplexus, ac fruitions consummare videntur, simulque imaginem obijcere cuiusdam circularis motus, ascensum, ac descensum multipliciter repetentis: ex priori siquidem ordine, Deus Opt. Max. qui sibi est omni potentia, sibi veritatis lux, sibi bonum, sibi firmitas, sibi æternitas, sibi vnio, sibi absolutio, sibi pulchritudo, sibi pax, intellectus omnes attingens, omnia concutit, atque aduersantibus omnibus quibuscumque reiectis, eos, quos sibi propensos conspicit, summa tum sapientia, tum beatitudine replet, simulque tum sibi, tum ad inuicem ea ratione cohærentes reddit, vt singuli, sicut clarissimis diuinæ veritatis radijs fulgent, diuinumque amorem auidissime deglutiunt, ita voces consonantiarum omnium concentus complectentes, in Dei Opt. Max. quem summa cum gratiarum actione uenerantur, ac colunt, laudem effundant, eumque prædicent potentissimum, rerum omnium creatorem, conseruatorem, ac consummatorem, sapientissimum earundem excitatorem, illuminatorem, ac diuinorum arcanorum magistrum,

magistrum, ac reuelatorem, optimum bonorum diuinorum oblatorem, elargitorem, ac beatificatorem, eademque sibi inuicem magna cum exultatione enarrent, atque etiam pro tot, tantisque bonis a Deo acceptis, sibi inuicem congratulentur, neque interim circa hominum cœtum omnem, ac hominum vnumquemque seu inuigilare desistant, seu aliquid prætermisum velint, quod ad illorum perditionem vitandam, gloriamque adipiscendam attineat.

Et ex his quidem hominum pietatem omnem, necnon sapientiam, scientiam, facultates, atque artes omnes, quæ seu circa homines, seu circa cetera corpora exerceri solent, effluere dubitandum non est.

Ex posteriori vero relationum ordine summus, ac maximus rerum omnium auctor, creatorum intelligibilium ordinibus sibi assistentibus, maximo Cælorum orbi, communis Naturæ vim iniicit, quam ceteri Cælorum globi multipliciter deflectentes, atque ad inferiora transmittentes, generabilia omnia & conseruant, & renouant, deseruiuntque propagationi humanorum corporum, quibus singulis singuli intellectus increati homines formant, necnon ceterorum animalium perfectiorum, neque aliquid imparatum, seu imperfectum relinquunt, quod ad eiusdem hominis bonum ab ipsis corporeis præstari possit.

Euenit igitur, vt, sicuti spiritalia bona, hominem attingentia, ad corporea diffunduntur, ita Naturæ vis homini deseruiens, aliquid præstantius in eodem homine, atque per ipsum hominem profertur, atque exoptet, summi uidelicet boni, prout vniuscuiusque naturæ conuenit, adeptionem. nam res omnes sicuti a Deo Opt. Max. tamquam a primo principio pendent, ita ad eundem, tamquam ad vltimum finem, tendant necesse est. At admirabile quoddam euenit, nos scilicet ex ea cognoscendi virtute, quam ex solo Naturæ lumine exercemus, ad id perducit, vt hanc rerum dispositionem, ac copulationem vere admittendam, & per hominem consummandam, assentiamur. sed, nisi eiusdem luminis vis transcendatur, iure optimo in dubium reuocari posse, an talis rerum copulatio, decentissimaque dispositio vnumquam re ipsa induci, ac perfici possit. patet siquidem, hominibus morientibus frustrari sensibilibus omnium propensionem ad proprium principium in homine, & per hominem attingendum, ac ad summum bonum in eodem consequendum. Ex horum uero ignorantia conuincimur, ad illa properandum.

dum esse, quæ ex longe præstantiori lumine effluunt, quæque hæc duo, quæ sibi inuicem aduersari videntur, ad summam concordiam perducere possunt. docent siquidem, undenam mors in homines irrepsit, simulq. quonam pacto rerum omnium copulatio disrupta sit, nec non per quem mors deuicta fuerit, rerum omnium nexus refarciendus, ipsæq. humanæ animæ (quas nouimus ex propria natura corpora humana respicere) vndequaque beatificandæ.

Vtrum autem hominibus interim morientibus, rationalem hominum virtutem, cui mors nulla ratione aptari potest, dum a corpore separatur, associant uel solum corporearum uirtutum uestigium, uel certe etiam sentiendi uirtutes, illiq. inseparabiliter adhaereant, ex his, quæ de formarum sensibilibus natura, differentijsq. iam dicta sunt, utcumque coniectare licet.

Nos tanta in re nihil asserimus; sed, sensum nostrum cohibentes, cum, quibus conuenit, libenter submittimus.



# CONTEMPLATIONIS QUARTAE,

Quæ naturalem complectitur philosophiam,

## Pars Prima:

In qua considerantur corpora, quæ in generabilium ordine sunt prima; ea, quæ ex imperfecta primorum mixtione constituuntur; necnon perfectæ mixtionis causæ, & accidentia.



*De his, quæ pertinent ad huius scientiæ subiectum, atque exordia*  
Cap. I.



**C**ORPORVM; quæ generationi, ac corruptioni obnoxia sunt; contemplatio exordienda nunc est. Accipimus autem a scientia prima, motum, tempus, locum, actionem, passionem, alterationem, generationem, corruptionem, ipsumq. passibile, ac generabile corpus dari, simulq. quid horum unumquodq. significet, & sit.

Accipimus quin etiam, calor corpora motus, ac luminis viribus ministrantibus indefinenter diffundere virtutem, qua a Deo imbuuntur, quæque & communem Naturam constituit, & ad inferiora perducta, simul efficientis, formalis, ac finalis causæ sustinet partes: Primam vero materiam ita subiectiuæ, seu receptiuæ causæ munia obire, ut, aliarum causarum vi non deficiente, unius generationi alterius corruptio, & unius corruptioni alterius generatio semper annexatur, ipsamq. ob id neque forma quacumque carere posse, neque eandem formam ex communi Naturæ dispositione indissolubiliter retinere.

Huius autem Contemplationis initium sumendum est non ab aliqua

aliqua definitione communiore, generis subiecti, seu a demonstratione, quæ versetur circa eiusdem generis proprietates communes. horum enim vnumquodque a superiori scientia ducitur, sed ex usu illarum diuisionum, quæ huic generi vniuoco essentialiter aptari, illudq. tam respectu formæ, quam respectu materiæ, ad certas species recte contrahere possunt.

Postmodum vero harum specierum vnaquæque, certa serie seruata, ita consideranda erit, vt singularum proprietates, mutuæ relationes, dispositiones, generationes, corruptiones, ac reliqua, quæ illis eueniunt, pro uiribus demonstrantur, neque desistatur, donec differentia perfectissimæ, ex qua homines constituuntur, & ipsius humanæ naturæ plenior scientiam adipiscamur: ex hac siquidem, nostræ huius contemplationis consummatio deducetur. nam corruptibilia omnia homini deseruire compertum est, ac in eodem consistere.

*De primorum corporum constitutionibus, simulq. de eorundem formis, seu uiribus substantialibus, ac proprietatibus primis. Cap. 11.*

**N**OVI MVS exprimæ scientiæ constitutionibus corporibus generabilibus, ac corruptibilibus motum, ac quietem essentialiter conuenire. Nouimus etiam, præter circula rem motum, qui cælestibus corporibus essentialiter conuenit, motum rectum tantummodo simplicem esse, huncq. ab illis corporibus primo oriri, quæ inter corruptibilia simplicia sunt: eundemq. ex ea recta linea sumendum esse, quæ ab vna parte terminatur cælorum centro, ab alia vero cælorum circumferentia. Patet autem, lineam hanc, quatenus a centro incipit, & a circumferentia terminatur, ascensus; quatenus a circumferentia oritur, & ad centrum tendit, descensus motum admittere. Eadem etiam, quatenus ab utraque parte finita est, ita motui deseruit, ut quieti quoque quam decentissime ministrare possit.

Itaque hæc corpora simplicia plura sunt, & illorum unicuique commune est, ea ratione moueri, ut, dum mouetur, per aliud eiusdem ordinis corpus transeat, atque ad certum aliquem terminum tendat, in eoq. constitutum, proprio motui finem imponat. nam in prima scientia demonstratum est, eidem corpori ascensum, ac descensum naturaliter aptari non posse. Ex eo autem, quod hæc simplicia,

placia, dum mouentur, transeant per aliud corpus eiusdem ordinis, demonstratur, illorum vnumquodque peruium esse, idèoque propria figura, ac glutino carere. quod enim peruium non est, quod certa quadam figura est præditum, & quod glutinatum est, talem transitum nec admittere, nec perficere potest, vel certe non absque disruptione figuræ, ac glutini, substantialisq. existendi modi tum sui ipsius, tum illius, per quod efficitur transitus. Ex eo, quod eadem corpora, dum mouentur, respiciunt propriam quietem, tamquam proprii motus finem, colligitur, ea in proprii motus termino, atque etiam in propria quiete constituta, quamoptime se habere: extra terminum autem, & extra propriam quietem, non recte. Ideoque, cum propriam conseruationem primo intendant, iure optimo & mouentur, & indefinenter mouentur, donec ad proprii motus terminum perducta, in eo conquiescant.

Non parum ergo virium adipiscemur ad horum corporum tum substantiam clarius attingendam, tum proprietates eliciendas, si omnes rationes perspexerimus, ob quas hæc corpora in proprio termino constituta, quamoptime se habent, & quamoptima dispositione fruuntur: extra terminum autem econtra. Hæ rationes colligendæ erunt, non ex eisdem simplicibus corporibus: impossibile est enim hæc esse principia, & causas eorum, quæ ipsamet essentialiter vel fugiunt, vel prosequuntur: non ex aliquo corpore composito: nam composita sicuti supponunt Esse simplicium corporum, ita simplices illorum motus supponere debent.

Reliquum igitur est, vt eliciantur ex ipsis corporibus cælestibus, idq. iure optimo. nam termini rectorum motuum, vt iam diximus, deducuntur ex diuersis relationibus ad cælestia corpora, quæ etiam inferiora omnia, proprii motus virtute pluribus rationibus exagitant, atque immutant.

Quamuis autem cælestia corpora duobus modis in inferiora agant, motu scilicet, & lumine, nunc tamen cælestis motus vis, quatenus a lumine seiungatur, tantummodo attendenda erit: hæc enim simplex omnino est, atque, si seiunctim respiciatur, ex propria natura simpliciter, ac vniuniformiter agit, licet ab hac simplicitate non parum recedat, dum luminum superadditur virtus, atque eo magis, quoniam luminum actus plures sunt ob stellarum multitudinem, variasq. illarum magnitudines, collocationes, ac delationes, quorum vnumquodque simplicitatem perturbat.

Cælestis



Cælestis vero motus vis, licet sit simplex, diuersimode tamen ad hæc inferiora diffundi solet, quoniam quædam sunt proxima, quædam omnino remota, quædam inter hæc constituta. Itaque ea, quæ proximiora sunt, velocissimis, ac perennibus circumuolutionibus quammaxime agitatur, indefinenterque rapitur, ac circumuoluit: remotiora, quæ circa centrum sunt, detinet potius, ac firmat. nam agitatio, illa vix attingit. Ea vero, quæ media tenent spatia, prout magis, ac minus ab extremis distant, magis, ac minus agitationes recipient, atque ad extremorum naturam accedent.

Corpus igitur, quod ad cælorum summam circumferentiam fertur, ibique constitutum optime se habet, ac naturaliter conquiescit, diligit quammaxime agitationes ex aliena vi, easdemque maximo cum commodo recipiet. Simili ratione, corpus, quod ad centrum fertur, agitationes ex aliena vi, tamquam sibi noxias, refugiet, & immobilitatem naturaliter prosequetur.

Media autem corpora, neque vehementissimas agitationes, neque agitationis carentiam omnem subibunt, sed vtriusque participationem pro illorum natura.

Inter prima ergo corpora generabilia, ac corruptibilia, aliqua sunt leuia, quæ petunt spatia superiora, aliqua graua, quæ ad inferiora declinant. nam alienas agitationes prosequi, & leue esse, idem sunt, sicuti etiam easdem agitationes vitare, & graue esse, sunt idem.

Inter leuia etiam, quoddam erit in summo leue, ob idque ipsamet cælorum circumferentiam petet, quod Ignis elemento conuenit: quoddam non erit in summo leue, ob idque ad superiora quidem tendet, sed ad cælorum circumferentiam non peruadet, & talis est Aer. Inter graua itidem, quoddam erit in summo graue, ob idque ad centrum ipsum deueniet, cuiusmodi est ipsa Terra: quoddam non in summo graue, ob idque ad inferiora quidem tendet, sed ad ipsum centrum non perducetur. & talem esse Aquam sensus ipse demonstrat. Et hæc quidem, quoniam summe grauis non est, sed natura fluida, cælestes agitationes recipiet, licet non adeo vehementes, ut Aeris, atque Ignis sphaeræ. Hoc vero & ipse sensus testatur. patet enim, maria perenniter moueri, dum, prout licet, ab Oriente in Occidentem perenniter tendunt: ex quo euenit, ut nauigantium cursus, si litus proximius illis sit dextrum, reddantur faciliores: si vero litus proximius illis sit sinistrum, difficiliore.

Leuibus corporibus, quoniam ex aliena agitatione fouentur, proprium

proprium erit, extendi, atque, dum aliena exquirunt, a seipsis quodam modo egredi. Quare rara sunt, diaphana, atque alienas impressiones quam facillime recipiunt, ita tamen, ut illarum vestigium retinere non possint. Grauibus econtra, quoniam ex agitationis remotione fouentur, proprium est, contrahi, atque, dum aliena abhorrent, in seipsa reduci, ac comprimi. Quare densa sunt: & quatenus sunt graua in summo, non sunt diaphana, alienasque impressiones ita admittunt, ut eas retinere possint.

Quatenus autem non sunt densa in summo illis perspicuitas vtrumque aptabitur, alienarum tamen impressionum vestigia non retinebunt.

*De Elementorum virtutibus actiuis, quibus & aliorum offensam, & propriam conseruationem respiciunt. Cap. III.*



VAE hæctenus circa prima corpora constituta sunt, ad substantialem illorum mouendi, ac quiescendi virtutem præcipue attinere videntur. Nunc autem explicandæ sunt proprietates, ac vires, quibus eadem hæc corpora se inuicem respicere, in se inuicem agere, & a se inuicem pati possunt: communis siquidem rerum omnium ordo hos mutuos intuitus exposcit: iamque demonstratum est, hæc corpora conuenire in communissimo substantiali gradu, qui materiam primam parit, ideoque passibilia, ac corruptibilia esse, vereque ad inuicem transmutari. Nouimus autem, singulis muneribus essentialiter inter se distinctis, singulas virtutes attribuendas esse, neque vnicam omnibus, proprie ministrare posse.

Corpora vero, quæ vicissim opponuntur, duplici ratione oppositos intuitus exercere solent. student enim, & ab aliorum offensam, prout naturæ propriæ conuenit, se tutari, & aduersanti offensam, prout eidem naturæ conuenit, inferre.

Itaque illorum vnumquodque duabus qualitibus necessario præditum erit, altera scilicet, qua in opposita agat, offensamque inferat: altera vero, qua oppositorum vires declinet, ac vitet. Hæ autem qualitates illis ita inhærere debent: ut ceteras eiusdem corporis qualitates foueant, ipsæ ab eisdem foueantur, omnesque communi consensu oppositis resistent, seu aduersentur.

Igitur grauibus, ac densis corporibus frigiditas adiungenda erit.

H h hæc

hæc enim densitati fauet, ex qua pendet grauitas, eandemq. inducit. Leuia eandem ob causam erunt calida: caliditas namq. raritati, ex qua inducitur leuitas, amica est, atque illam parit.

Et hæc quidem qualitates agendi, ac offensam oppositis afferendi vim parient: frigiditas nempe, & caliditas non tantum opposita sunt, sed maximæ etiam actiuitatis.

Qualitates vero, quibus offensa vitanda est, facilius nobis occurrunt, si animaduertimus, tres tantummodo offensarum naturaliter vitandarum rationes dari: tutissimam scilicet occultationem, fugam, & vehementissimam oppositionem. Harum aliquæ quibusdam simplicium corporum conueniunt; quibusdam vero repugnant, prout ceteris illorum qualitatibus consentiunt, vel aduersantur: corporibus quippe in summo grauibus, ac densis, neque fuga, neque vehemens oppositio aptari potest. nam agitationem abhorrent, & quietem amant. His itaque tutissima occultatio conueniet. e contra corporibus in summo leuibus delitescencia non conuenit, sed fuga propria erit, nam quietem abhorrent, & ex agitatione delectantur. Horum igitur vnumquodque siccum erit: patet enim, siccitatem, quatenus adiungatur frigiditati, eam constipare, totum corpus constringere, illiusq. vim interius acuere, & exterius obtundere: dum vero adiungitur opposita caliditati, opposita efficere, eam scilicet expandere, totum corpus dilatare, & illius vim externe acuere, & interne infirmare: oppositi siquidem concursus opposita pariunt.

Hæc vero ipsi etiam sensus testantur: obijciunt enim terram summe densam, & grauem, frigidam, & siccam, interne firmissimam, externe vero actiua quodammodo virtute destitutam: & ignem summe rarum, & leuem, calidum, & siccum, externe vehementissimum, interne vero quammaxime infirmum, velocissimum tamen, & ad fugam paratissimum.

Cum siccitas primis corporibus aptetur, ac simplex sit, humiditas etiam illi opposita simplex erit, & eisdem corporibus simplicibus aptari poterit, atque etiam ea ratione, vt tam frigiditati, quam caliditati recte associetur. nam, dato vno contrario, aliud dari necesse est, & ad eundem ordinem pertinere. Cum autem contrariorum etiam actus, ac vires opposita sint, sequitur, frigiditatem, quæ ex siccitatis adiectione clauditur, interne acuitur, & externe obtunditur, ex humiditatis societate aperiri, atque expandi, ideoque interne

terne obtundi, & externe exacui: similiq. ratione, caliditatem, quæ ex siccitatis copula aperitur, interne obtunditur, & externe acuitur, dum humiditatem amplexatur, constipari, ac claudi, simulq. interne exacui, & externe obtundi. Hinc colliguntur qualitates aliorum corporum simplicium, aquæ scilicet, & aeris. Aqua densa quidem, & grauis, sed non in summo, erit frigida, & humida. Aer leuis quidem, sed non in summo, erit calidus, & humidus. Aqua seipsam tutari poterit, non ex fuga, quæ grauitati non conuenit, non ex vehementi constipatione, quam ex opposita siccitate, humiditas frigido adiuncta destruit, sed ex vehementi reactione.

Aer e contra, prout leuitas, raritasq. illi inhærentes patiuntur, firmiter utcumque resistet, aliqua præsertim fuga accedente. Eadem vero qualitas recte oppositis qualitatibus & essentialiter associatur, & ab oppositis amplexatur, quoniam horum nullum sibi inuicem oppositum est: quin potius vtraque maxime consentientia sunt. nam pendent ab eadem materia, atque ab eodem efficiente; & quatenus sic coniuncta, fauent eidem fini, eidemq. formæ deseruiunt.

Itaque tam actiua passiuam, quam passiuam actiuam qualitatem amplexatur. ex quo euenit, vt ex singulis relationibus singulæ qualitates nouam agendi rationem adipiscantur: siccitas enim, quæ caliditatem externe, & frigiditatem interne acuit, a caliditate externe, & a frigiditate interne acuitur.

Humiditas itidem, quæ frigiditatem externe, & caliditatem interne acuit, a frigiditate externe, & a caliditate interne acuitur. Et hæc quidem priori quadam ratione demonstrare possunt, cur eadem qualitas duabus qualitatibus oppositis summe concors effici possit. nam respectu vtriusque certi intuitus exercentur, qui seiuicim exerceri non possunt.

*De veris Elementorum proprietatibus.*

*Cap. IIII.*



TAQUE quamtutissime colligemus, quattuor qualitatum elementalium numerum quodam pacto geminari: vtraque siquidem duabus rationibus essentialiter distinctis proprios actus exercet. aliter enim calefacit caliditas ignea, & aliter caliditas aerea: aliter frigefacit frigiditas aquea, aliter frigiditas terrea. Exiccationes etiam varie exercentur a terrea, & ab ignea siccitate, idemque euenit humi-

H h ij Etatio-

Stationibus, prout oriuntur seu ab aquea, seu ab aerea humiditate. Colligitur etiam, harum qualitatum vires intensius quidem, ac remissius exerceri, sed illarum vnamquamque vere simplicem esse, neque ullam oppositæ qualitatis admixtionem admittere. neque enim quatenus sic commixtæ, corporibus simplicibus aptari possent.

Præterea intensio, ac remissio, dum oriuntur ex remotione, seu adiectione qualitatis oppositæ, interna, & externa æqualiter respiciunt, neque oppositos effectus pariunt. At qualitates elementales, vt diximus, intensiones, ac remissiones disiunctim recipiunt: quatenus enim externe intenduntur, interne remittuntur, & e contra. Eadem etiam qualitas oppositos effectus inducit. nam siccitas terra constringit, ignea vero expandit. Siquis igitur elementorum veras proprietates recte attingere curat, hic animaduertet, has non ab vna qualitate tantum, sed ab vtriusque qualitatis concursu sumendas esse: Ignis siquidem proprietas accipienda est non ex sola caliditate, vel ex sola siccitate, sed ex vtriusque qualitatis copulatione: similique ratione proprietas Terræ erit frigiditatis, ac siccitatis cōcurfus, Aquæ concursus frigiditatis, ac humiditatis, Aeris caliditatis, & humiditatis: sicuti enim caliditas ex siccitatis adiectione vere est ignea, sic etiam siccitas ex caliditatis copulatione, ignea est, idemque in ceteris euenit, prout certis elementis aptantur. Siquis autem ex sola caliditate, vel ex sola siccitate, ignis proprietatem sumendam existimet, hic ipsum ignem neque ab aere recte distinguet, cui caliditas similiter conuenit; neque a terra, cui siccitas similiter aptatur.

Præterea, si elementi proprietas ex vnica qualitate sumatur, fatendum esset, aliam accidentaliter illi adiungi, consequenterque amabilem esse absque elementi corruptione. at hoc iam constitutis repugnat. Itaque fatendum est, proprietates elementorum sumendas esse ex vtriusque qualitatis concursu, qui tantummodo in his corporibus proprietatis naturam retinet. nam ita singula concomitatur, vt vni, ac soli semper conueniat: hocq. dato, corpus, cui conuenit, ex necessitate detur, & e contra.

Neque vero ad illud deuenire licet, vt dicatur, præter communissimam corporeitatem, quæ elementis omnibus communis est, dari alium substantialem gradum, puta Igni, & Aeri communem, ob idque vtrumque ex communi hoc gradu esse calidum; ex proprijs vero gradibus Ignem siccum, Aerem autem humidum esse: hoc namque non tantum destruit iam constitutam primorum corporum simplicitatem,

citatem, verum alia quoque repugnantia inducit. nam, si quæretur, cur Ignis, & Terra conueniant in siccitate, similiter dicendum erit, hoc ex communi gradu contingere: ex proprijs autem gradibus Ignem calidum esse, Terram vero frigidam. at iam dictum erat, Ignem ex communi gradu calidum esse. Plura etiam ad idem afferri possent, quæ tamquam animaduertentibus conspicua prætermittenda esse existimamus. Quamuis autem caliditates omnes, quatenus sunt caliditates, sint eiusdem speciei, idemque conueniat frigiditatibus, siccitatibus, ac humiditatibus, nihilominus caliditas, vt est ignea, essentialiter distinguitur ab aerea caliditate haud secus, quam ignis ab aere essentialiter distinguatur. idemque de alijs eadem ob causas sentiendum erit.

Quoniam vero ex comparis qualitatis adiectione hoc illis conuenit, non autem ex absoluta illarum natura, sibi inuicem quidem aduersantur, ea tamen ratione, vt altera alterius generationi consentiat. Itaque ex ignea virtute non ignis tantum, sed aer etiam generari solet, & aer in ignem facile admodum commutatur.

*Elementorum numerum quaternario neque maiorem, neque minorem esse, eundemque ex noua diuidendi ratione constitui. Cap. V.*



VAE circa Elementorum proprietates enarrata sunt, demonstrare possunt, illorum numerum neque a quaternario deficere, neque quaternarium excedere: nullæ enim, præter quattuor qualitates iam constitutas, obijciuntur, seu ad horum corporum consummationem desiderantur. Conuincimur igitur, harum quattuor combinationes, Naturæ consonas, re ipsa dari, & nullam præterea inueniri posse. Idem etiam facile demonstrabitur, si generabile, ac corruptibile corpus partiemur ea diuidendi methodo, quæ vniuersis propria est, atque ex noua additione perficitur: & ad certas species contrahemus. Hæc vero contemplandi ratio versabitur circa Elementa, quatenus mixtorum materiam constituunt, Ideoque ex singulis diuisionis membris, noui substantiales gradus ea ratione elicientur, vt, reiecto priori gradu, illæ tantummodo dispositiones adaugeantur, quæ ad mixtionem exercendam, ac recipiendam conducunt: hoc siquidem pacto tantummodo vniuscuiusque elementi simplicitas retinetur, quæ omnino rueret, si priori substantiali gradu

du retento, nouus gradus substantialis superadderetur. Existimandum tamen est, dispositiones has substantiæ quodam modo vim continere. nam eadem diuidendi ratio ad mixta perducta, formalis omnino redditur. Præterea id obijciunt, quod in elementis, ut sunt elementa, est præcipuum. Diuisio erit talis. Corporum generabilium, ac corruptibilium aliquod necessario est generabile, & corruptibile tantum, neque præter generationem, ac corruptionem aliud quoddam experiri potest.

Reliqua vero omnia, præter generationem, & corruptionem, aliquid præterea pati solent, alienæ scilicet qualitatis impressionem, seu alterationem. Rursus corporum, quæ generabilia, atque etiam alterabilia sunt, aliquod alterabile tantum est, reliqua vero omnia præter generationem, ac corruptionem, & præter ipsam alterationem, aliud quidpiam subeunt. nam ex extranei etiam corporis substantiali copulatione mutari possunt.

Inter hæc vero quædam primam corporum copulationem respicient, quædam non primam; iterumque inter illa, quæ primam copulationem intuentur, quoddam influendi, quoddam imbibendi virtute erit præditum. Horum vnumquodque est simplex: ea enim, quæ sunt composita, ex priori copulatione deducantur necesse est. Hæc vero primam copulationem admittunt: qua remota, posteriores dari non possunt.

Simili ratione conuincitur simplicitas aliorum duorum corporum, primi scilicet, cui corruptio tantum conuenit, ac primi corruptibilis vocem meretur: & secundi, cui præter corruptionem simplex alteratio adiungitur, ac primum alterabile appellandum est. Ex his igitur idem simplicium, ac primorum corporum quaternarius numerus apparere potest. nam præter hæc, alia corpora simplicia, ac corruptibilia dari non posse, diuidendi methodum attendentes, facile perspiciemus. Corpus corruptibile, quod solam admittit corruptionem, ignis erit: ignis enim propriarum qualitatum, seu diminutionem, seu ex aliena qualitate refractionem non patitur.

Ex quo recte admodum dictum est, Solus ignis non putrescit.

Corpus, quod non tantum corruptibile, sed ex alienæ etiam qualitatis impressione alterabile tantum est, aerem esse, sensus ipse demonstrat. experimur enim, aerem non tantum corrumpi, sed etiam alienas qualitates facile recipere, cum tamen alteri corpori copula-

ri, seu incorporari non possit: impossibile quippe est, accepta aliqua aeris parte, illam alteri corpori conglutinare, quod etiam in ipso igne euenire manifestum est.

Corpus, quod primam incorporationem ita admittit, ut influendi, non autem imbibendi virtute sit præditum, aqua est. Illud vero, quod eandem incorporationem ex eo recipit, quoniam imbibendi, non autem influendi virtute pollet, est Terra. nam aqua terræ intimiores partes rimatur, terra vero aquam interne colligit, ac imbibit, donec omnino redundet.

An vero horum corporum copulatio ceteras omnes præcedat, in dubium reuocare non licet. nam, sicut neque ignis, neque aer ex plurimum corporum copulatione constant, sic neque aqua, neque terra seu ex ignis, & aeris, seu ex alijs prioribus constitui possunt. iam enim sancitum est, neque ignem, neque aerem, huiusmodi copulationem admittere, neque inueniri posse aliud huius ordinis corpus, terra, & aqua prius. His vero ideo promptius assentiendum est, quoniam mira quadam ratione concordant priori Elementorum doctrinæ: ignis siquidem ideo corruptibilis tantummodo est, quoniam ignea caliditas, & ignea siccitas externe quammaxime intensæ, ac solutæ sunt: interne vero summe obtusæ, atque infirmæ. nam nulla resistendi virtute sunt præditæ.

Euenit igitur, ut ipse ignis vel nullo modo lædatur, vel omnino pereat.

Eandem consonantiam continent aeris, ac aliorum duorum Elementorum enarrationes: aer enim, cuius qualitates externe obtusæ sunt, interne vero intensæ, necessario ad agendum infirmior est, ad resistendum vero firmior. Quapropter ab vnaquaque qualitate sibi opposita facile quidem immutari potest, sed non statim corrumpi.

Aqua vero quoniam vehementior illius virtus eam reddit ad externa fluentem, ac penetrantem: necnon terra, quoniam vehementi siccitate interius natura bibula est, non tantum alterationem, sed primam quoque incorporationem admittent.

*De Elementorum dispositionibus, dispositionumq. fructibus. Cap. VI.*



**S**ed iam ad horum primorum corporum collocatio-  
nem, ac dispositionem explicandam accedendum est.  
Ea vero, quæ superius constituta sunt, facile demon-  
strare possunt, terræ, tamquam grauissimæ, ac densis-  
simæ, centri locum assignandum esse: aquam collo-  
cari decentissime in loco, centro aliquanto superiori. sicut enim  
ipsa aqua a summa grauitate recedit, ita illius quies non ex centro,  
sed ex loco, centro eminentiori, deducenda est. Simili ratione,  
igni, tamquam leuissimo, locus, cælorum circumferentias tangens,  
aptissimus erit. Aeri vero, qui ab ignea leuitate, ac raritate recedit,  
locus, qui ignis loco ex inferiori parte est proximus.

In hac autem elementorum collocacione, non vnica, sed pluri-  
bus rationibus, diuinæ sapientiæ refulget virtus. nam, dum ignis  
cetera corpora supereminet, dum aer igni contiguus est, dum aqua  
tertium locum obtinet, terra autem infimum, horum elemento-  
rum vnumquodque non tantum ex cælorum agitationibus, ac re-  
pressionibus, prout vniuscuiusque naturæ conuenit, indeficienter  
conseruatur, foueturque, sed etiam ex corporum interpositorum na-  
tura a sibi oppositis longe tutius redditur. Id autem præcipue ex-  
petendum erat igni, & aquæ, quoniam sibi inuicem quammaxime  
aduersantur, ob ambarum qualitatum contrarietatem, earundemq.  
ad externa acumen. Itaque inter hæc aer interponitur, qui respectu  
caliditatis igni, respectu vero humiditatis aquæ consentit, quique  
interne est tutior.

Euenit igitur, vt neque ignis sphaera ab aqua attingi, neque ignis  
aquam inuadere possit. Cetera etiam elementa simili ratione dispo-  
sita sunt. nam inter terram, & aerem, (si elementorum simplicium  
ordinem respicimus) aqua vndequaue ex altera qualitate cum vtro-  
que conueniens interponitur. Hæc tamen dispositio, quæ commu-  
ni rerum ordine (vt videbimus) sic exigente, ex parte aliqua immu-  
tanda erat, absque vlllo incommodo immutari potuit, quoniam ter-  
ræ, & aeris vires, interne intensæ sunt, & externe remissæ. Itaque  
absque vlla offensa se inuicem tangunt. Aliud etiam, ac longe diui-  
nius ex admirabili hac elementorum collocacione, ac dispositione  
Natura consecuta est, vt scilicet elementa, quæ rationibus aliqui-  
bus inuicem aduersantur, alijs rationibus inter se concilientur, si-  
mulq.

mulq. amicitiam quodammodo vicissim contrahant, ac fœdus in-  
cant. ignea enim caliditas externe quidem vehemens, interne verò  
infirmata, & aerea caliditas externe infirma, interne autem fortior,  
quamlibentissime se inuicé amplexantur, tum ob naturæ conuenien-  
tiam, tum quoniam alterne, hæc illius, illa huius infirmitati cōsulit.

Simili ratione frigiditas aquea terræ frigiditatem amore prose-  
quitur, atque ab eadem amplexatur. Et hæc quidem eo plenius  
adimplentur, quoniam actiuarum qualitatum concordia a qualita-  
tibus passiuis, seu resistentiæ, non parum fauentur. nam, cum sicci  
proprium sit attrahere, seu colligere, humidi vero attractum sequi,  
seu colligi, terra aquam, ignis vero aerem colligent. similiq. ratio-  
ne aer igni, aqua vero terræ prompte adhæret. Aer autem aquæ pro-  
ximus, ac cum ea in humiditate conueniens, neque illam colligit,  
neque ab illa colligitur, tum quoniam illorum vtrumque caret sicci-  
tate, cui hæc colligendi, seu attrahendi vis propriissima est, tum quo-  
niam ex actiua qualitate differunt. quod etiam in causa est, vt nul-  
lum elementum natura frigidum attrahat, colligat ue elementum  
natura calidum, vel ab illo attractum recipiat, seu colligatur. Qua-  
tenus igitur horum elementorum copulationes sint adimplendæ,  
nouam cælorum virtutem superaddi necesse est, qua superiora ele-  
menta in inferioribus ingenerentur.

Animaduertendum est autem, ignem non ideo aerem colligere,  
seu attrahere, vt illi commisceatur. hoc enim repugnat ipsius, atque  
aeris naturæ, sed vt in eo agendi virtutem exercent, atque ab eo nu-  
triat. Econtra vero, dum terra aquam imbibit, id agit, non vt  
illam destruat, sed vt ex eius accessione perficiatur. At de his dili-  
gentius tractandum erit, dum de mixtionum principijs agetur.

*De Elementorum generationibus, ac corruptionibus, atque de earundem  
principijs, & causis. Cap. VII.*



**N**unc autem principia, & causæ enarrandæ sunt, ex  
quarum vi exercentur generationes, ac corruptiones,  
quæ his primis corporibus conuenire possunt.

Harum quasdam efficientes, seu actiuas esse, quas-  
dam recipientes, seu passiuas, manifestum est. facile  
etiam intueri licet, vtrumque ordinem duas causas continere.

Inter efficientes primum obtinet locum Naturæ communis vis,

ii quæ


quæ ex cælestium corporum agitationibus ad inferiora defertur. Huic adiunguntur eorundem Elementorum qualitates actiuæ, quatenus ex aliquo contactu proprias vires ad externa diffundunt. In receptiuarum vero causarum ordine prima est communissimæ materiæ potentia, quatenus corporis generabilis forma caret. Secundum locum assumunt certæ aliquæ subiecti qualitates, ac dispositiones passiuæ, quæ priorem formam concomitantur. Primæ vero materiæ potentia respondet virtuti, quam cælestes motus iniiciunt: harum enim concursus parit indistincte, & fouet elementa omnia non respectu certæ alicuius partis, sed respectu totius. dato siquidem hoc impossibili, materiam scilicet omnem omni penitus forma denudatam contineri inter cælestia corpora, nullum adhuc motum parientia, ex agitationum cælestium inchoatione, ac perseverantia, partes cælestibus corporibus proximiores necessario contererentur, agerentur, simulq. tum ad caliditatem, tum ad raritatem deducerentur: E contra, partes remotiores constiparentur, firmentur, atque ad frigiditatem, densitatemq. impellerentur. Superiores igitur partes igneam, ac aeream formam, & naturam recipient, inferiores vero terream, & aqueam.

Actiuæ elementorum generantium virtutes, corrumpendorumq. passiuæ dispositiones sibi inuicem simili proportione respondent. Hæ autem, quæ communium principiorum, & causarum concursus supponunt, neque elementorum vnumquodque, neque totum aliquod elementum respicere possunt, sed certam tantummodo elementi corrumpendi partem. Actiuæ generationis causæ generationem perficiunt, non extra mittendo aliquid sibi internum, (hoc enim nihil aliud esset, quam seipsas destruere) sed propriæ qualitatis vi, cælesti virtute non deficiente, alienam qualitatem immutando, idq. ea ratione, vt subiectum corpus, quatenus alterationem non admittit, statim transmutetur, quatenus vero alterationem recipit, eousque alteretur, donec noua hæc qualitas aliquam essentialem subiecti qualitatem expellat, ac destruat: tunc quippe subiectum ex necessitate statim corrumpitur, simulq. Naturæ communis virtute, agentis recipit formam: qua plenius emergente inducuntur, uel firmantur omnes eiusdem agentis proprietates, seu certe immutantur, prout formæ conceptæ conuenit.

Hoc ideo addendum est, quoniam, dum ignis agit in aerem, ac quidem corrumpitur, & omnis illius humiditas amouetur, calidi-

tas vero non deperit, sed immutatur tantummodo. Patet tamen, hanc caliditatem manere, non quia sustineat partes subiecti, sed quoniam prior illius status ex propria natura, posteriori non aduersatur, ideoque ad illum recipiendum dispositionem afferre potest. Dum in subiecto nulla est dispositio, ad id, quod est generandum, agentis forma immediate emergere non poterit, licet ipsum agens hanc ex propria natura intendat: sed primo generabitur medium elementum. Itaque igne in aquam agente, seu e contra, aqua in ignem, aeris forma prius elicitur, terra autem difficillime corrumpitur ob densitudinem maximam, atque ob firmissimum vtriusque qualitatis ad interna acumen. Eadem etiam difficillime generatur, particularium præsertim causarum vi. Non dissimiles ob causas euenit, vt terra, dum alia elementa complectitur, illa non corrumpat ex propria virtute, quæ ad externa nulla propemodum est, sed corruptioni tantum obnoxia reddat.

*De his quæ ab Elementis recipiuntur ex sola cælestium luminum participatione, atque absque ulla propriarum qualitatum immutatione. Cap. VIII.*



A, quæ aptantur primis, ac simplicioribus corporibus tum ex simplici cælorum motu, tum ex propria vniuersi cuiusque essentia, ita enarrata sint. Illa nunc explicabimus, quæ circa eadem prima corpora euenire solent, ex cælestium luminum vi, seu quatenus simpliciter illuminat, seu quatenus agit, seu quatenus defertur: ideoq. vel nullam corpoream alterationem parit, vel alterationem tantummodo, vel substantialem etiam immutationem. Quæ nullam alterationem inducunt, oriunturq. ex simplici participatione cælestium luminum, reddunt ea elementa, quæ a summa densitate recedunt, & perspicua utcumque sunt, ignem scilicet aerem, & aquam, actu illuminata, ac clara, simulq. apta ad visibiles species recipiendas, quas absque lumine recipere non possunt, licet ex propriæ naturæ sola vi admittant species, quæ tum ad auditum, tum ad imperfectiores sensus pertinent. Terra autem raritate omnino carens, simulq. perspicuitate, sicuti in eo deficit, quod lucis externos radios interne suscipere non potest, ita in eo excellit, quod lucis vim interne quodammodo imitatur, ac refert, eandemq. externe admittit.

Et ex eo quidem, quod lucis vim imitatur, est alba: ex eo autem, quod lucem externe admittit, visibilis redditur. Hæc autem terræ simplicis albedo demonstratur ex ceterorum elementorum albedine, dum elementalī virtute detenta condensantur: existimandum enim est, albedinem, & diaphaneitatem ex eo tantum modo inter se differre, quoniam albedo consequitur corpora simplicia, ut omnino condensata: diaphaneitas vero eisdem additur, prout omnino dissoluta sunt. Itaque recte affirmari poterit, albedinem nihil aliud esse, quam diaphaneitatis collectionem, ac constipationem: ipsamq. diaphaneitatem esse albedinem disiunctam, atque effusam. Sicuti igitur diaphana ob raritatem, lucē interne admittunt, ita corporis simplicis densitas lumen, quod interne non recipit, externe imitatur. Simili etiam ratione elementa rara, quorum albedo ob summā diffusionem est inuisibilis, lumine recedente tenebrosa redduntur.

Terræ autem albedo, summa infectione accedente, ad nigredinem deducitur. tenebræ siquidem nihil aliud sunt, quam diaphaneitas lumine carens; & nigredo nihil aliud est, quam densitas omni albedine destituta.

Cælestia vero lumina neque semper, neque eodem modo diaphana elementa illuminant, & terram actu visibilem reddunt. nouimus enim, lumina, quæ in octaua sphaera reperiuntur, varie collocari, neque eiusdem magnitudinis esse. Nouimus etiam, Planetarum magnitudines inæquales esse, solareq. lumen longe excellere.

Cum igitur cælorū vnumquodque indefinenter moueatur, & certis quibusdam interuallis proprium peragat cursum, necessarium est, inferiora omnia, præsertim ob ipsius terræ interpositionem, quandoq. illuminari, quandoq. tenebrosa reddi, seu certe infirmius illustrari.

Et hæc quidem dierum, ac noctium tum successiones, tum inæqualitates pariunt, simulq. ceteros omnes temporum status inducunt.

*De simplicibus Elementorum alterationibus, quæ cælestibus luminibus, tamquam agentibus, ascribuntur.*

Cap. IX.



**S**IMPLICES elementorum alterationes, quæ ortum ducunt ex cælestium luminum virtutibus, quatenus intensius agunt, sunt quattuor quædam qualitates extraneæ, caliditas, frigiditas, siccitas, & humiditas. Harum nulla ignis elementum attingit. hoc enim sum-

me

me calidum, ac siccum est, neque seu frigiditatem, seu humiditatem admittit absque omnimoda corruptione.

Reliqua elementa ex his quamplurimum immutari solent. Hæc autem ideo his elementis eueniunt, quoniam alterabilia sunt, cælestiaq. lumina, dum lucem ad inferiora diffundunt, simul etiam calefaciunt, exiccant, infrigidant, & humectant. Hæc tamen non ab eisdem luminibus induci possunt: effectus enim, qui sibi inuicem opponuntur non priuatiue tantum, sed positiue etiam, necessario ascribendi sunt causis efficientibus, quæ vel sibi inuicem opponuntur, vel opposita ratione propria munia exerceant, idq. non priuatiue, sed positiue. Itaque admittendum non est, cælestia lumina ex propria virtute tantummodo calefacere, atque exiccare, ex recessu autem accidentaliter frigefacere, atque humectare. nam frigefactio, ac humectatio sunt qualitatis positiuæ haud secus, quam calefactio, ac exiccatio, ideoq. illarum etiam positiuæ causæ adducendæ sunt. Præterea, sola extranei caloris carentia, frigidorum quidem frigiditatem refrangere non posset, sed nullo pacto adaugere. similiq. ratione, eorum caliditatem, quatenus natura sunt calida, numquam corrumpet, licet non adaugeat. At experientia nos docet, sapius cælestium luminum vi non tantum frigidorum frigiditatem intendi, vt puta, dum aquæ naturaliter fluidæ condensantur, & congelantur; sed etiam calidorum naturam penitus immutari, vt puta, dum aer in aquam, & in pruinam conuertitur, grandinesque, ac niues ex eodem aere conficiuntur, quorum nullum effici posset, si nulla extranei frigoris positiua causa adesset. Sanciendum igitur est, horum unumquodque certis quibusdam luminibus vere ascribendum esse, simulq. asserendum, stellas, quarum lux tum extensione, tum intensione est maxima, vt puta Solis, non tantum lumen extendere ad aquas, & ad terram usque, sed etiam, dum idem lumen ob densi, atque opaci obiectionem vehementius reflectitur, ex tali reflexione calorem, ac siccitatem inducere, intensiorem tamen, ac remissiorem, prout radiorum reflexiones ad lineam perpendicularem magis, seu minus accedunt. sicuti enim luminis vehementis vis refracta calorem, & siccitatem naturaliter generat, ita, dum magis ad perpendicularem refrangitur, in seipsam fortius rediens, proprias vires magis adauget.

Stelle vero, quatenus vel debiliore lumine fulgent, vel ex distantia, & ex situ radios magis reflectente ad maria, seu ad terram vsque, proprias

proprias non extendunt vires, inducere poterunt non calorem, & siccitatem, sed pro horum differentijs vel calorem, ac humiditatem, vel humiditatem, ac frigiditatem, vel etiam frigiditatem, & siccitatem.

Calor igitur extraneus ingenerandus, qualiscumq. sit, attinget primo ipsam terram, natura frigidissimam, ob illius summam densitatem, secundo aquam, tertio vero aerem. Extranea autem frigiditas e contra, prius aerem feriet, mox aquam, tertio terram. Humiditas, ac siccitas caliditatem, & frigiditatem consequentur, idq. magis, ac minus intense, pro maiori, minoriue caloris, ac frigoris intensione, atque etiam pro subiectorum diuersitate. Euenit igitur, vt trium alterabilium elementorum illud, quod ex simplici caloribus motu interne maxime est frigidum, ex luminum vi sit maxime calidum: illud vero, quod ex eodem motu est maxime calidum, ex luminum vi quammaximam frigiditatem admittat. Itaque factum est, vt tota aeris sphaera in tres regiones distinguenda sit: aer enim in superiori sui parte, motuum caelestium calefacientem vim quammaxime recipit. Idem in inferiori parte ex caelestium radiorum vi, propriae naturae caliditatem non parum excedit. In media autem ex necessitate frigescit. nam neque caelestium motuum, neque caelestium luminum calorem vehementer recipit, & infrigidantibus vndequaue obijcitur.

*De his, quae terra, & aqua primo patiuntur, caelestium luminum vi, caelestium motuum concurrente virtute: ac de maris fluxu, refluxuq.*  
Cap. X.

**E**RVNDEM extranearum qualitatuum virtute, caelestium luminum, ac delationum viribus non recedentibus, plurima euenire solent, quae tria elementa inferiora, terram scilicet aquam, & aerem, non tantum alterant, sed magna etiam ex parte immutant, & ad nouas praeterea rerum formas suscipiendas impellunt. Hinc oriuntur noui quidam aquarum motus, simulq. terrae, ac earundem aquarum conglobationes, necnon mixtorum genera omnia: quorum aliqua ex nulla interna virtute subsistunt, ideoq. mixta imperfecta appellari solent: aliqua ex interna quidem virtute consistunt, sed se ex eadem ad perfectiorem statum perducere non possunt, ideoq.

mixto-

mixtorum perfectorum, non tamen viuientium, vocem adepta sunt: aliqua demum ex interna virtute se ipsa perficiunt, recteq. viuentia denominantur.

Horum vnumquodque decenti serie seruata explicandum est, ab illisq. exordiendum, quae aquae, & terrae elementis eueniunt.

Terra, dum propriam simplicitatem adhuc retinet, ex extraneae frigiditatis vi affici non potest, sed tunc a frigido tantummodo patitur, cum aquae imbibitae frigiditatem experitur. Caliditatem etiam eadem aqua mediante, videtur recipere. nam ab ea vndequaue circumuoluitur. Quapropter, nisi aqua prius calefiat, caliditatis vim ad terram perducere impossibile est, licet ad illam perducta, longe intensior fiat.

Tunc vero terra ita per aquam calefiat, vt, dum eam, tamquam sibi aduersantem, repellere nititur, rursus eandem in aquam vtcumque reiiciat. Haec igitur caliditates ob adiunctam humiditatem, quae aquae essentialiter conuenit, magna ex parte aereae efficiuntur. Itaque in causa erunt, vt terrae siccitatis bibacitas, & aquae impressiua virtus, acutiores, ac uehementiores reddantur, & longe ardentius se inuicem amplexentur. Et haec quidem, retenta adhuc utriusque elementi simplicitate, sicut circa terrae partem superiorem, & aquae inferiorem, quae se inuicem tangunt. Aquae uero elementum omne alia non pauca experiri poterit, caelestium luminum, ac motuum uirtute: quorum nonnulla terrae suppositae, simulq. aquae elementi figuram, ac statum immutant, nonnulla ad aerem superpositum pertinent.

Inter prima praecipuum sibi locum vindicant ipsarum aquarum agitationes, assiduiq. fluxus, ac refluxus. Hi uero quamuis a quocumque stellarum lumine calefaciente aliquantulum pendere possint, oriuntur tamen praecipue a solaribus, lunaribusq. luminibus, necnon a punctis, tum Soli, tum Lunae ex diametro oppositis.

Sol id perficit, quia maximus, & maxime intenso lumine praeditus est, ideoque & maxime calefacit, & tam raritatem, quam mobilitatem, quae caliditatem sequuntur, elicere, ac excitare potest. Luna idem atque etiam fortius praestat, quoniam, licet luceat infirmius, proximior tamen est his elementis, & ad primos corporum motus excitandos aptissima. Puncta autem his astris ex diametro opposita, eorundem astrorum vim omnem colligere, atque eadem vi praedita esse, res ipsa demonstrat.

Quattuor



Quattuor hæ vires varie coniungi, ac disiungi possunt, cum tamen simul omnes coire impossibile sit, sed duas tantum, vt plenilunij, ac oppositionis temporibus euenit.

Tunc igitur maris fluxus in duabus partibus maxime intensi erunt, in ea scilicet, quæ solari corpori subest, & in opposita, quæ supponitur puncto, soli ex diametro opposito; hæ siquidem partes, Lunæ, ac puncto Lunæ opposito, communes erunt. Tunc etiam refluxus maxime intensi erunt in alijs duabus partibus: quarum altera a dextera, altera a sinistra, a prioribus partibus æqualiter distat. Dum vero hæ vires inuicem disiunguntur, ac consequenter debilitantur, maris tam fluxum, quam refluxum remitti necesse est, magis tamen, ac minus, prout magis, ac minus inuicem distant. Hæc tamen remissio eatenus procedet, quoad vnaquæque harum virium ad id deducatur, vt omnes aspectum quadratum constituent, & Lunæ pars quarta, seu illius hemispherij dimidium, lucidum aspectum obijciat. tunc enim nullus omnino maris, seu fluxus, seu refluxus apparebit: breui tamen renouantur, Luna ad Solis seu coniunctionem, seu oppositionem iterum reuertentæ.

Sciendum tamen est, Lunæ, ac puncti oppositi vires in his maris delationibus non parum excellere. Itaque, dum his a quartæ aspectu recedentibus, maria fluunt, ac refluunt, Luna, & illius puncto opposito seu orientibus, seu occidentibus, semper aquæ incipiunt intumescere; & eisdem meridianum attingentibus, depressio inchoatur, licet Solaris vis neque hoc, neque illud adhuc exposcat, sed oppositis potius faueat.

Igitur aquæ dum fluunt, ac refluunt, vnoquoque naturali die bis turgent, Luna scilicet seu puncto opposito meridianum tangentibus; & bis deprimuntur, eisdem scilicet Orizontem tangentibus. Singulis vero Lunaribus mensibus bis vehementius fluunt, ac refluunt videlicet in coniunctione, & oppositione, & bis motu carent, dum scilicet horum aspectus sunt quadrati.

Afferendum autem videtur, hæc euenire non in pluribus, sed in omnibus orbis partibus. ea enim, quæ pendent a certis, ac immutabilibus causis, absque magno impedimento perturbari non possunt.



ISDEM causis calefacientibus, adiunctis his aquarum fluxibus, ac refluxibus, attribuendus erit terræ, & aquæ a propria figura recessus, horumque elementorum admirabilis conglobatio, ob quam euenit, vt terra pluribus in locis mari emineat, in pluribus etiam mari profundius subijciatur. Hæc, quæ non parum difficultatis afferre solent, longe faciliora reddentur, si nobis obijciemus horum Elementorum vtrumque, tamquam modo Esse recipiens, ac in propria sphaera omnino collocatum, terram scilicet omnino sphaericam esse, & ab aquæ elemento omnino sphaerico vndequaue circumplexam: tunc siquidem patere poterit, terram imbibituram maximam aquæ quantitatem, interneque collecturam. nouimus enim, eam naturali siccitate præditam esse, & vt est simplex, omni conglutinatione carere. Nouimus etiam, ex extraneæ caliditatis vi bibulam illius naturam, & aquæ impressiuam virtutem longe acutiores reddi. Simul igitur intuebimur, aquarum omnium superficiem ad partes inferiores aliquantulum accedentem; terram autem ad superiora euehi. Aquarum autem parte sic absumpta, ac a terris imbibita, reliquisque aquis ex fluxus, ac refluxus impulsibus vehementioribus assidue per eadem delabentibus, credibile est, terræ partem superiorem, quam lutosam, ac fluidam esse demonstrauimus, facile cessuram his aquarum cursibus, ideoque terræ formam, quæ prius omnino sphaerica erat, gibbosam diuersimode reddi posse. Hæc terræ gibbositates, ac depressiones eisdem impulsibus perenniter repetitis, & per eadem ad idem impellentibus, semper magis, ac magis procedent. Econtra, aquarum superficies magis, ac magis humiliabitur, ac deprimetur. Temporis igitur alicuius decursu terræ partes non paucæ, aquarum superficiem excellent. Neque vero suspicandum est, aerem, qui aquæ ad inferiora deductæ locum occupat, ad aquæ formam perdendum virtute cælestium motuum, quæ in proprio aquarum situ aquam generat, ac conseruat. nam cælestium luminum vis calefaciens, huic nouæ generationi obsistit, & terrarum emersioni vehementius fauet, tum quoniam aquarum præterea partem non paruum in vaporem resoluit, ac ad aeream naturam deducit, tum etiam, quoniam terræ emergentis partes vehementius calefaciunt; quæ ob id aereis, igneisque qualitatibus interne conceptis, necessario fermentantur:

tur: fermentatæ vero intumescunt, & magis superiora attingunt. His igitur omnibus ad idem impellentibus, terræ pars maior, aquas excellet.

*De his, quæ generantur in aere, ac de humidioribus primo. Cap. XII.*



**A**CTENVS nonnulla enarrauimus, quæ terræ, & aquæ elementa ab elementalibus illorum simplicitate primo mutant.

Quamuis autem alia non pauca huius ordinis circa eadem elementa eueniant, horum tamen pertractationem huic loco congruam non putamus. nam recte percipi non possunt absque doctrina illorum, quæ ab eisdem elementiseducta cælestium luminum virtute, ad aeris elementum perducuntur, atque eadem uia ad inferiora conuerti solent. De his igitur primo pertractandum est, præcipueq. accipiendum, cælestium luminum calefacientium virtutem, dum aquæ superficiem, terrasq. adhuc aqua madidas aggreditur, utrasque non tantum alterare, & calefacere, sed ad vapores etiam, seu exhalationes resolvere.

Hæ vero nihil aliud sunt, quam aquea humiditas, propria frigidityate carens, & extraneam continens caliditatem, qua ad impuram aeris naturam deducitur.

Superiora igitur essentialiter petunt, ignea caliditate, ac siccitate dirigentibus, quamuis aere sint densiores, grauioresque. Existimandum tamen est, aeris partes, quæ ab ipsis exhalationibus primo attinguntur, in has quidem exhalationes utcumque agere, easq. rariores reddere, sed simul ab eisdem pati, earundemq. naturam magna ex parte induere. nam & similes qualitates continent, & aer quammaxime passibilis est. Sicuti igitur ex minima bombicis parte, quæ, lampade recenter extincta, fumum emittit, magnam sæpe fumi molem intuemur, quæ tamen ex eo tantum educitur, quoniam aerem circumpositum inficit: ita magna exhalationum extensio oriri solet ex non magna copia terrestri, aqueæ uel humiditatis, quæ aerem circumpositum inficit, ac ad propriam naturam quodammodo trahit. Satis autem euidens est, id omne, quod lampade recenter extincta, fumi speciem refert, ab ipsius lampadis bombice non educi, quoniam reliquum aeris circumpositi summe quiescit. quod certe euenire non posset, si tanta spirituum moles eundem locum ingrederetur.

deretur. Præterea, si quis in utrumque per illius foramen immittat aliquid, valde, ac diuturne fumigans, moxq. idem foramen ita constringat, ut nihil exire possit; hic nostræ huic sententiæ facile assentietur. perspiciet enim utrumque non adaugeri, turgidioremue reddi, quod necessario fieret, si id totum, quod fumidum intuemur, ex fumigante prodiret.

In ipsis autem exhalationibus, quandoque humiditas siccitatem excedit, tuncq. proprii uocis vaporosæ appellandæ sunt, quandoq. uero siccitas humiditatem superat, tuncq. fumosæ dicendæ erunt. Priores una cum aere ad propriam naturam deducto, earum aeris superiora petunt, quoad, tepescente calore, qui ex radiorum reflexione in inferioribus partibus oritur, frigidioris aeris partem attingant, mediam scilicet regionem. Tunc uero frigiditatis uia, tota illa moles condensatur, atque ad nebulæ naturam deducitur. sæpe etiam iidem vapores ob frigora uolentiora magis constipantur. Quare ad priorem aquæ naturam deducti, pluias constituunt.

Pluuiæ etiam ipsæ, dum fortioris frigoris vim recipiunt, congelari solent, & grandinem parere. Nebulæ quin etiam aliquando uolentius a frigiditate correptæ, antequam ad naturam aqueam deduci possint, congelantur, & ipsa nix oritur.

Quod si eadem uaporosa exhalatio in ipso ascensu, inferioribus adhuc proxima, frigora experiatur, pro illorum maiori, minoris uia, aliquando in pruina, aliquando in caligine, aliquando in rorem conuertitur.

Ros tamen ex puro aere frigiditatem patiente, ut plurimum generari uidetur.

Omnibus uaporosis exhalationibus proprium est, humectare, atque etiam si sint densiores, solares radios ita imbibere, ac detinere, ut colorum specimen referant, pluresq. aspectus obijciant, ut euenire solet in Iridis arcu, ac circolorum, qui circa Solem, Lunam, & Stellas sæpius conspiciuntur, atque ex coloribus, ceterisq. imaginibus hiatus, fouearum, ac colorum cruentorum specimen nocte referentibus, de quibus postmodum dicendum erit: nunc siquidem recte considerari non possunt, nondum intellectis colorum natura, & causis.

*De his, quæ sunt ex fumosa exhalatione, & generantur in media, ac superiori aëris regione.*

*Cap. XIII.*

**F**UMOSA, ac sicciore exhalatio quandoque densior, & fortior est, quandoque rarior, & infirmior.

Dum densior, & firmior est, ob ignearum qualitatum acumen, nisi impediatur, uaporosam exhalationem transcendit: idq. eo tutius perficit, quo copiosior est, & viscosi aliquid continet. tunc enim & aëris superioris frigiditati fortius resistere potest, & uerberius nutriri. Sæpius tamen ob impedientia fortiora euenire solet, ut mediam aëris regionem non superet, ideoq. ignea illius vis, nebulis unde quaque septa, vehementioresq. frigorum aggressiones recipiens, se colligat, ignemq. aliqua ex parte concipiat, & statim reliquas partes accendat. Hæc uero breuissime combustæ, constituunt ignes discurrentes, qui aëre tenebroso apparent: idem enim prope modum fit, ac si quisquam paruum ignis principium in palearum acruum iniiciat, igneq. a paleis longioribus concepto, ex combustionis progressu referat unius, eiusdemq. ignis lationem. Aliquando etiam eadem ignea uirtus nebulis unde quaque inclusa, ob naturæ suæ mobilitatem, egressiorem intendens circumuoluitur. Tunc autem sonitus vehementiores redduntur, ipsa scilicet tonitrua.

Sæpius etiam egrediens ignescit, & coruscationes efficit. quod si diutius intra nebulas detenta, fortius constipetur, ex viscosiori parte petrescens, fulmina parit, quæ plures differentias admittent, ob multiplices tum recipientium dispositiones, tum agentium vires.

Dum uero ignearum qualitatum uis ita firma, & consistens est, ut libere transcendat ad superiorem aëris partem, quandoque ob frigoris occurrentis uolentiam magis igneas qualitates ad intimiora contrahit, tandemq. accensa plures aspectus obijcit, pro quantitatis, figuræ, ac constipationis diuersitate. Itaque, dum perfecte adhuc non consistit, neque ignem ex cælestium agitationum raptu conceptum diutius fouet, obijcit decursus sparsorum siderum, qui sereno aëre, & nocte fiunt, & cælestem delationem sequuntur. Dum uero ignis conceptus, interne utcumque nutritur ex aliquo propriæ materiæ humore viscosiori, seu etiam, quoniam exhalationis fluxus ab inferioribus ad eundem terminum tendens, diutius perseuerat,

ac

ac firmiora alimenta suggerit, combustio diuturnior erit, ac sideris criniti uocem sortietur.

Talis ignis dicitur sidus, quoniam permanet, ac stellas imitatur. Dicitur crinitum, quoniam uapores circumpositi, ac tenuiores, simulq. accensi si referantur ad partem densiorem, crinium aspectum referunt.

Eadem autem crinita sidera quandoque Cometæ appellantur, quoniam hi crines ad superiora tendunt, ac totum quasi uerticem hispidum reddunt: Quandoque Barbata, quoniam crines in parte inferiori consistunt: Quandoque dicuntur habere caudam: nam crines tendunt ad partem orientalem. dicimus ad partem orientalem, quoniam pars rarior trahitur a densiori. Itaque, dum tota exhalatio, cælestium motuum uel defertur ab oriente in occidentem, cauda ex his rarioribus consistens, partem orientalem ex necessitate respicit, neque uilla ratio afferri potest, qua demonstretur, caudam ad occidentalem, seu borealem, seu australem partem respicere, cum præsertim communis sententia sit, uentorum flatus ad superiorem hanc aëris regionem perducere non posse. Hæc tamen intelligenda sunt, dum crinita sidera ita distant ratione latitudinis ab unaquaque cælestium stellarum, ut ab illarum unaquaque seiuncta, intueri possint. Dum uero cum aliqua stella concurrunt, cernunturq. tamquam illi adiuncta, ex unaquaque cæli parte, prout accidit, protendi poterunt. Talia autem sidera pauca, ac raro fiunt, quoniam deducendæ sunt ex copulatione uehementis caliditatis, aereq. humiditatis ualde subtilis, simulq. uiscosæ, quæ raro generatur, ac longerrarius intra tropicos ob firmiorem Solis, siderumq. lationem, quæ non modo calidum non colligit, uerum etiam id, quod consistit, segregat. In regione uero lactei circuli, ubi stellarum uis est infirmior, plurimæ exhalationes congregantur. Itaque tales stellæ in ea ut plurimum apparere solent. Ob simile etiam temperamentum, cometæ minantur siccitatem, uentorum uim maximam, atque etiam contagia.

De

*De his, quæ sunt ex fumosa exhalatione in inferiori, ac media aeris regione,  
seu de ventis.*

*Cap. XIII.*



**D**V M eadem fumosa exhalatio rarior, ac infirmior est, ideoq. ad aeris purioris naturam magis accedit, mediam aeris regionem uel nullo modo, uel uix ingreditur: densiorum enim, simulq. humidiorum exhalationum obsistit uis, qua, propria mobilitate facile assentiente, ad inferiora repellitur. Huic uero exhalationi, siue mediam regionem attingat, siue non attingat, proprium uidetur esse, susceptos cursus non recte, sed oblique peragere: quatenus enim est calida, & sicca, tendit ad superiora: quatenus est rarior, neque intense calida, oblique potius ascendit, quam recte, aere etiam illius motui utcumque obsistente. Itaque, dum deflectitur ad superficiem elementorum inferiorum, velocissime circumuoluitur, cum præsertim eidem uelocitati non parum faueat aeris, per quem motus exercentur, mobilitas, summaq. propensio ad easdem circumuolutiones fouendas.

Accedit etiam talis exhalationis frequens ortus, ac raro intermissus: ex quo euenit, ut copiosa similium accessio, mouendi uirtutem roborat, adaugeatque.

Huius autem exhalationis copia facile demonstratur ex summa uertate causarum suarum, nec non ex magna aeris dispositione ad eandem formam recipiendam, talesq. impulsus exercendos.

Quod enim ad causas attinet, manifestum est, ea omnia, ex quibus tam uaporosæ, quam aliæ fumosæ exhalationes generari possunt, huic etiam exhalationi materiam præbere, neque illarum ullam absque huius associatione educi: quin etiam uaporosa omnia, si uis calefaciens intendatur, seu non recedat, ad huius exhalationis naturam sæpe conuertitur. Horum autem unumquodque ex lignis igni apposis, satis conspicuum redditur. nam ex illis educuntur flamma, quæ fumosæ exhalationi calidiori, ac facile inflammabili, proportionem respondet: fumus, qui licet hac exhalatione fumosa sit densior, eam tamen uidetur referre; & aqueus quidam effluxus, qui ad uaporosæ exhalationis naturam magis accedit, quamuis illa sit similiter densior. Patet autem, neque flammam, neque aqueos effluxus absque fumo educi posse, cum fumus sæpe solitarie effluat. Præterea infirmior ignis ex quouis combustibili fumum facile extrahit,

trahit, flammam uero, & aquam non ita facile. Ligna etiam uirentia, quæ non facile ardent, plurimum fumi emittunt, tum solitarie, tum una cum aqueo effluxu, qui tandem ad fumi naturam conuertitur. Ea quoque, quæ flammam concipiunt, si post remissam caloris uim ardere desistant, adhuc tamen fumigant, quin etiam diutius, ac longe intensius. Et hæc quidem facile (ni fallimur) demonstrare possunt copiam huius fumosæ exhalationis tenuioris, quæ flatus continet, ac uentos parit.

Cum autem oriri possit tam ex terra, quam ex aquis, ex terra oritur facilius, sed ex materiæ defectu minus copiose: orta tamen diutius perseverat. Ex aquis contra, oritur difficilius, sed ob materiæ copiam uerius: orta uero facilius deficit. Horum causæ facile attingi possunt. patet enim ea, quæ ex terra eliciuntur, ob terream siccitatem minus frigida, ac minus humida esse, Ideoq. aptissima reperiri ad intensiorem caliditatem, ac siccitatem suscipiendam, neque tantum, dum calefaciens uirtus est firmior, sed etiam, dum caliditas infirmatur.

Eadem quoque sicuti ob humidi non adeo copiose minus abundant, ita semel orta diutius spirant, quoniam terrea siccitas calefacienti uirtuti consentiens, eam amplexatur, ac firmius retinet, terrea præsertim densitate fauente. Contra: ea, quæ deducuntur ex aquis, frigiditatis, ac humiditatis uim firmiorem retinent, difficiliusq. interne calefcunt, & exiccantur: attamen, si uis calefaciens intensa sit, siccitate interne concepta, eo copiosiores flatus generant, quo uerius humidus uapor præcedens, ex aquis elici solet. Hi uero flatus facilius extinguuntur, quia calefaciens uirtus ab aqua amplecti non potest, ideoq. ea recedente, simul flatuum fomites extinguuntur. Euenit igitur, ut maria interdum maiorem uentorum copiam pariant, quam terra: noctu uero terra ut plurimum in horum flatuum emissionem maria excedat.

Easdem ob causas marini flatus sunt uehementiores, terrestres autem placidiores: &, dum exhalatio uaporosa maxime uiget, fumosæ exhalationes difficilius eliciuntur tam ex terra, quam ex aquis: hæ enim sibi inuicem utcumque aduersantur.

Quapropter neque pluuie uentos, neque uenti pluias compatiuntur, quamuis ob similes qualitates sibi inuicem succedere soleant. At inquirendum nunc est, quibusnam de causis uentorum cursus ad unam potius, quam ad aliam partem flectantur: hoc si-  
quidem.

quidem quammaxime confert non tantum ad uentorum differentias præcipuas, certioresq. proprietates percipiendas, sed etiam ad illa clarius inspicienda, quæ eorundem uelocitatem demonstrare possunt.

Videtur, has causas quattuor esse, harumq. nonnullas quandoque sibi inuicem aduersari, quandoque uero sibi inuicem fauere.

Prima sumitur ex maiori, minorie raritate, ac puritate aeris, per quem transitus est exercendus. Secunda ex naturali declinatione, ac fuga illius, quod obest, & destruit. Tertia ex extranei corporis ad certam aliquam partem impulsu. Quarta ex extranei corporis ad certam aliquam partem attractu. Hæc attendentes, rationem reddemus, cur uenti ut plurimum solis motum ea ratione sequantur, ut, Sole in partibus orientalibus existente, uenti orientales ut plurimum uigeant: eodem uero uersus Meridiem constituto, uentorum australium magna sit uis: similiq. ratione Sole uersus Occiduum deflectente, occidentales uenti spirent: Solis siquidem radij inferiora calefacientes, ea magis rarefaciunt, circa quæ refranguntur, illisq. sunt e regione, aeremq. adiunctum puriorem reddunt.

Demonstrabimus etiam, occidentales uentos Veris tempore firmiores esse, ac utin pluribus spirare, Autumni tempore orientales: Hiemes uero, ac Æstates minus uentosas esse: ideo enim ueris tempore flatus sunt occidentales, quoniam Solis accedentis vires, circa occidentalia præcipue adaugeri incipiunt: Sole nempe oriente, radiorum reflexorum uim primo recipiunt, atque ita ab ortu usque ad uesperam concalescunt, ut nocturnam frigiditatem fortius sustinere possint, quod Orientalibus partibus non accidit. nam Sole tantum declinante, radij ad ea refranguntur. Itaque infirmius calefiunt, neque nocturnæ frigiditati resistere possunt. Econtra, Autumno uenti orientales ob causas oppositas inualescunt.

Hiemes, Æstatesq. sunt minus uentosæ, quoniam uehementior æstatis caliditas exhalationes omnino resoluit, vel ad intensiorem caliditatem perducit; & fortior hiemis frigiditas, infirmæ flatuum caliditati resistit, neque patitur, eos educi.

Veris tempore maior caliditas flatus inducit, quia hiemis tempore ex uehementiori frigore prohibentur. Econtra, quoniam uehementior æstatis caliditas flatus amouet, Autumni aliqualis frigiditas eosdem restituit. Ex his etiam euenit, ut uenti orientales occidentales sint calidiores. quod tamen de his intelligendum est,

qui

qui neque ad septentrionem, neque ad Meridiem deflectunt, ut puta Fauonius, qui simpliciter est occidentalis, & Subsolanus, qui simpliciter est orientalis: hi enim ex his partibus spirant, quas Æquinoctij tempore Sol oriens, ac occidens perlustrat. Reliqui uero, qui uergunt seu ad septentrionem, unde Aquilo spirat, seu ad Meridiem, unde Auster oritur, ex septentrionis frigiditate frigidiores, & ex Meridiei caliditate calidiores redduntur. Quapropter Vulturinus, qui ab ortu brumali spirat, & utcumque est Meridianus, Ergeste illi diametraliter opposito, duplici ratione calidior apparet. Ergestes enim, quoniam ab occasu æstiuo oritur, simul occidentalis, & septentrionalis appellari potest.

Ventus uero, cuius exordia summuntur ab ortu æstiuo (siue Cæcias, siue alio nomine appelletur) Africi, qui ab occasu brumali flat, frigiditatem eisdem rationibus excellit. nam Orientalis est, & septentrionalis, Africus uero Occidentalis, & Meridionalis.

Flatus septentrionales ideo ad Meridiem deflectuntur, quoniam aeris Zona, quæ Solis, ab oriente in occidentem delati, calores quotidie proximius, ac firmiter recipit, est longe purior ea aeris parte, quæ ad septentrionem uergit. Itaque hi flatus septentrionales ad meridionalia, tamquam rariora, & puriora, necessario proni, ac propensi sunt. Australes uergunt ad septentrionem non ob aeris puritatem maiorem, cum australis plaga septentrionali sit longe rarior, ac purior: sed quoniam corruptentia declinant, uehementiorem uidentur caliditatem. Itaque calidioris naturæ sunt, & æstiuæ potius, quam hiemales. Uterq. uentorum ordo diutius spirare solet: quoniam tam Australis caliditas, quam Borealis frigiditas sunt intensiores, ac diutius uigent. Eadem uero corruptentium fuga aliud quid mirabile efficere uidetur. ut scilicet, nulla fortasse flatuosa, uentosaq. exhalatione posita, purus aer seipsum colligat, ac uentorum more effundatur. Hoc satis apertum est, dum conualles niuibus consistentibus unde quaque obteguntur: tunc nempe conualles ita spirare solent, ut, repulsis uentis certæ nauigationi fauentibus, talis nauigationis cursum interturbent, idq. tam interdium, quam noctu.

Rationi uero consonum est, tales impulsus septentrionalibus uentis sæpius adiungi ob regionis naturam, niuesq. assiduas, qui bus septentrionalis plaga obtegi solet, ob idq. eosdem rigidiores, & acutiores reddi, sicuti etiam ob earundem niuium resolutiones, pluuia- rumq. assiduitatem sunt Australibus copiosiores. Hi uero impul-

Ll sus,

sus, siue ab ipso aere tantummodo ortum ducant, siue aliorum ventorum robore exercentur, semper viribus attrahentibus roborari solent, sicuti etiam attractionibus impulsus aliqui necessario superadduntur: ventis siquidem impellentibus, aeris partes, tam retro, quam ante constitutæ, ob innatam mobilitatem non tantum his assentiuntur, sed etiam se inuicem, ac ventos ipsos impellunt, & attrahunt, Natura præsertim non permittente, vacuum dari.

Neque tamen ob id sentiendum est, singulos ventorum flatus, aerisq. agitationes singulas, in infinitum procedere. quamuis enim aer maxime mobilis sit, illius tamen motus, quatenus cælestium agitationum limites excedat, violentia omnino non caret.

Quapropter, si impellentium, ac attrahentium vis infirmetur, atque deficiat, hos etiam motus remitti, tandemq. intermitteri sentiendum est. Inter ea autem, quæ impellentibus, attrahentibusq. ventorum, ac flatuum virtutibus, feruntur accepta, præcipuum locum obtinet dominatus ventorum, qui interdum ex aquis oriri solent: hi siquidem non raro noctu etiam spirant, neque tantum circa maria, a quibus terræ distant, sed etiam, terrestribus ventis repulsis, circa litora, ac terras intimiores: sæpius tamen ipsis ventis terrestribus vehementius irruentibus, repelluntur. Quamobrem nauigantes, dum marinorum ventorum vis noctu refrangitur, coniectare solent, terram non longe abesse, simulq. deducuntur in nouam spem, nauigationis scilicet cursum, terrestrium ventorum auxilio, breui feliciorum futurum. In Oceano autem, maribusq. vastioribus, cursus æquabiliores, ac perenniores sunt. nam venti, qui in mari generantur, terrestribus flatibus non perturbantur. Itaque eundem deflexum facile retinent.

Econtra, dum maria sunt angustiora, terrestres venti hinc, atque inde spirantes, marinos flatus perturbant, atque etiam sibi inuicem aduersantur. Ex quo euenit, vt huiusmodi maria tempestatibus agitari soleant, sicuti etiam terræ ipsæ ventorum aduersos incurfus sæpius experiuntur, atque eo frequentius, quoniam flatus, qui ex terra effluunt, sæpe oriuntur non ex terrarum superficie, vt in mari euertit, sed ex montium lateribus, quibus aliorum montium latera e regione obijciuntur, flatusq. ex aduerso effluunt. Hos tamen incurfus in parte superiori circa nebulas primo exerceri censendum est: nam flatus ad superiora primo feruntur, licet non recte.

Præterea, nisi ex pluribus terræ, & aquarum partibus flatus concurrant,

currant, vehementior ventorum uis exerceri non potest, sicut nec flumina constituuntur nisi plurimæ aquarum venæ associantur. Hi autem uentorum aduersi incurfus quandoque eorundem uentorum impetum ita ad diuersa rapiunt, ut his, qui longius distant, quasi nebulæ velocissime accedentis terrificum aspectum exhibeant. Idem sæpius procellas, ac turbines pariunt: procellæ enim nihil aliud sunt, quam ventorum sibi inuicem aduersantium aggressiones uehementiores. Turbines uero fiunt, dum se inuicem etiam amplexantur, neutroq. cedente, uterq. communem conuersionem exercere cogitur.

Huius autem tanta vis est, ut maxime arbores ab eo radicitus euellantur, & dum supra mare fiunt, maria circumuoluant, nauesque, quamuis magnas, sæpe absorbeant. Hi tamen marium gurgites etiam absque ulla uentorum uis fieri solent, dum scilicet aquæ deferuntur ad diuersa cursu uelociori, ut in Sicilia Charybdi, & Scylla.

Ad pleniorum autem uentorum doctrinam addendum uideretur, illorum naturam ex locorum, per quæ transeunt, qualitatibus, & affectionibus sæpe immutari, ideoque nonnullos ex propria natura frigidiores, ac salubriores, calidos, ac nocuos quandoq. reddi, & e contra.

*De Maris constitutione, de fontibus, ac fluminibus. Cap. XV.*



ED rursus contemplatio ad aquæ, terræq. elementa reuocanda est. ea enim, quæ in aere generantur, sicuti ex grauioribus elementis deducuntur, ita ad eadem reuertuntur, seu certe illa respiciunt, eisdemq. ministrant. Præcipue uero statuendum est, aquæ elementum ex ea parte, qua terra emergente, ac ad superiora attracta, ad magis infima colligitur, ob summam illius amplitudinem Mare appellari. Huius forma varia est, & incerta. nam, dum marinæ aquæ seu ex vi cælestium luminum fluunt, ac refluent, seu ex uentorum flatibus uehementioribus exagitantur, terrarum non parum corrodunt, atque ipsum Mare expandunt, ita tamen, vt, quod ex una parte absorbent, alibi euomant: vniuersi enim corporei facies ex cælestium lationum, ac luminum uiribus simul & oritur, & conseruatur, Ideoq. inferiorum uires ea, quæ ad vniuersi bonum pertinent, amouere, seu perturbare nulla ratione possunt. Pater autem, inten

hæc certam terrarum emersionem præcipuas obtinere partes. Licet igitur ob certos stellarum concursus inferiora nonnumquam vehementius arescant, ipsaq. maria magis contrahi possint: nonnumquam vero econtra, magnæ fiant aquarum exuperantiæ; hæc tamen, si Naturæ tantum attendantur vires, neque totam aquarum molem, neque omnem terram demergere, neque diutius permanere possunt. impossibile enim est, ea, quæ a toto cælo fiunt, ab illius parte destrui, cum præsertim, cælorum orbibus proprios cursus non intermittentibus, certi stellarum aspectus diu persistere non possint. Cur autem marinis aquis proprium sit, salitudine affici, ex his demonstrari poterit, quæ dicenda sunt de concoctionibus, & in concoctionibus, necnon de his, quæ tum concoctionem, tum inconcoctionem sequuntur. neque enim absque horum perceptione harum affectionum rationes afferri possunt. Terra vero emergens, (vt ex superioribus colligere licet) vnde quaque aliqua ratione fermentatur. cælestis nempe vis calefaciens, dum aquas ab ea imbibitas ad æreas qualitates deducit, illius fermentationem assidue fouet. Euenit tamen, vt terræ partes non pauca, quæ prius fortasse fermentatæ erant, vehementius constipentur, simulq. ad angustius spatium redigantur: in frigidans siquidem motuum cælestium vis ob terrarum moles superpositas a calefaciente cælestium luminum virtute aliquibus in locis retundi non potest, cum præsertim stellæ nonnullæ eidem faueant frigiditati.

His autem terrarum partibus sic contractis, cauernosa non pauca intra terram oriri necesse est, hæc q. simul aere repleti. nam vacuum dari non potest. Easdem etiam ob causas talis aer dum firmiores frigoris aggressiones assidue patitur, propria exiit caliditate, & in aquam indefinenter conuertitur. Hinc deducuntur fontium, ac fluminum maximorum exordia. aquæ siquidem in cauernosis conceptæ, dum inferiora petunt, ac per terræ solidioris rimas deferuntur, prout regionis constitutio patitur, breui ex necessitate concurrunt, & inceptos cursus simul prosequuntur, tandemq. pro illarum quantitate seu fontis, seu fluminum denominationem accipiunt. Hæc vero aquæ quandoque per breue, quandoque per longum spatium sub terra fluunt, eandemq. corrodescentes, secumq. trahentes, cauernosa non parum adaugent. Quod si illarum cursus ab eminentioribus vnde quaque interrumpatur, dum stagnant, lacus pariunt, quorum tamen plurimos, (præsertim si aliquanto la-

tiores

riores sint) supra terram apparere credendum est. Hæc vero fontium, fluminum, & lacuum aquæ, sæpius dulces sunt, seu nullo sapore affectæ, quædam tamen redduntur seu acidæ, seu falsæ, seu amaræ, seu alterius saporis, ob qualitates terræ, per quam fluunt, seu in qua detinentur.

At de his postmodum dicendum erit, dum versabimur circa saporum naturam, & causas.

## De Terræmotibus.

## Cap. XVI.

**I**SDEM cauernosis, seu aquas aliqua ex parte contineant, seu aquis careant, ascribendæ præcipue sunt terræ agitationes, ac motus. in his enim sæpius continentur fomites flatuum, seu ventorum, qui eo crassiores, ac densiores sunt flatibus, ac ventis, qui ex terræ superficie oriri solent, quo terræ interna supernorum humiditatem, ac densitudinem excedunt. Ad idem etiam plurimum confert cælestium luminum circa hæc interna, infirmior virtus, quæ, dum plene exicare non potest, harum exhalationum generationi non parum fauet. Ratio vero, ob quam his flatibus, flatuumq. fomitibus interne constitutis, terræmotus fiant, ex ipsius flatus natura deducenda est. hæc siquidem, cum ignea virtute sit prædita, & celerrime fertur, & vehementer aggreditur, simulq. aptissima est ad concussionem, tremoremq. inducendum circa id, quod hac ratione percutitur. Raro tamen terræmotus fiunt, quoniam ea est ventorum natura, vt, dum illis exitus intercluditur, imperum magna ex parte remittant. Patet autem, in subterraneis decursus liberos non esse, cum cauernæ vt plurimum solidis interrumpantur. Ad ipsos igitur terræmotus excitandos requiritur, vt flatus, qui sunt in cauernosis, vel adaugeantur quamplurimum, ita vt se inuicem vrgeant, vel externa aliqua vi excitentur. Euenit ob id, vt cælo tranquillo, circa meridiem, noctu luce propinqua, Veris, & Autumnii temporibus, terræmotus excitari soleant. tunc enim maior exhalationis est copia, noctu vero vehementius, ac sæpius terra quatitur. nam noctu spiritus terrestres magis vigent, tuncq. terræ frigiditas exhalationibus resistens, spiritus interne claudit, ac roborat, quod etiam pluuio tempore accidit humidi vi. Ventis etiam flantibus terræmotus fiunt, & circa ea loca, vbi mare fluidum est: externus siquidem uentus

ventus internum per uaporosa aggreditur, atque exagitat, idemq; ob marinorum fluctuum frequentes percussiones euenit. hæc tamen euaporationem impediunt haud secus, quam pluuiæ, quæ terræ motui quidem fauent, quoniam internos spiritus roborant: eidem tamen aduersantur, quoniam uentorum externorum internos incurfus prohibent. Siccitas uero e contra, terræ motui fauet, quoniam externis flatibus aditum præbet liberiolem; & eidem aduersatur, quoniam, dum externa uis obsistit, internis exhalationibus faciliorem egressum præbet.

Calus etiam magnæ alicuius molis, terræ motum inducere solet. tunc enim interni spiritus necessario exagitantur, terramq; concutiunt. Ipsius autem terræ concussiones uehementissimæ, ac longe frequentiores sunt in Insulis, ac Peninsulis, quoniam subterraneis cauernis abundant ob occultos maris ingressus. Hoc satis euidens est, ex Euboæa, Achaia, Helleponto, Sicilia, & alijs insulis. Eadem etiam marinos uentos uehementiores patiuntur, & a magnis fluctibus assidue percutiuntur. quorum unumquodque terræ motui fauet. Minus tamen his obnoxia erunt, si cauernæ lapideæ sint: tales enim cauernæ terræ motus non pariunt: lapides nempe difficile commouentur. Inter terreas autem cauernas illæ difficiliter exagitantur, quæ sæpiuntur terra sicciori. nam talis terra si consistat, ob poros liberiores minus claudit spiritus, & eorundem impulsus fortius sustinet.

Terra uero mollior e contra, ob humorem spiritus claudit, & ob internam infirmitatem agitationibus minus resistit. Tripliciter autem terra concuti solet. aliquando enim ad tremorem impellitur: aliquando flatuum vi extollitur, & deprimitur: aliquando mouetur secundum latera per modum accessus, & recessus. Tremor oritur, dum flatus minor est quantitas, & hæc certum motum non habet: egressionem siquidem, seu diuersionem perquirens, incerte agit, & tremorem inducit. Dum mouens uirtus est fortis, & circa unam tantum cauernam apparet, terra deprimitur, ac extollitur: sæpe etiam, si agitationes uehementiores, ac diuturniores sint, abscedit, & ex depressionis motu hiatus parit: ex sublimatione autem subuersiones. Dum terra mouetur per latus, flatuum uis ingens, duas saltem cauernas sibi inuicem coniunctas agit, ita tamen, ut inter utramque fulcrum aliquod constituatur. tunc enim dum pars una deprimitur, altera sublimatur, & e contra.

Quod

Quod si spirituum impellentium uis uehementior, fulcrum deiiciat, terræ superficie unde quaque concidente, maximus efficietur hiatus. Et hæc quidem in his locis sæpius euenire solent, quæ aquarum alluionem patiuntur. aquæ enim fulcra humectant, eademq; seu deiiciunt, seu deiectioni obnoxia reddunt. Ex huiusmodi terræ depressionibus, & conuersionibus, nonnumquam aquæ apparere solent, quandoque etiam ignis, seu quæ ex ignea uirtute combusta sunt, cineres uidelicet, & pumices. hæc tamen conuersionem potius, quam depressionem concomitantur. nam ignea uis ad superiora fortius impellit. Oritur autem ignis in cauernosis aliquando ex confricatione uenti exterioris, qui ad interna ruit, circa terræ aridioris rimas, (confricatio enim calefactioni, ignisq; generationi fauere solet,) aliquando ex interna caliditate, quæ parit exhalationem: ipsaq; exhalatio ex circumposita frigiditate constipata, ad igneam naturam perducitur. Hi autem ignes facilius excitabuntur, dum aridiora, ac spungosiora occurrunt, atque etiam, dum sulphuris, seu auripigmenti, seu salium materiæ obijciuntur. hæc enim (ut suo loco demonstrandum erit) facillime ignescunt. Quædam etiam ignem diutius retinent. quapropter post terræ motus nonnumquam sequuntur incendia: nonnumquam etiam combustorum cinis copiosus uentorum uis extollitur, qui si ab aquis recipiatur, eas falsas, amarasue reddit. nonnumquam etiam profiliunt aquæ copiosiores, quarum aliquæ sunt calidæ, & sulphuræ. quandoque etiam oriuntur stagna falsa. Credendum quoque est, ex eadem ignea uirtute flatuum fomites firmiores constitui, Ideoque, dum a uiscosiori materia retinentur, atque diutius serpunt, diuturniores terræ motus induci. Hi tamen intermittere solent, quoniam, dum terra concutitur, interni flatus facilius per rimosa effluunt, atque agitationem eousque relaxant, donec terra iterum constipata, flatibusq; ex fomite indefinenter prodeuntibus, concutiendi uis rursus reparatur, haud secus, quam in febricitantibus euenire solet, dum febris intermittit. Protrahuntur autem hæc terræ concussiones, quandoque ad quadragesimum diem: quandoque etiam annum complent, suntq; seu frequentiores, seu minus frequentes, pro diuersa quantitate, ac qualitate materiæ, in qua uis ignea continetur. materia enim existente calida, & acuta, ignea uis fortius quidem, ac frequentius mouet, sed citius transit.

Dum uero materia est hebes, & lenta, mouet infirmius, sed tempore



pore longiori, ac febris quartanæ naturam redolet. Videtur ad hæc etiam non parum conferre cauernarum constitutiones, ac naturæ. nam, dum cauernæ ualde profundæ sunt, ac terra magis compacta clauduntur, terræmotus diutius durat. Dum uero sunt prope superficiem, & habent latera rariora, breuius terminatur: in his enim exhalatio facilius perficitur.

Ipsium autem terræmotum soni sæpius & præcedere, & concomitari solent.

Præcedentes primo sibili, seu susurri, mox mugituum sonos imitantur. concomitantes uero, confricationes uehementiores referunt, quæ tandem ad confractionum uoces perducuntur. Eundem terræmotum præcedere solet aeris circa terram quies: (ex hac enim colligere licet, uentorum materiam omnem interne retineri) Eiusdem aeris frigiditas, quæ arguit, calorem interne claudi, ac constipari: aspectus nigrarum nubium circa Solem extensarum, præsertim uespertino tempore, qui indicat copiam densioris spiritus interne detenti, simulq. demonstrat uehementiorem terræmotum, ac breui futurum.

Vaporibus uero, ex quibus oritur terræmotus, terra ob has agitationes disrupta, proficientibus, Sol, Luna, & Stellæ obscurari solent, ac ad sanguinis nigrioris aspectum deduci. nam tales vapores sunt terrestres, ac ualde fumosi, simulq. nigri, spissi, ac fuliginosi. Eandem etiam ob causas, nebula nigriores redduntur, præsertim si combustio aliqua interne præcesserit, & cinis, qui sæpe plurimus est, interiorum uentorum flatibus extollatur.

Quandoq. pestilentia etiam ipsum terræmotum consequi solet: vapor enim intra terram occlusus, dum ex caloris defectu ad lentorem deducitur, primarumq. qualitatum naturalem ordinem dirumpit, ueneni naturam (quod experimento etiam patet) sæpissime concipit, quam dum effundit, pestilenter inficiat necesse est.

Hanc autem infectionem oues præcipue imbibere solent, tum quoniam natura sunt infirmiores, tum etiam quoniam diutius terram ore, & naribus tangunt.

*De quattuor terrarum, & aquarum differentijs præcipuis, ex quibus quattuor mixtorum præcipuorum ordinibus materia constituantur.*  
Cap. XVII.



**L**UMINVM, ac fontium internæ, externæq. irrigationes, accedentibus pluuijs, ac ceteris, quæ ex uaporosa exhalatione superne gignuntur, & ad inferiora decidunt, in causa sunt, ut non tantum terræ fermentatio, quæ cælestis calefactionis uis ad ariditatem impellitur, retineatur, sed etiam, ut quattuor terrarum differentiæ, totidemq. aquarum exoriantur, atque ut aer circumpositus non dissimili ratione immutetur. aquæ siquidem, quatenus ad terræ intimiora libere, ac copiose influunt, tamquam consona frigiditate affectæ, uehementius amplecti solent ab inferiori parte terræ, quæ aliquanto frigidior est: euenitq. ob id, ut ipsa terra ad maximam compactionem, ac densitatem deducta, cretæ naturam suscipiat: aquæ uero illi ad hærentes, pinguiorem quidem habitum adipiscantur, sed a propriæ naturæ puritate non omnino recedant.

Quare, si quis accepta ratione ex quattuor elementis, comparet has terras alijs terrarum speciebus, has aquas ceteris aquis, aeremq. circumpositum ceteris aeris partibus, facile percipere poterit, terras proportionem respondere terræ elemento, aquas aquæ elemento, aerem uero circumpositum, qui aqueam hanc humiditatem concipit, aquæ naturam referre, præsertim si locus sit cauernosus.

Et talis quidem terra, talisq. aqua, lapidum omnium generationi, proprii ratione deseruiunt. Dum aquæ per certam aliquam terræ partem assidue delabuntur, ac fluunt, terræ pars eas admittens, ob assiduos ingressus, ac recessus aquarum labentium, & decurrentium neque plene constipari poterit, neque ob terræ, & aquæ frigiditatis amplexus conglutinatione omnino carebit. Quare deducetur ad grana quædam minutiora, creta ipsa duriora, ac firmiora, arenarumq. naturam, & formam recipiet. Hæ uero arenæ crassiores erunt, si, uel aquæ crassiores aliquanto sint, & cursus sæpe interponant, ut in maris littore accidit: uel cursus sint subterranei. tunc enim uehementior frigoris uis huic conglutinatione magis fauet, & cursus remissior minus disiungit. Aquæ autem per arenam hanc decurrentes, nisi alia ratione inficiantur, ut accidit marinis aquis, ac quibusdam fluuijalibus, omnium purissimæ erunt.

Quamobrem, sicuti arena ad alias terrarum species relata, aquæ elemento proportione respondere videtur; ita talis aqua, vel ignis, vel purioris aeris naturam referet. eademq. differentiaæ aeri infigi videntur, præsertim dum aquæ profilientes, fontes constituunt. tunc enim aer circumiectus purior redditur, ac propriam naturam longe firmiter retinet. Has autem terras, & aquas, metallis omnibus materias suppeditare existimamus.

Dum aquæ terram interpollate humectant, ideoque neque bibulam ipsius naturam ad plenam saturitatem perducunt, neque permittunt, eam cælestium luminum calefacientium vi rarefieri, terra, ob has interruptas tum ablutiones, tum calefactiones, rarior, tumidiorq. efficitur. nam aquea substantia ab ea imbibita, simul calidior redditur, expanditur, & dilatatur, aereamq. humiditatem iam refert. Neque tamen talis terra vere putrescit. nam nulla adhuc vehementior lucta constituta est inter igneas, & aqueas qualitates. Itaque pinguis rectissime appellari poterit.

Aquæ ad huiusmodi terras pertinentes, duarum specierum videntur esse. quatenus enim fluunt, & per terræ superiora absque vlla mora transeunt, impuriore fortasse sunt, sed sapius leues. quatenus vero immorantur, licet ob ventorum agitationem non putrescant, terrea tamen qualitate necessario afficiuntur, & crassiores fiunt. Harum aquarum vtraque, altera ob impuritatem, altera ob densitudinem, ad reliquas aquarum species relata, terræ elemento proportione respondet. Quare vtraque etiam fecunda erit. Terra vero, quæ ob raritatem similiter est maxime fecunda, ad ceteras terrarum species comparata, aeris elementum referre videtur, ideoque in circumiecto aere aeream naturam similiter fouet. Hic tamen (nisi motus velocitas medelam afferat) quandoque ob aquæ vapores densior redditur.

Tales terræ, & aquæ suggerunt materiam viuentibus omnibus, quæ ex putribus generari solent. Dum aquæ absque vlla agitatione, terræ indefinenter assistunt, & ab illa ultra omnem saturitatem imbibuntur, terra quidem calefactionem recipiet ex ignea cælestium luminum vi, sed non perfecte ob aquarum insistentium impedimenta, quæ similiter calefiunt, nec tamen consumuntur. Euenit igitur ex hac lucta perenni, vt terra ad summum spungositatis accedat, simulq. ferida fiat, aqua autem crassior reddatur, simulq. fetens. Terra hæc, ignis elemento recte assimilabitur: deducitur  
siquidem

siquidem ad maximam leuitatem, & vires ad externa diffundere potest. Aqua vero ob eandem vim ad idem elementum deduci poterit, licet ob maiorem crassitudinem terrea appareat. Aer circumiectus terreus similiter appellandus erit.

Ex his terris, & aquis, tamquam ex propria materia, generari solent sales, sulphur, & atramentorum genera omnia.

Supradictæ terrarum, & aquarum species magnam latitudinem habent, continentq. differentias plurimas. quod euenire manifestum est ob stellarum deflexiones, aspectusq. multiplices, ac ob regionis positionem, seu montanam, seu campestrem, seu occlusam, seu apertam. Accedunt etiam ventorum flatus, qui non parum conferunt ad naturam aeris immutandam: deferunt enim vapores remotiores, & proximiores expellunt.

*De temperamentorum, ex quibus perfecta mixta constituuntur, essentia, & causis tam efficientibus, quam materialibus. Cap. XVIII.*



**M**IXTA perfectiora, quorum materias iam delibauimus, constituuntur ex concordia elementalium qualitatum associatione, seu ex certo illarum temperamento.

Eas autem elementorum qualitates nunc intuemur, quæ in illis agendi, ac patiendi vires primo exercent, caliditatem scilicet, & frigiditatem, humiditatem, & siccitatem. Harum autem unaquæque (vt ex superioribus patet) ex adiunctæ qualitatis diuersitate quodammodo duplicatur, ideoque ignea caliditas differt ab aerea caliditate, ignea siccitas a terrea siccitate, aerea humiditas ab aquea humiditate, & aquea frigiditas a terrea frigiditate.

Ceterorum vero ordinum qualitates, quæ seu elementis tantum, seu mixtis tantum, seu vtriusque inhære solent, vt puta, graue, & leue, molle, & durum, & ceteræ eiusdem ordinis, necnon sapores, odores, soni virtutes, ac colores omnes, ad temperamentorum constitutionem primo non pertinent, sed vel essentialiter, vel accidentaliter temperamenta concomitantur.

Primæ etiam qualitates tunc tantummodo temperamentum, ac mixtum constituunt, dum non ex externa, sed ex interna vi sibi inuicem copulantur. caliditas siquidem, quam exempli gratia, lignum experitur ex ignis propinquitate, ad illius temperamentum non per-

tinet, sicuti neque hominis febricitantis calor humanum temperamentum ingreditur. patet tamen, harum qualitatum vnamquamque licet rebus accidentaliter insit, illarum temperamenta non tantum immutare, sed omnino etiam destruere posse. nam agendi virtute sunt præditæ, & ijs aduersantur, quæ constituunt rei subiectæ temperamentum.

Qualitates vero, quæ præcipue ad temperamentorum constitutionem pertinent, quatenus temperamenta ingrediuntur, necessario vt cumque remittendæ sunt, seu certe a compari qualitate seiungendæ, ita tamen, vt illius vestigium vt cumque retineant. nouimus enim, siccitatem, dum a frigiditate penitus destituitur, terream vltimè non esse, sicuti neque frigiditas erit terrea, si nulla penitus siccitas adsit. idemq. de ceteris dicendum erit. Tunc igitur harum qualitatum vnaquæque a sua compari disiuncta censetur, dum compar qualitas ita infirmatur, vt proprias vires non effundat.

Id illarum vnicuique accidere potest, ignea tantum caliditate excepta. hæc nempe, quacumque ratione mixtis adhæreat, absque ignea siccitate non datur, licet ignea siccitas absque illa subsistat.

Elementales autem qualitates pluribus rationibus ab inuicem disiungi possunt. quandoque enim illarum vnaquæque patitur, quandoque altera tantum. & hæc quandoque omnino expellitur, quandoque non omnino, sed ex parte. Quacumque autem ratione id fiat, semper id, quod subijcitur, ex aliarum qualitatum elementarium ingressu refici debet. Itaque dum non tota qualitas, sed certi tantum illius gradus depereunt, ingrediantur necesse est totidem gradus qualitatis oppositæ, ac ab altero elemento acceptæ. sicuti enim simplex qualitatum immutatio oritur ex adiectione similis qualitatis, dissimilem vim complectentis, vt puta, dum aquea humiditas succedit in locum aeræ humiditatis: ita qualitatum refractione inducitur ex concursu oppositæ qualitatis, vt puta, dum caliditas obtunditur, ex accessu frigiditatis. Easdem ob causas, dum certa qualitas omnino deperit, noua aliqua qualitas expulsæ qualitatis locum arripiat necesse est, ita tamen, vt actiuæ actiuus, passiuæ passiuus succedant, simulq. passiuæ actiuus, & actiuæ passiuus superstitionibus associantur. nam nullum corpus generabile, ac corruptibile subsistere potest absque agendi virtute, & resistendi potentia. Tales vero elementarium qualitatum expulsiones, inductiones, ac immutationes, absque alteratione non dantur. Itaque illarum,

rum, simulq. temperamentorum omnium causæ tam efficientes, quam materiales, ab efficientibus, ac materialibus alterationum causis differre non possunt. Efficientium igitur causarum munus, elementorum quidem vnicuique, nec non vnicuique elementarium qualitatum, aliqua ratione aptari poterit: sed, si elementa attendantur, præcipue concedendum est igni, qui, cum reliqua alteret, simplicem alterationem non sustinet: si vero qualitates respiciantur, caliditati seu igneæ, seu aeræ, & frigiditati seu terreæ, seu aqueæ.

Subiectiuæ vero causæ partes sumendæ erunt ex tribus elementis inferioribus, terra scilicet, aqua, & aere, (nam horum vnumquodque vere alterabile est) necnon ex humiditate seu aquea, seu aerea, & ex siccitate seu terrea, seu ignea.

Caliditas autem, & frigiditas effectus plurimos, ac maxime differentes, inducere solent. quoniam illarum vires pluribus rationibus immutari, ac recipi possunt: immutantur siquidem ex varia qualitatis comparis accessione, humidi scilicet, seu sicci, ex refractione, quæ oritur ex oppositarum qualitatum adiectione, & ex aliorum agentium concursu, seu resistentia. Varie autem recipiuntur, quoniam magis, seu minus distant a recipiente, quoniam diutius, seu breuius agunt, & quoniam recipiens est diuersimode dispositum.

*De concoctionibus, concoctionumq. defectu, ac excessu, simulq. de illarum differentijs.*  
Cap. XIX.



ED singula diligentius inspicienda sunt. Si ignea caliditas, quæ quam maxime intense agit, patienti sit valde proxima, simulq. diutius, ac solitarie agat, nec desistat, donec proprium perficiat opus, singula seu comburet, seu omnino consumet, his tamen exceptis, quæ summam combustionem, seu congelationem iam passa sunt, vt puta, cineres, ac vitrea, necnon, quæ ex horum copulatione constituuntur: hæc enim igni vehementiori apposita illius quidem vim concipere solent, sed nulla ex parte consumi. Idem etiam terræ puriori euenire credendum est. Quæ penitus consumuntur, & depereunt, terreo omnino carent, seu minimum quid terrei continent, sed ex aqua, & aere constituuntur. Quæ non penitus consumuntur, continent terreum non purum, sed quod vel aquæ tantum, vel aquæ, & aeris, vim complectatur. Et hæc quidem pro multi-

plici

Plici horum elementorum commixtione, propriori quadam ratione combustioni subijci solent, ita tamen, vt illi aliquandiu obstant, ideoq. per certos quosdam gradus destruuntur, & ad certa quædam extrema perducuntur.

Eadem caliditas humido adiuncta, seu frigidorum, ac humidorum virtute refracta, ac remissior, dum subiecto non semper, neque eadem ratione adhæret, neque propriam vim absque vlla intermissione exercet, non comburet, seu certe non omnino comburet, sed concoquet potius. Hæc vero concoctio ob concoquentis, ac concoquibilis differentias, atque etiam ob varias vtriusque adhæssiones pluribus rationibus consummari solet. Harum illa est præstantior, ex qua concoquens caliditas in eo, quod concoquendum est, sedem constituit, ac seminalis virtutis sustinet partes. hæc siquidem dum interna immutat, & externa attrahit, simul concoctibile perficit, ac vires proprias ad eiusdem bonum adauget, & fouet, talisq. concoctio propriori quadam ratione appellari poterit maturatio, seu aliter pempasis. eadem tamen voces ex quadam similitudine illis etiam aptantur, quæ externi caloris vi concoquuntur, dum illorum concoctio recte consummatur.

Ipsa vero caliditas concoquens (siue interne, siue externe agat) duabus rationibus propriam vim exercere solet, videlicet assumpto vsu humidi alicuius, quod concoctibili adhæret, tuncq. illius actio dicitur elixatio, seu epsefis, & absque vlllo humidi vsu, tuncq. eadem actio, affationis, seu ophthesis voce profertur. frigiditas concoquens virtus in eo, quod concoquendum est, sedem constituere non potest, sed illi semper externe infigitur. Hæc nisi valde intensa sit, proprium opus non perficit: huius quippe consummatio deducitur ex congregatione, ac constipatione, terreæ siccitatis, ac frigiditatis, necnon aqueæ frigiditatis, simulq. ex expulsionem aqueæ humiditatis, ac omnium qualitarum tam ignearum, quam aerearum. ex quo colligere licet, frigiditatis vim eam concoctionem exercere, quæ veræ concoctio omnino aduersatur: repellit enim causas omnes concoctionum tam agentes, quam subiectiuas. patet siquidem, qualitates igneas perfectæ concoctionis vim continere, aqueam vero humiditatem, aereasq. qualitates, dum terreis associantur, mixtorum concoctibilitatem inducere. Caliditatis igitur, ac frigiditatis concoquentes virtutes, licet accidentaliter se mutuo fouere possint, ex propria natura sibi inuicem aduersantur. Itaque, sicuti ca-

liditas

liditas quam sæpissime perturbat eas concoctiones, quæ ex vehementiori frigiditate perficiuntur, ita frigiditas has concoctiones impedit, quæ caliditatis vi tam interne, quam externe agentis, consummandæ sunt. Euenit autem, dum caliditas frigiditatis opus perturbat, ut subiectum ad nullam ob id positiuam concoctionem deduci possit. at, dum frigiditas aduersatur caliditati, positiuam concoctio ex necessitate consequitur, idq. tum respectu termini, seu maturatiouis, tum respectu actus elixationis, & affationis. Hæc vero concoctiones, proprias etiam uoces sortitæ sunt. ea enim, quæ maturatioui opponitur, dicitur cruditas, seu omotes: ea, quæ aduersatur elixationi, dicitur inquinatio, seu molinsis: & ea, quæ affationi resistit, appellatur excalectio, seu statesis. Itaque ipsa cruditas, seu omotes, nihil aliud est, quam imperfecta maturatio ob propriam caloris inopiam. ex quo patet, talem cruditatem non parum differre ab illa, in qua maturabile reperitur, dum sufficiens caloris vis proprium profequitur opus.

Simili ratione inquinatio elixationi opposita, seu molinsis, id erit, quod ex humido concoquente inducitur, dum agens deficit in calefaciendi virtute. ex calefactio vero, seu statesis, id erit, quod induci solet, dum igneum concoquens deficit, seu aqueum concoquendum superabundat. Eorum autem, quæ concoquenti caliditati subijciuntur, quædam æqualiori ratione complectuntur portiones trium concoctibilium elementorum, quædam vero ratione valde inæqualiori. nam uel terrei plurimum continent, aquei autem, & aerei parum: vel in horum duorum aliquo excedunt. Horum posteriorum nullum certum esse, certamue denominationem assequi potest absque consummata concoctione.

Ipsa vero consummata concoctio quandoque nullam continet combustionem, tuncq. Naturæ ordini est quam maxime consona: quandoque autem non subsistit absque aliqua consummata combustionem, qua tamen terreum omnino non comburatur: tuncq. Naturæ ordini non omnino concordat, nā aliquid uiolenti continet.

Ideo autem ex concoctione non datur summa terreæ combustio, quoniam talem combustionem consequitur summa humiditatis extinctio. omnino autem humiditate sublata concoctionis ratio non subsistit.

Terreum uero tunc summam concoctionem assequitur, cum terreæ siccitate reiecta, terreæ frigiditas aereæ humiditati contemperatur.

Tunc

Tunc aqueum plene concoctum est, cum, reiecta aquea frigiditate, aquea humiditas aeræ caliditati complexionaliter adiungitur. Tunc acreum ad consummatam concoctionem perducitur, cum utraque aeris qualitas ea ratione retinetur, vt terreis, & aqueis qualitatibus præfint, ac dominantur. Tunc vero idem acreum complexionale comburitur, cum, aerea humiditate reiecta, igneam siccitatem complexionaliter colligit; demumq. tunc aqueum combustum censetur, cum, aquea frigiditate retenta, ignea siccitas demortuæ humiditatis locum assumit.

Ea, quæ æqualiori ratione complectuntur tria elementa concoctibilia, tunc recte concocta, ac matura erunt, cum trium elementorum concoctibilem unumquodque ita concoquitur, ut aliorum concoctionibus non aduersetur, quin potius eisdem faueat.

Talia uero mixta, triplici ratione considerari possunt: uidelicet, quatenus immatura sunt, & ad propriam tendunt maturitatem: quatenus in ipsa maturitate constituuntur: & quatenus ab eadem delabuntur. his siquidem propriissimum videtur esse, cum concoquens uirtus deficit, corruptioni, seu dissolutioni esse quammaxime obnoxia. in illis enim elementorum nullum, seu summe concoctum, seu summe combustum est: quæ sicuti æqualitatem non patiuntur, ita corruptioni, ac dissolutioni obsistere possunt.

*De temperamentorum ordinibus, ac differentijs.*

*Cap. XX.*



**Q**UAE hæcenus dicta sunt, demonstrare possunt, nullum quidem temperamentum ex unica qualitate elementaliter constitui posse, (nam neque elementa ex unica qualitate constituuntur,) sed nihil obstare, quin mixtorum aliqua consistant ex duabus qualitatibus, diuersorum tamen elementorum, aliqua ex tribus, aliqua ex pluribus, donec ad illa perueniatur, quæ octonarium qualitarum numerum exposcunt. Docent etiam, ipsas qualitates elementales certa temperamenta, certa q. mixta constituentes, tanto puriores, seu intensiores futuras, quanto illarum numerus erit minor, tunc enim ob disparium, ac oppositarum qualitarum absentiam a propriæ naturæ statu, ac gradu minus recedent. E contra tanto esse impuriore, ac magis refractas, quanto magis illarum numerus adaugetur.

Sicuti igitur temperamenta, quæ oriuntur ex paucioribus qualitatibus,

ratibus, distinguuntur potius ex diuersa natura qualitarum ingredientium, quam ex uarijs qualitarum gradibus: ita temperamenta, plures qualitates complectentia, differunt inter se, potius ob varios qualitarum gradus, quam ob diuersas qualitarum naturas.

Itaque, dum qualitates binarium numerum non excedunt, illarum vnaquæque quammaxime intensa erit, & mixta ex qualitarum diuersitate tantummodo ab inuicem distingui poterunt. Dum qualitates ad octonarium numerum perducuntur, mixta ex sola graduum diuersitate, plurium ordinum erunt. Dum binarius transcenditur, neque attingitur octonarius, harum rationum vnaquæque concurret, magis tamen, seu minus, prout qualitarum numerus magis, ac minus, seu binarium transcendit, seu ab octonario deficiet.

Eorum, quæ constituuntur ex duabus qualitatibus, a duobus elementis acceptis, exemplum præbent carbones, farinæ, & sales: carbones siquidem terream siccitatem, & aeream caliditatem tantummodo complectuntur. igne enim extincto, neque ignea caliditas, neque igneæ qualitatibus vis in eis apparet. iidem aqueis etiam qualitatibus manifeste carent, simulq. tum terrea frigiditate, tum aerea humiditate. nam harum vnaquæque caliditatis igneæ, vehementius comburentis uirtute repulsæ sunt, terrea uero siccitas, vt igneæ siccitati symbola, & aerea caliditas, vt igneæ caliditati consona, sicuti ignea combustionem deficiente, postremæ subsistunt: ita sibi inuicem legis superius constitutæ uirtute, concorditer copulantur, ac certum temperamentum inducunt. farinarum uero temperamentum consistit ex terrea frigiditate, & aerea humiditate. nam continent terreum summe concoctum, a quo, opere consummato, concoquentis caliditatis uis recessit. Quapropter, sicuti igneis qualitatibus, & aerea caliditate carent, ita etiam carent tam aqueis qualitatibus, quæ terreo singulariter, ac perfecte concocto adhærere non possunt, quam terrea siccitate. nam hac frigido terreo adhuc adhærere, plena terrei concoctio non datur. Sal constitui uidetur ex aquea frigiditate, & ignea siccitate.

Inter ea, quæ complectuntur tres qualitates elementales, connumerari possunt cineres, marmora non pauca, necnon flegma, ac vitales animalium spiritus: in cineribus siquidem continentur terrea siccitas, terrea frigiditas, & ignea siccitas. nam, dum carbones ex uementiori, seu diuturniori combustionem deducuntur ad cineres, aerea combustibilis caliditas omnino recedit. Quapropter ex iam

N n constitutæ

constitutæ legis necessitate, terrea frigiditas adiungitur terrea siccitati superstiti, quæ tamen adhuc retinet uim igneæ siccitatis iam conceptam. Marmora non pauca carent manifeste non tantum igneis, aereisq. qualitatibus, sed aquea etiam humiditate. continent autem tam aqueam, quam terream frigiditatem, vna cum terrea siccitate.

Flegma vtrisque qualitatibus aqueis adiungit aliquid terrestri frigiditatis, ac ceteris omnibus caret. Vitales spiritus complectuntur tamquam proprii temperamenti partes, aqueam, aereamq. humiditatem, vna cum aerea caliditate. Ignea vero vis, quam vtrumque continere solent, ad illorum temperamentum pertinere non videtur, sed externi impellentis munia sustinere. Hi non subsistunt, sed quæ celerrime dissoluuntur, quoniam carent terreo, & aquea frigiditate.

Temperamenta, quæ constituuntur ex quattuor qualitatibus, & illarum vnamquamque ex necessitate refrangunt, dari non possunt absque terreis qualitatibus, aqueæ frigiditate. Eisdem etiam repugnat continere ignearum qualitatum utramque, seu aliquam, quamuis colligere soleant qualitates utrasque seu terreas, seu aqueas. Quapropter erunt paucorum ordinum, & omnia consistent. huiusmodi autem videntur esse, fictilia omnia, pumices, & fortasse alij lapides eiusdem ordinis. horum humiditas, aerea potius, quam aquea, censenda est, quoniam horum ordinum mixta ab ignea virtute oriri solent.

Temperamenta, quæ quinq. continent qualitates, metalla fortasse constituunt. hæc enim adiungunt vtrisque qualitatibus terreis, ac aqueis, aeream tantummodo humiditatem. hoc ex eo patet, quoniam metalla omnia liquefcunt, quod arguit aqueam humiditatem: calefacta tamen flammam non emittunt, quod in his, quæ aqueam, & aeream humiditatem continent, aereæ caliditatis carentiam arguere credendum est.

Mel, vt videtur, senarium qualitarum numerum colligit. igneis enim exceptis, complectitur ceteras omnes.

Sulphuris temperamentum, septenarium qualitarum numerum, ni fallimur, perficit. ab eo enim nulla qualitas abest præter igneam caliditatem, quam tamen externe facillime concipit.

Tandem animalium perfectorum carnes, atque ipsa præcipue corda, octonarium numerum implent: continent enim igneam caliditatem,

liditatem, prout contineri potest. nam hæc cum alterari non possit, ad temperamenti essentiam fortasse non omnino pertinet, ideoque viuientium carnes igneam quidem calorem continent, non ex interna virtute, sed quoniam illum a corde recipiunt. Quapropter sæpe etiam frigescent, proprio temperamento retento: quod in occisorum carnibus longe manifestius est. Cordis etiam caliditas ignea videtur potius in corde sedem constituere, quam ad cordis temperamentum pertinere. ideo enim detinetur in corde, quoniam nutritur ex humido illi adiuncto, recteque ob id, totum hoc lucernæ ardenti comparari posset. nam, sicuti extincta lucerna, nulla est caliditas ignea, ita mortuo animali, cor ignea virtute caret.

*De temperamentorum consensu, ac dissensu, simulq. de sympathiarum, ac antipathiarum rationibus. Cap. XXI.*



**N** S I S T E N T E S his, quæ de temperamentorum differentijs enarrata sunt, attingemus fortasse non difficile causas, ob quas ea, quæ a Natura sunt, sibi inuicem priori quadam ratione consentiunt, seu aduersantur, simulq. se attrahunt, amplectunturque, seu repellunt, & declinant. temperamenta enim simpliciora, in quibus unum tantum concoctibile summe excellit, distinguuntur ab inuicem vel ratione elementi, quoniam scilicet vel terreum, vel aqueum, vel aereum, excellat: vel ratione concoctionis, quoniam scilicet alia sint perfecte concocta, alia imperfecte; alia perfecte combusta, alia imperfecte.

Quamuis autem ex horum vnoquoque aliquis mixtorum consensus, & aliquis dissensus effluant, ideoque vniuscuiusque elementi summa concoctio aliquem consensum pariat, qui satis euidens est inter farinas, & farinosa, quorum terreum est perfecte concoctum, dum oleo associantur, quod continet aqueum summe concoctum: seu etiam dum adiunguntur saccharo, & melli, quorum aereum ad summam concoctionem deductum est; nec non inter oleum, & saccharum; similiq. ratione concoctio, & inconcoctio tum perfecte, tum imperfecte aliquas pariant inimicitias: patet tamen, summum consensum, & summam inimicitiam circa ea versari, in quibus idem elementum attenditur. respondent siquidem domesticis hominum amicitijs, & inimicitijs, quæ ceteris videntur intensio-

res. Et summæ quidem amicitiae vis inter illa splendet, quæ respectu eiusdem elementi inconcocta sunt, sed differunt inter se ob diuersos inconcoctionis gradus. Summæ vero inimicitiae exerceri solent inter ea, quorum vnum respectu vnus elementi summe concoctum est, alterum autem respectu eiusdem elementi est inconcoctum. Hæc experimentis facile comprobari possunt: acceptis enim aqua omnino incōcocta, cucurbita adhuc plantæ affixa, quæ aqueo inconcocto abundat, & oleo, cuius aqueum est summe concoctum, cucurbita ad aquam sibi subiectam, ac vi Solis euaporantem, illius etiam virtute tracta, manifeste dirigitur, ac protenditur, eaq. imbibita, celerrime augetur: oleo vero illi similiter subiecto, summa Naturæ sollicitudine refugit. Idem etiam oleum aquæ numquam commiscetur, licet lisciuo commisceatur. quod ex eo fortasse euenit, quoniam aerei combustio non datur absque aqueo, quod sicuti aereum ad aqueam naturam vtrumque deflectit, ita ab eo aliquo pacto concoquitur.

Itaque neque aerei combustio, neque aquei inconcoctio, summæ olei concoctioni aduersantur: sed redduntur potius prona ad amplexum illius, quod similiter ob summam aquei concoctionem ad aeream naturam omnino dirigitur, & aerei ad aquæ naturam proui occurfus prompte admittit.

Eadem respectu combustionum, ac congelationum euenire, rationis commutatæ vis docere potest. Idem colligitur ex ferro, ex magnete communiori, & ex alio magnete, qui Emathites etiam dicitur, & ferrum expellit: in his siquidem terreum combustum, & aqueo vehementius adiunctum, congelationemq. passum, quam maxime vigere videtur. patet autem, ferrum, cuius terreum est minus combustum, magneti communiori, cuius terreum magis quidem combustum est, sed non summe, prompte adhærere haud secus, quam aqua cucurbitæ infigatur.

Quod si idem ferrum refugit alium magnetem, asserendum erit, talis magnetis terreum summe combustum esse, eamq. proportionem habere ad ferrum, quæ oleo conuenit ad cucurbitam, licet non respectu perfectæ, ac imperfectæ concoctionis, sed respectu perfectæ, & imperfectæ combustionis ordinis perfectioris, qua res diriguntur non ad dissolutionem, vt carbonum combustionis conuenit, sed ad certi mixti constitutionem.

Quæ diximus, vt videtur, obijciunt fontes causarum, ac principiorum

piorum tum efficientium, tum recipientium, quæ constituere possunt sympathias, & antipathias omnes mixtorum perfectiorum, lapidum scilicet, salium, atramentorum, metallorum, plantarum, & animalium, tum quatenus in eadem specie exercentur, respectu diuersorum indiuiduorum, quæ ob complexionum differentias seu absolute, seu pro ætate, ac sexuum similitudine, ac diuersitate, ad mutuas amicitias, seu inimicitias impelli solent: tum quatenus extenduntur ad species diuersas, & certos animalium ordines, certis animalium ordinibus, certis plantis, ac arboribus, certisq. metallis, & certis lapidibus, amicos, seu inimicos reddunt, & horum generum vnumquodque seu ad se, seu ad alia referri potest, seu absolute, seu respectu certarum partium, ac ingredientium. hinc enim effluunt lapidum, herbarum, ac medicamentorum omnium virtutes, ac vires, quas diligentius perquirere, & explicare, alterius contemplationis erit. In præsentia tamen silentio demandandum non est, quod, quemadmodum ea, quæ æqualiorem elementorum concursum exposcunt, ab agentis proprii virtute destituta facile marcescunt, & corrumpuntur; ita illa, in quibus vnicum elementum excellit, non tantum a corruptione diutius defendi possunt, præsertim si seiuncta persistant, sed aliorum etiam corruptioni obsistere. In his tamen quædam respectu quorundam magis excellunt: sales enim carniū omnium corruptioni quam maxime obsistunt. etenim, dum illorum aqueum combustum reuocatur ad aquæ naturam, ab aqueis, quæ in carniibus sunt, eisdemq. associatur, igneant ficitatis uim, quam ex combustionis retinent, illis impartuntur, illarumq. inconcoctioni medentur. Saccharum, & mel non dissimili ratione fructus tam maturos, quam immaturos, a putredine tutos reddunt. nam illorum aereum summe concoctum facile deducitur ad singulorum interna, & illorum inconcoctionem ad decentem concoctionem perducit. Acetosa omnibus aptari solent. nam & salorum virtutem continent, & ex aerea combustionis, quantum ad conseruationem pertinet, dulcium vim exercere possunt. Oleum, & cetera pingua, carniū corruptioni similiter obsistunt, sed infirmius: lisciuum etiam, & aquæ fortiores idem præstare possunt, ita tamen, vt, dum aerei combusti virtute corruptioni obsistunt, simul etiam vehementius rodant, & noua quadam ratione corrumpant. Quapropter neque animalibus cibum præbent, neque aliqua ex condimento apta ad comestionem reddunt. Salsa vero,

ro, & acetosa, licet cibum non præbeant, cetera tamen ita condire possunt, ut nonnulla etiam, quæ decentem maturitatem non assequuntur, homini grata reddant, pinguibus præsertim accedentibus, quæ & illis interiorum ingressum præbeant paratiorem, & ex summa sui aquei maturitate retundant virtutem eorum, quæ minus concocta sunt.

*De mixtorum proprietatibus, seu accidentibus communioribus, quæ illis intimiora videntur esse.*

*Cap. XXII.*



**M**IXTORVM vnumquodque ea ratione certis proprietatibus insignitur, ut non careat communibus, quæ magis, ac minus recipiunt: nam omnino essentielles non sunt. Hæ vero ad duos præcipuos ordines recte deduci poterunt, ad ea scilicet, quæ mixtorum substantiæ sunt intimiora, atque ad eorum bonum, seu malum non parum conducunt; & ad illa, quæ ab eorundem substantia sunt magis remota, neque vllum mixtis seu commodum, seu incommodum afferrunt. Intimiora, quæ primo loco contemplanda sunt, complecti possunt decem, & octo combinationibus, quarum vnaquæque continet binas qualitates sibi inuicem oppositas.

- Ex prima, mixta dicuntur concretilia, seu inconcretilia.
- Ex secunda, eliquabilia, seu ineliquabilia.
- Ex tertia, mollificabilia, & ductilia, seu immollificabilia, & inductilia.
- Ex quarta, humectabilia, seu inhumectabilia.
- Ex quinta, flexilia, ac directilia, seu inflexilia, ac indirectilia.
- Ex sexta, fractilia, seu infractilia.
- Ex septima, friabilia, seu infriabilia.
- Ex octaua, impressilia, seu inimpressilia.
- Ex nona, formatilia, seu informatilia.
- Ex decima, pressatilia, seu impressatilia.
- Ex vndecima, tractilia, seu intractilia.
- Ex duodecima, ductilia, & inductilia.
- Ex tertiadecima, fissilia, & infissilia.
- Ex decima quarta, sectilia, & insectilia.
- Ex decima quinta, tenacia, seu lenta, & nõ tenacia, seu remittentia.
- Ex decima sexta, densatilia, & indensatilia.

Ex

Ex decima septima, combustilia, & incombustilia.  
 Ex decima octaua, exhalabilia, & non exhalabilia, vaporabilia, & non vaporabilia.  
 Illa dicuntur concretilia, quæ si terrea, ac humida sint, illorum humiditas, caloris vi exiccari potest. Si vero sint aquea, & calida eorum caliditatem frigus extrudit, ideoque durefcunt. Inconcretilia econtra sunt, quæ seu magis terrea, & calida sunt, ob idque aqueo humore carent, ut puta mel, & vinum passum: seu cum vere aquea sint, plurimum tamen aeris continent, sicuti oleum, argentum viuum, & quicquid est valde tenax, ac lentum, veluti viscum, & pix. Eliquabilia circa concretilia locum habent. terrea enim, quæ caloris vi ad siccitatem deducta sunt, humore iterum appposito liquefcunt, ut puta salnitrum. fictile tamen non liquefcit, quoniam vti calidi ita sese colligit, ut illius foramina aquam admittere nullo modo possint. Aquea etiam, quæ ob frigiditatis vehementiam calorem amiserunt, vi ipsius caloris iterum liquefcunt, ut puta cristallus, plumbum, æs. Hæc eadem, quæ eliquabilia sunt, ex agentis diuersitate ineliquabilia etiam censerit possunt. terrea enim, quæ, si frigiditas, ac humiditas attendantur, sunt eliquabilia, dum caliditati subiiciuntur, apparent ineliquabilia.

Aquea econtra, quæ calore irruente liquefcunt, frigiditate appositâ, firmiter constipantur.

Illas sunt mollificabilia, ac ductilia, quæ ita vi caloris concreta sunt, ut illorum humor neque vniuersus, ut in nitro, ac sale, neque inæqualiter, ut in fictili, exiccatus sit, sed mollitiem aliquam adhuc retineat, ut cæra, & lutum. Illa vero, quorum humor vel vniuersus, vel æqualiter est exiccatus, ideoque omni mollitie carent, neque mollificabilia, neque ductilia sunt, ut lignum, & cornu.

Illas sunt humectabilia, quæ priori forma retenta, aquam interne recipiunt, atque imbibunt, ut terra, & lana. Econtra, quæ seu aquam interne nõ admittunt, ut æs, seu ex illius ingressu, interne immutantur, ut nitrum, & sal, erunt inhumectabilia.

Nitrum autem, & sal, ideo interne immutantur, quoniam illorum foramina continuata totum penetrant. quare aqua ingrediens statim partes disiungit.

Pater igitur, terram humectari quidem, sed non eliquari, nitrum vero eliquari, & non humectari.

Illas sunt flexilia, ac directilia, quorum longitudo ex ambitu in re-

ctum,



ctum, vel econtra, ex recto in ambitum, permutari potest, vt metalla, & quæcumque humorem sicco consistenti associant: flexio enim est morio a recto ad deuexitate, aut ad concauitatem: directio vero a concauitate, seu a deuexitate ad rectitudinem. Ea igitur, quæ huiusmodi permutationes non admittunt, sicuti lapidibus omnibus euenit, erunt inflexilia, atque indirectilia.

Fractilia dicuntur, quæ foramina, seu poros longe porrectos habent, ideoque in magnas partes diuidi possunt, quod fractilibus conuenit, vt ligna. Econtra, illa erunt infractilia, quæ multis sca- tent foraminibus, vt glacies, & lapis.

Friabilium, & infriabilium ratio ex supradictorum immutatione deducitur. sicuti enim lignum est fractile, & non friabile, ita glacies, & lapis est friabilis, & non fractilis. nam friatio est diuisio non in magnas, sed in quascumque partes sine discrimine. Illa vero, quæ & multis foraminibus sca- tent, & plurimos poros in longum porre- ctos habent, simul & fractilia, & friabilia sunt, vt puta fictilia.

Ea appellantur impressilia, quæ humorem aqueum non exceden- tem, terreo associant. horum liquidem partes superiores ex aliquo contactu, seu impulsu, ad interna deduci possunt. huiusmodi sunt æs, cuius humor magis est deuinctus, ideoque durum est, & cæra, quæ est mollis. Quæ humore aqueo carent, in impressilia sunt.

Horum etiam aliqua dura sunt, vt fictile: aliqua mollia, vt lana. Lana tamen quoniam constat ex partibus, quæ sibi inuicem omni- no non adhærent, impressilis apparenter est: quod etiam spongiæ conuenire videtur.

Dum impressilia ex aquei solutione facile premuntur, formatilia etiam erunt. dum vero non premuntur facile, quod ligno euenit, non erunt formatilia.

Lanæ etiam, quoniam impressionem, quam facile recipiunt, non retinent, formabiles non erunt.

Illa appellantur pressatilia, quæ cognati corporis vacuos meatus habent, ideoque pulsa superficie, ac intro recedente, partibus alio non migrantibus, in sua foramina, ac vacua coire, ac deduci pos- sunt. Econtra, illa erunt impressatilia, quæ in sua foramina, quo- niam illis carent, vel duriori corpore referta habet, coire non possunt.

Illa vocantur tractilia, quæ aqueum plenius concoctum, terreoq. contemperatum continent, ideoque illorum superficies absque dis- ruptione in latum porrigi potest, vt lorum, neruus, viscum, pituita.

Quæ

Quæ vero his carent, intractilia sunt, vt lapis, & aqua. Inter ea au- tem, quæ apparenter sunt pressatilia, quædam apparenter etiam sunt tractilia, vt lana; quædam nullo modo, vt spongia. Lanæ liqui- dem partes disiunctæ absque interna illarum mutatione, longioris formæ aspectum exhibent; spongiæ vero partes vel omnino cohæ- rent, vel omnino disunguntur.

Illa dicuntur ductilia, quorum superficies ex vnico ictu tota in la- tum, ac in profundum, migrare potest, ut æs, & plumbum. Quæ vero ita non expanduntur, vt lapis, & lignum, ductilia non erunt. Ductilia vero omnia etiam impressilia sunt, licet impressilium plura sint non ductilia, ut lignum; cæra tamen, & cænum simul impressi- lia, & ductilia sunt.

Illa sunt fissilia, quæ & dura sunt, & meatus, quibus partes cohærent, non in latum, sed in longum porrectos habent: hæc siqui- dem dum diuiduntur, ampliolem, quam ab eo, quod diuidit, diui- sionem admittere possunt. nam illorum diuisio id, quod diuiden- di vim continet, antecedit, quod in sectionibus minime euenit. Liquida igitur omnia, necnon quæ mollia absolute sunt, seu dum sunt dura, pressionem, seu friationem admittunt, infissilia erunt.

Illa sunt sectilia, quæ licet duritiem sint consecuta, vere tamen mollia sunt, & quatenus sectionem admittunt, poros habent in la- tum protensos. Hæc igitur dum diuiduntur, neque diuisionem ne- cessario anticipare possunt, vt fissilia, neque comminui, vt friabilia. Nonnulla simul & fissilia, & sectilia sunt, vt ligna, quæ cum ex lon- gitudine verius fissilia, quam sectilia sint, ex latitudine sectilia tan- tum sunt. Ea autem, quæ tam a diuritie, quam a mollitie quacum- que recedunt, erunt insectilia.

Illa sunt tenacia, siue lenta, quæ cum liquida, & mollia sint, ca- tenarum compositionem imitantur, ideoque protrahi, ac multum distendi, & rursus contrahi possunt.

Econtra, quæ horum utroque carent, tenacia, seu remittentia non sunt.

Illa sunt densatilia, quæ cum sint pressatilia, stabilem, fixamq. pressionem retinere queunt. Indensatilia vero, quæ vel impressio- nem nullo modo admittunt, vel dum admittunt, non retinent, sed ad priorem reuertuntur extensionem.

Illa sunt combustilia, quæ meatus tales habent, vt humorem qui- dem igneum contineant, sed vi ignea debiliorem, simulq. per eos-

Oo

dem

dem meatus ignem introrsus admittunt. huiusmodi sunt lignum, æs, lana. Quæ vero vel nullum habent humorem, vel vi ignea ualentior, ita ut interne ingredi prohibeatur, incombustilia sunt, ut puta, lapis, glacies, & quæ uehementer uirent.

Illæ sunt exhalabilia, quæ cum humida sint, ita humorem retinent, ut, nisi igni apponantur, euaporare non possint. Ideoque ab eis, dum ab igne seiuncta sunt, efficitur quidem ex interni caloris uis, sicci, & humidi coniuncta discretio, quod ad ipsam exhalationem uere pertinet: at humor hic seiunctus, madefacere non potest, quod euaporationem constituit: neque etiam efficitur spiritus, quoniam non continue secundum longitudinem fluit, quod ad huiusmodi spiritus essentiam pertinet. Exhalabilem autem plurimam, absque externi ignis appositione non modo non euaporant, sed neque exhalant.

At, si ignis apponatur, horum exhalatio densior est, & calorem tangentibus affert.

Id autem pro appositorum differentia multipliciter fit: ideoque harum exhalationum quædam fumus dicitur, ea scilicet, quæ procedit ex lignis: quædam fuligo, ea scilicet, quæ deducitur ex cæra, pice, & ex ijs, quæ picem continent: quædam nidor, ea scilicet, quæ ex oleo, & oleosis extrahitur. oleum enim exhalabile est, non autem euaporabile, ideoque non decoquitur, nec facile crassescit. Aqua uero e contra, euaporabilis est, non autem exhalabilis. Exhalabilem etiam, quæ ignis appositionem requirunt, quædam ex exhalatione omnino euanescunt, sicuti ipsis euaporabilibus euenire solet: quædam cum combustilia sint, in cinerem resoluuntur.

Hoc autem illis euenire patet, quæ vel calore tantum, vel calore, ac frigore concurrentibus constipantur. At ipsorum combustilium illa, quæ densitatem habent, & exhalare possunt, formatilia sunt: quæ uero parum fumi habent, terræ autem plurimum, carbonatilia. Liquidorum etiam nonnulla flammabilia sunt, ut puta pix, oleum, cæra, licet, si his, quæ fumum iaculantur, adhæreant, facilius flammam emittant.

Animaduersione autem non indignum est, nonnulla eliquabilia esse, sed non flammabilia, ut puta æs, ac metallorum reliqua: nonnulla flammabilia, sed non eliquabilia, ut puta lignum: nonnulla & eliquabilia, & flammabilia, ut thus.

Et hæc quidem eueniunt ob diuersam humidi constitutionem:

ligna

ligna etenim humorem compactum, atque ubiq. continuum, & a terreo minus imbibitum gerunt. Ideo fluere non possunt, sed facilius deuri, ac flammam emittere. Flamma enim est spiritus, vel fumus ardens. Æs humorem habet per singulas partes dispersum, non continuum, & paucior, quam ut flammam emittere possit, præsertim cum terreo magis inhæreat. Thus autem partim hoc, partim illo pacto habebit, ideoque & flammam emittit, & fluit.

*Accidentium, quæ a mixtorum natura censentur remotiora, dari quinque genera, & de primi generis speciebus. Cap. XXIII.*

**L**A, quæ temperamenta remotiori quadam ratione concomitantur, nihil aliud videntur esse, quam vires, seu dispositiones quædam internæ, quibus ipsa mixta, absque vlla proprii status immutatione, externa afficere, atque ab externis affici possunt.

Harum dispositionum, seu virium, aliquæ simplicibus elementis communes sunt, aliquæ uero mixtis perfectioribus propriæ.

Hæc ad quinque genera præcipua deducendæ sunt. nonnullæ scilicet quidem terreis præcipue conueniunt, quatenus caloris, seu frigiditatis uirtute maiorem, minoremue partium cōstipationem adeptæ, se inuicem afficere possunt, & tangibilium qualitatuum ordinem ingrediuntur. Nonnullæ consequuntur trium, seu duorum elementorum concoctibilium copulationem, quatenus ex calidi uirtute ad maiorem, minoremue seu concoctionem, seu combustionem deducta, aquam, seu aquea afficere solent, & saporum uocem obtinere. Nonnullæ eorundem elementorum copulationi aptantur, quatenus uirtute caloris interni, seu interne concepti, emittunt siccum igneum una cum aereo humido, afficiuntq. ipsum aerem, ut aer est, & odores appellari solent.

Nonnullæ ita consistentibus insunt, ut pulsandi, aerisq. confringendi uim afferant, simulq. sonorum, ac uocum generationi deseruiant. Nonnullæ demum, quæ perspicuum, quatenus lucidum est, certa quadam ratione afficiunt, quoniam seu terreis combustionem carent, seu idem terreum combustum continent, atque etiam aquei qualitatibus magis, aut minus excellunt, coloris, seu etiam perspicui, ac opaci denominationem sunt consecutæ.

Horum generum unumquodque continet plures species, quarum

Oo ij tamen.

tamen quinque tantummodo tales sunt, vt, si comparentur ceteris, simplices appellari possint, licet non eadem ratione. tres enim ex eo tantummodo simplicium sustinent vocem, quoniam absque noua concoctione non inducuntur, quod nulli ceterarum conuenit: harum siquidem vnaquæque ab hominum etiam arte ex certis simplicium qualitatum commixtionibus, induci solet. Duæ vero non ob id tantum dicuntur simplices, sed etiam, quoniam nullam admittunt associationem qualitatis oppositæ, sed in proprio genere qualitatum magis, ac minus recipientium, extremæ sunt.

Primi generis qualitates, intimioribus mixtorum qualitibus proximiores, clauduntur tamquam ab extremis, summa mollitie, & summa duritie. Summa autem mollities, & summa durities sicuti ex propria forma sunt vere, ac omnino simplices, ita ex simplici causarum efficientium virtute pariendæ sunt, ac re ipsa pariuntur. summa enim mixtorum mollities consequitur summam terrei seu concoctionem, seu combustionem.

Itaque farinæ sunt summe molles, quoniam nihil aliud sunt, quam terreum ex summa concoctione purgatum. Cineres etiam eandem mollitiem referunt, necnon calx, & gypsum, quoniam terreum similiter continent, combustionis vi summe depuratum.

Carbones quoque dum conteruntur, quodam modo farinescunt, quoniam illorum terreum est quammaxime combustum. Durities econtra, consequitur summam constipationem seu terrei, seu aquei ex terrea frigidity omnino deuincti, siue id solius frigidity virtute fiat, siue non absque aliquo igne caliditatis vsu. Mediæ huius generis species ceteris omnibus simpliciores, erunt, ni fallimur, primo adipis mollities, seu vnctuositas; secundo carnositas; tertio corij exiccati tangibilis qualitas.

Carnositas medium locum, vt videtur, assumit. nam terreum continet, neque omnino solutum, neque omnino constipatum, sed media quadam ratione dispositum. Adipis mollities farinarum mollitiei proximior est. Corij vero durities ad summam constipationem magis declinat.

Inter eiusdem generis qualitates magis compositas, præcipuos locos sibi vindicare videntur lanositas, & asperitas. Hæc corio est durior: illa vero eodẽ mollior, licet a carnis mollitie plurimũ deficiat.

Dantur etiam plures aliæ huius ordinis qualitates, quarum perceptio ex dictarum doctrina facile deduci potest.

*De saporum speciebus, & causis.*

*Cap. XXIII.*



**S**APORES illis tantummodo recte aptari possunt, quæ calor virtute, ea ratione proprium consequuntur esse, & ad certum temperamentum perducuntur, vt neque aeræ, neque aqueæ qualitates, neque frigiditas terrea omnino expellantur, sed harum vnaquæque cetera alia ratione sibi inuicem contemperentur.

Cetera vero, quæ seu frigoris vi, seu ex consummata supradictarum qualitatum combustionem, certum aliquod sortiuntur temperamentum, necessario insipida sunt. carent enim tam calido, quam humido complexionali: quorum vnumquodque ita ad saporis rationem pertinet, vt altero amoto depereat.

Simpliciores autem saporum species ex certi alicuius elementi summa vel concoctione, vel combustionem, tantummodo deducendæ sunt. data siquidem seu plurium elementorum concoctione, vel combustionem, vel vnus elementi concoctionem, vel combustionem non consummata, purum aliquod, ac vere simplex produci non poterit ob inæqualem seu elementorum dispositionem, seu concoctionem, & combustionis gradum, necessariamque cruditatis accessionem.

Itaque saporum simplices his tantummodo inhærebunt, quæ constituantur ex inæquali concoctibilium elementorum copulatione:

Cetera vero omnia, quatenus sapida sunt, eos saporum referent, qui ex priorum commixtionibus deducendi sunt. Existimamus autem, inter saporum simplices illum summe simplicem esse, simulque perfectioris extremi partes sustinere, qui consequitur temperamentum terrei optime concocti, nullamque combustionem perpeffi: huiusmodi videntur esse farinæ, triticeæque præcipue, dum aliquid humoris adhuc continent. Quæ vero ad summam peruenere ariditatem, saporem actu non continent, quamuis ex aliqua humidi adiectione illum facile repetant.

Hunc, (quem panis saporem appellare licet) vere simplicissimum esse, ex eo etiam demonstrari potest, quoniam primo concoctibili, ipsi scilicet terreo, primo aptatur, necnon, quoniam quæ eum referunt, alios saporum omnes admittunt.

Eundem saporem æmulari videntur aquæ puriores, quæ nihil terrei continent, aerei vero non parum; & dulces ob id appellari solent, licet improprie, & ex sola relatione ad alias aquas. Huic saporum proprium.

proprium videtur esse, nullam comedenti molestiam, seu voluptatem afferre.

Dum vero absque vlla commixtione delectat, id ex vehementiori seu fame, seu siti euenire solet, tuncq. ex commodo potius, quam ex sapore voluptatem affert.

Secundus sapor, simplicissimo proximus, illorum consequitur temperamentum, quæ, cum elementa concoctibilia inæqualiter contineant, constituuntur ex summa aquei concoctione, pinguedinemq. ob id, seu vinctuositatem essentialiter referunt, ex qua idem sapor dicitur pinguis, seu vinctuosus. Ea autem, quæ hoc sapore afficiuntur, lenire quidem solent, sed nullam manifestam voluptatem gustui afferunt.

Huic in simplicium saporum ordine, sapor dulcis accedit, qui deduci solet ex summa aerei concoctione, cui nulla combustio associetur. Dulcibus proprium est, non tantum lenire, vt pinguis, sed manifestam etiam voluptatem gustui afferre. Sunt autem dulcia pinguibus grauiora, quoniam summa aquei concoctio, quæ pinguedinem parit, simul & aquea puriora, & aerea liberiora reddit. Summa autem aerei concoctio, ex qua dulcedo colligitur, aquea, a quibus ipsum aereum detinetur, firmiora reddit.

Ea igitur, quæ panis saporum referunt, longe firmiori ratione vtrisque grauiora erunt; terrei siquidem plurimum continent, cuius grauitas ex digestionem non comburente adaugetur potius, quam diminuat.

Summa vero concoctio eorum, quæ tribus his saporibus afficiuntur, ex eo etiam demonstrari potest, quoniam dulcia, licet ex aquei copia flammam non excitent, nutriantue, tamen quam facillime accenduntur, ac comburuntur, quod neququam accideret, si illorum concoctio vltius extendi posset.

Pinguis, quorum aqueum complexionale est summe concoctum, non tantum facile accenduntur, & comburuntur, sed flammam etiam emittunt, ac nutriunt.

Farinæ vero, & cetera, quæ panis saporum vtrumque referunt, ideo non facile ignem concipiunt, quoniam aerei parum continent, & terrei, seu aquei plurimum.

Sed ad ea accedendum iam est, quæ ex maxima combustionem certi concoctibilia afficiuntur simplicibus saporibus ordinis imperfectioris. Hi duo sunt, falsus videlicet, qui consequitur aquei sum-

mam

man combustionem, & acris, qui oritur ex summa aerei combustionem. Falsus tamen ad amarum deduci solet, dum aquei combustionem vis terreis complexionaliter copulatur.

Amarum autem saporum a falso essentialiter non differre, ex eo coniectare licet, quoniam cineres summe combustionem, nullam amaritudinem seu continent, seu in aquam adiunctam emittunt, sed eam potius acrem reddant. quod tamen ex necessitate eueniret, si in saporis amari constitutionem, terrea primas partes obtinerent. At, si aqueis ascribendus est, assentiri cogimur, eum essentialiter a falsedine non differre: patet enim ex summa aquei combustionem falsedinem deduci, & sal ipsum oriri.

Idem ex vtriusque saporis similitudinem demonstrari potest: amarus siquidem in eo tantum a falso differt, quoniam ob terrei combustionem associationem magis exasperat, & ob eandem causam falsedinis acumen refrangit. Falsus igitur sapor, (si hæc recte sancita sunt) vna cum amaro eum locum obtinebit, qui saporis panis summe aduersatur. Huic, prout propriam naturam retinet, proprium est, detergere, abluere, & aliqua ex parte tum astringere, tum corrodere. quatenus autem ad amaritudinem contrahatur, detergit, & vehementius exasperat, sed non astringit, nec corrodit.

Acris sapor in simplicium saporum ordine constituitur medius inter dulcem, & falsum. Huic proprium est, mordicare, & roderet cum magna celeritate. quapropter acria falsorum acumen excidunt, idq. iure optimo euenit. nam aerea, ex quorum combustionem sapor acris oritur, aqueis sunt acutiora, licet minus persistant, quam aquea. Quod autem acria ex aerei combustionem orientur, cinerum vis, dum aquæ feruenti commiscuntur, manifeste arguit. tunc enim aquæ acridinem concipiunt, quoniam cinerum ignea siccitas, aquæ feruore excitata, igneam etiam calefaciendi virtutem vtrumque exercet, & ex aqua circumposita, aerea generat, simulq. comburit: quæ cum exhalare non possint, aquæ superstiti complexionaliter copulantur.

Inter saporum falsum, & acrem, sapor acidus recte, ni fallimur, constituitur.

Hic inter simplices connumerandus non erit. nam saporum acrem refrangit, ideoq. non rodit, vel certe non admodum vehementer. Acuit autem saporum falsum, mordicat siquidem, quod falso non conuenit. Præterea in eo aerei, & aquei combustionem manifeste copulantur,

copulantur, illiq. propriissimum videtur esse, ex sola interna virtute seipsum intendere. nam ex aerei combusti vi agit, & ex ea dispositione, quam ex aquei combusti natura interne continet, eidem actioni subijcitur. Hoc acris non conuenit, quoniam illorum vis omnis in aereis constituta, facilius euanescit, aqueis præsertim non fauentibus. Idem falsis denegatur, quoniam omnis illorum vis ex aqueis oritur, quæ in seipsa agere non possunt. Eandem ob causam. acetosa sola, vel certe præcipue, fermentandi vim consecuta sunt.

Sed iam accedendum est ad sapes, qui ea temperamenta concomitantur, in quibus elementa concoctibilia, terra scilicet, aqua, & aer, æqualiori quadam ratione copulantur. Hæc, vt iam dictum est, summam alicuius ingredientis seu concoctionem, seu combustionem neque admittunt, neque exposcunt. Ea etiam, quæ in ipsis vitumque concoquenda sunt, sæpe vel nullo modo, vel non satis facile, hanc, quam exposcunt, concoctionem assequuntur. Quatenus vero eam assequantur, quibusdam saporibus afficientur, qui ex trium simplicium perfectiorum copulatione, & refractione videntur oriri, videlicet ex sapore panis, ex pingui, & ex dulci. Hunc ordinem, ni fallimur, ingrediuntur sapes, qui animalium tum terrestrium, tum volatilium, tum marinorum carnibus aptari solent. Ea, quæ perfectam concoctionem vel nullo modo recipiunt, vel ad illam non facile perducuntur, eos sapes recipiunt, qui ex dulcis, & acris commixtione videntur oriri, ac vtriusque naturam vitumque referre, magis tamen, ac minus, prout magis, aut minus ad illorum aliquem accedunt. huiusmodi sunt sapor acerbus, sapor austerus, seu acutus, & sapor maturus, seu fructuum maturorum, qui ad dulcedinem aliquam perducuntur.

Horum igitur mixtorum, pro concoctibilium natura, ac virtutis concoquentis robore, seu infirmitate, quædam consistent in ipso acerbis, quædam ad austerum peruenient, quædam austerum transcendent, & decentem maturitatem consequentur, quædam etiam seu aliqua ex parte, seu ex toto, ad plenam dulcedinem perducuntur.

Acerba desiccant, & vsque ad multam profunditatem exasperant. Austeris, seu acutis idem conuenit, sed minus intense. fructuum dulcescentium sapor, dulcedinis continet vim, sed remissam.

Acidus aquarum sapor, & si quis alius illis apratur, ex terre, quod illis

De his, ex quibus marium falsedo, & fontium sapes oriuntur.  
Cap. XXV.



APORVM differentijs, & causis sic conceptis, rationes facile adduci poterunt, quæ afferunt marium, ac lacuum nonnullorum falsedinem, fontiumq. quorundam acetosum sapes. accepto siquidem, falsedinem omnem cõsequi aquei combustionem, quam tutissime sancire licet, aquas omnes, quæ falsedinem referunt, ex aquei combusti commixtione id obtinere. Rationes autem, ex quibus aquarum combustio oriri solet, tres videntur esse: quæ, si simul concurrant, eam firmiorem reddent; si vero disiungantur, imbecilliorum. Prima est, aquarum firmior sedes. aquæ siquidem decurrentes combustionem parum sunt obnoxie: conquiescentes vero quam maxime. nam nos etiam, dum quiescimus, calefacientis Solis vim firmiorem experimus, & dum mouemur, infirmiorem. Secunda ratio sumitur ex regionis natura. nam, quæ magis tendunt ad æquinoctialem, quoniam radijs rectoribus subijciuntur, & magis calefiunt, & facilius comburuntur. Tertia colligitur, ex combustionem terre, quod aquis subijcitur. hoc enim aquas superpositas simul comburit, & falsedine afficit, licet aliquanto amariori.

Horum trium vnumquodque ad Maris falsedinem concurrere manifestum est. marinæ siquidem aquæ infimum obtinent locum, neque ab eo recedunt, bisq. in singulis mensibus, nisi adsit ventorum vis, (vt ex superioribus patet) diutius quiescunt, neque vllum fluxum, seu refluxum exercent.

Easdem Æquinoctiali etiam subijci, & summam calorem vim pluribus in partibus sustinere manifestum est. Cum igitur Marina omnia sibi inuicem cohæreant, ac copulentur, partis vnus infectio ad aliam ex necessitate deducitur. Sicuti autem marinis aquis combustionem patientibus, subiectam terram falsedinem, ac amaritudinem non concipere impossibile est, ita necessarium censeri debet, terra marinis aquis subiecta amara existente, impositas aquas, prout illis conuenit, similiter affici. Hinc ratio colligenda est, cur lacus quidam Palæstinæ non tantum falsus, sed etiam amarus sit, ita vt in eo pisces non nutriantur. Idem lacus easdem ob causas, tantum terre continet, vt graua iniecta enatent.

Acidus aquarum sapor, & si quis alius illis apratur, ex terre, quod illis

illis aditum præbet, qualitate oriuntur. terræ siquidem seu salis, seu sulphuris semina, ac partes, simulq. tum aquei, tum aerei combusti non parum continent, aquasque, a quibus tanguntur, talibus saporibus & afficere, & inficere solent. Hæ tamen infectiones, & affectiones, diutius fortasse ab ipsis aquis retineri non possunt. nam, dum ad aperta deducuntur, ac libere fluunt, quicquid alienum continent, nisi noua vis accedat, facile depellunt, grauioribus præsertim sponte ad infimiora delabentibus, leuioribus vero, aereis scilicet, quæ utcumque combusta sunt, euaporantibus.

Quapropter flumina omnia, ac ceteræ aquæ a proprio fonte, perenni cursu longius deductæ, dulces apparere solent, ob aerei digesti imbitionem. dulciores tamen, ac puriores ut plurimum sunt prope fontem, si ex puriori terreo profiliant, & si ipsi fontes Sole oriente illustrentur.

Maria vero, licet ob iam constitutas causas falsedine carere non possint, numquam tamen redduntur acetosa, seu acria, quoniam quicquid aerei combusti concipiunt, statim euaporat ob illorum agitationes, nullis præsertim impredientibus, ipsoq. aere superiora petentæ.

*De Odoribus.**Cap. XXVI.*

**S**ED iam ad ipsos odores oratio conuertenda est. Hi saporibus quidem essentialiter copulantur, non tamen omnibus, sed illis tantummodo, quorum sapor constituitur ex concordia copulatione humidi aquei, seu aerei, & sicci ignei, quæque caloris seu interni, seu externi virtute ita exhalare, ac spirare possunt, ut eandem concordem copulationem effundant, ac spiritali quadam ratione obijciant.

Patet autem, ea omnia, quæ ex summa certi elementi seu concoctione, seu combustione simpliciores saporibus obtinere, ex proprii temperamenti natura omnino destitui seu ignea siccitate, quod plene concoctis euenit, seu quacumque humiditate, quod plene combustis accidit: ideoque horum nullum, odorem emittere, nisi forte aliud inconcoctum, incombustumue contineant, seu ex talium adiunctione immutentur. Humidum vero tunc associatur sicco igneo concorditer, ac secundum Naturæ leges, cum siccum tamquam humido perfectius, præcipua munia lustinet. Quapropter odoris  
etiam

etiam natura ex sicco præcipue deducenda est, sancendumque, odorem concomitari exhalationem siccam, quæ humidi complexionaliter, atque ex certa concoctione sibi adiuncti, vim complectatur; & ut vno verbo illius essentia plenius exprimat, re ipsa nihil aliud esse, quam saporem spirantem. Hæc vero docere possunt, odores omnino simplices non dari: odori siquidem essentialiter est, ex ijs saporibus colligi, quæ neque omnino concocta, neque omnino combusta sunt, sed vel consistunt in certo harum gradu, vel tendunt ad maiorem concoctionem, combustionemue, seu etiam delabuntur a priori concoctione. Constat autem, compositi exhalationem, exhalationisq. vim, necessario compositam esse. Illi tamen inter odores, simpliciores censerentur poterunt, qui spirant ex magis seu concoctis, seu combustis, odorum tamen naturam non repellentibus. Odor igitur carniū uiuentium, relatus ad alios saporibus, simplicissimus dicendus erit: elementa enim has carnes constituentia, obtinent omnem concoctionem, quæ tali copulationi, ac temperamento aptari potest.

Idem etiam ex eo colligitur, quoniam, nisi fortior odorandi virtus accedat, talium carniū odor vix percipi potest. Eadem tamen carnes si igni apponantur, ex assationis vi plurimū odoris effundentur.

Huic odori, qui, si saporibus comparetur, panis saporem refert, aduersabitur, uti extremus, odor aromatum maxime combustorum, ut puta, piperis, caryophylli, & cinnamomi. Hic similiter vis sensum mouet: excitari tamen solet non quidem per assationem, ut carniū odori euenit, sed per oppositam elixationem, quæ exercetur circa hæc aromata, aqua demersa.

Priori extremo proximus erit odor fructuum humidorum, maturorumque. Hic deficit a simplicitate odoris, qui conuenit uiuentibus omnibus, quoniam fructuum concoctio nullum certum terminum intendit, sed indefinenter protendi solet. Hunc odorem, qui si saporibus comparetur, pinguem utcumque æmulari videtur, uinorum, ac aceti odores ingredientur.

Alteri extremo proximior erit odor aromatum minus combustorum, ut puta, thuris. hæc siquidem combustionem continent, sed non ita intensam, ideoque illorum odor facile percipitur, ex assationis tamen ui magis excitatur, sicut fructuum nonnulli, igni appositi, magis spirant.

Inter enumeratos odores quintus, ac medius constituitur odor

florum, lignorum omnium, & ceterorum, quæ pinguis, ac viscosa magis sunt, vt puta, myrrhæ, balsami, caldamæ, & huiusmodi aliorum.

Hæc omnia longe acutius spirant, illorumq. odor, nisi aliquorum tenuitas obsistat, tam per assationem, quam per elixationem excitari solet. Odorata trium ordinum, qui continent combustionem aliquam, non deducuntur ob dissolutionem ad odorem fetidum. Carnes autem, & fructus, dum dissoluuntur, ideo fetent, quoniam omni combustionem carent.

*De sonorum, ac vocum differentijs, & causis. Cap. XXVII.*

**S**ONIS omnibus commune est, propria tum substantia, tum inhærentia carere, sed in ipso ortu, ac generatione deficere. Generantur autem ex aeris refractione, quæ ob vehementem aliquem seu impulsu, seu attractu, seu percussione efficiatur. euenitq. ob id, vt sonorum differentiæ eliciantur non tantum ex substantialibus illorum formis, sed etiam ex causarum sonum ipsum emittentium natura, ac usu multiplici. Has omnes in ipsius hominis vocibus intueri possumus. hæc siquidem, vt pote perfectissimo composito propria, inter ceteras omnes perfectissimæ sunt, ideoq. ceterarum etiam differentias, ac vires eminentiori quadam ratione complectuntur, & docent.

Substantiales, seu formales sonorum differentiæ illæ videtur esse, quæ vocalibus signantur notis. Quæ deducuntur ex sonantium, seu vocem emittentium usu, consonantium prolationibus aptantur. Demum, quæ eliciuntur ex sonantium, vocemq. emittentium viroboreq. multiplici, erunt illæ, quibus soni graues, acuti, seu medijs denominantur. Horum ordinum vnusquisque, si attendantur simpliciora differentiarum exordia, complectetur quinque sonorum, seu vocum species, ea tamen ratione, vt vocalium vnaquæque quinque consonantes videatur inducere. Vocales, seu substantiales vocum differentias vere quinque esse, manifestum est, necnon, prout in propria, ac naturali simplicitate, & puritate concipiuntur, quinque vsitatis notis signari, videlicet A. E. I. O. V.

Inter has, A. quoniam maxime gutturalis est, vnus extremi occupat partes. V. vero, quoniam oris summam eiectionem requirit,

rit, alterum extremum constituet. Quapropter hæc duæ voces, quatenus ita proferantur, & simplices omnino erunt, & ad sapes comparatæ, panis sapor, ac falsedini proportione respondebunt.

Trium autem mediarum vocalium simplicium, I. dulci, E. acri, O. pingui sapor, respondere videntur. Si quis autem has vocales a naturali puritate diuertat, easdemq. quodam pacto commisceat, vocales quidem voces signabunt, sed compositas, cuiusmodi sunt, quæ diphthogis signari solent. Vocalibus omnibus, quatenus absque consonantibus proferantur, commune est, ex sola oris formatione, prout vniuscuiusque naturæ conuenit, proferri, nullamq. seu linguæ ad palatum, seu linguæ ad dentes, seu labiorum adinuicem, percussione requirere. Consonantes econtra, tales percussiones exposcunt.

Hæc uero percussiones ab inuicem distinguuntur, non tantum ratione partium percutientium, ac percussarum, sed etiam ratione modi. ex quo factum est, ut uocalium unicuique quinque simplices consonantes aptentur: pars siquidem, ex cuius usu uocalis unaquæque profertur, quinque rationibus præcipuis percuti potest.

Consonantes igitur, quæ V. uocalis, prout est uocalis, naturam sequuntur, sunt B. F. M. P. & V. quatenus consonantis exercet vires. harum enim unaquæque ex labiorum, quorum simplex formatio spiritu adiuncto, V. uocalem proferre solet, certam quandam percussione exquirat. Consonantes, quæ I. uocali respondent, ideoq. proferri solent ex percussione illius palati partis, quæ ad dentes magis accedit, sunt, C. D. G. L. T.

Reliquas autem consonantes, quæ tribus alijs uocalibus sunt magis consonæ, supradictorum rationibus insistentes, facile perquirere poterimus, præsertim si plurium idiomatum colligamus usus, patet siquidem, unicum idioma omnes uocum differentias non exercere.

Simplices sonorum differentiæ tertij ordinis ad quinarium numerum similiter deducuntur, quoniam harmonicæ proportionibus simplices quinario numero comprehenduntur. Ideo autem hæc sonorum differentiæ, simulq. earundem dispositio omnis ex harmonicarum proportionum simplicium differentijs, ac dispositione colligendæ sunt: quoniam, (ut diximus) sonorum existentia in ipso tantum generationis actu consistit, neque illius certa ratio designari potest ex re aliqua certa, ut reliquis accidentium ordinibus conuenit:

uenit:

uenit: sed colligitur necessario ex certa relatione soni ad sonum. Hæc uero relationes harmonicæ, ac simplices erunt, quoniam communis Naturæ uis, sicuti omnem dissonantiam abhorret, ita in omnibus harmonicam proportionem iniicit, simplicibus quidem simplicem, compositis autem compositam.

Quod autem harmonicæ proportionem simplices quinque sint, Musici cognoscunt, & probant. Nobis in præsentia satis erit, eas ex senario numero colligere. hic siquidem numerus recte admodum amicitia numerus appellatur, neque ob id tantum, quod secundum omnem rationem possibilem in partes diuisus, rursum ex propriarum partium collectione absque ullo excessu, seu defectu reficiatur: sed etiam (quod longe admirabilius est) quoniam unusquisque numerus ipsum ingrediens, ad proximum numerum relatus, harmonicam proportionem constituit, neque aliæ harmonicæ proportionem præter has, quæ simplices sunt, ac compositas omnes constituunt, inueniri possunt. Prima igitur proportio harmonica simplex oritur ex proportione unitatis ad dualitatem, simulq. ex dupla proportione.

Hæc, quoniam deducitur ex remotissima proportione, a Musicis Diapasson; a canentibus uero octaua dicitur.

Secunda colligitur ex relatione duorum ad tres, ex ipsa scilicet proportione sesquialtera, & a Musicis Diapende, a canentibus uero Quinta appellari solet.

Tertia deducitur ex relatione trium ad quatuor, ex ipsa scilicet sesquitercia proportione, & a Musicis Diatessaron, a canentibus autem Quarta vocatur.

Quarta oritur ex relatione quatuor ad quinque, ex ipsa scilicet sesquiquarta proportione, atque a Musicis Ditoni, a canentibus uero Tertiæ maioris nomen accepit.

Quinta, & uelut colligitur ex relatione quinque ad sex, ex ipsa scilicet sesquiquinta proportione, atque a Musicis Semiditonus, a canentibus autem Tertia minor nominatur.

Harmonicarum proportionum exordia ita constituta sint. Quod uero attinet ad earundem dispositionem, cuius perceptio ad id, quod intendimus, non parum conducit: sciendum est, uocem unamquamque, quæ ad aliam uocem harmonice referatur, necessario illa uel grauiorem esse, uel acutiorem. Præterea, data certa aliqua uoce, illi ex necessitate duas alias uoces ex parte acutiori, rotidemque

ex parte grauiori, harmonice posse associari, tuncq. non tantum omnes harmonicæ proportionem simplices exerceri, sed earundem etiam decentissimam dispositionem constitui. nam, si recte sancitum est, Diapasson summam harmonicarum proportionum distantiam continere, hancq. octonarium uocum numerum non transire, patet, accepta, exempli gratia, uoce, quæ denominetur scilicet, illi ex parte grauiori harmonice adiungi posse uoces, quæ ad eam relata, 1. & 3. appellari possunt. similiq. ratione, eidem 5. ex parte acutiori harmonice addi uoces 7. & 8.

Constat etiam, uoces has sic dispositas, proportionum harmonicarum simplicium numerum ea ratione complecti, ut simul harmonia omnis, atque harmoniæ modi omnes, consummationem recipiant. 3. enim ad 5. Semiditonum, seu Tertiam minorem constituet; 5. ad 7. Ditonum, seu Tertiam maiorem: 1. ad 5. Diapende, seu Quintam; 5. ad 8. Diatessaron, seu Quartam: & demum 1. ad 8. Diapasson, seu octauam complent, in qua omnium harmonicarum proportionum limites figuntur. Omnis igitur harmonicarum proportionum simplicium dispositio talis erit; 1. 3. 5. 7. 8. In hac autem dispositione inter 7. & 8. toni, inter 3. & 8. sextæ, & inter 1. & 7. septimæ rationes constituuntur. Tonus autem, qui solitarie acceptus, harmoniam non constituit, in huiusmodi harmonicarum proportionum dispositione plenior harmoniâ inducit: similiq. ratione, sexta, & septima, quæ seiunctim acceptæ dissonantiam pariunt, harmonicis proportionibus sic associatæ, ad totius harmoniæ decorem non parum conducunt. Hæc diligentius enarranda esse censuimus, quoniam non tantum uocum differentias tertij ordinis, decentemq. illarum dispositionem, ac usum demonstrare possunt, sed vim etiam non infirmam afferunt ad ea confirmanda, quæ circa aliorum generum quinarium qualitatum numerum superius sancita sunt: harum siquidem specierum unamquamque ex certa aliqua harmonicarum proportionum simplicium ratione pendere necesse est, quamuis illarum existentia non ex sola proportione, ut soni, sed ex certa quadam rerum specie deduci solet.

Quapropter tamquam exploratum accipiendum est, extremas uniuscuiusque generis species, sicuti ex toto inter se distant, ita proportionem harmonicam, quæ dicitur Diapasson, inter se exercere, quæ inter utramque extremam constituitur media: respectu unius extremæ, Diapende, & respectu alterius, Diatessaron referre; similiq.



liq. ratione in vnoquoque specierum ordine, Ditoni, semiditoni, Toni sextæ, ac septimæ rationes contineri, atque harmonicas proportiones omnes una cum illarum modis uere ad actum deduci. iam enim constitutum est, Naturæ communis uim dissonantiam omnem refugere, consonantiam uero omnem complecti. Silentio autem demandandum non est, acutum, & graue, necnon medias uoces omnes, duabus rationibus concipi posse, absolute scilicet, & respectiue. sæpe enim uox, quæ absolute acuta non est, dum refertur ad aliam uocem illa longe grauiorem, Acuta appellari solet: & econtra, uox satis acuta, ad acutiorem relata, Grauis denominationem consequitur.

Quod autem ad uocum, ac sonorum omnium generationem attingit, sciendum est, tunc aerem uere frangi, cum uis, illum seu impellens, seu attrahens, illius tum agilitatis, tum ad parendum facilitatis proportionem excellit. tunc siquidem aer non dissipatur, sed disruptionem, seu contractionem aliquam ex necessitate patitur. Id autem in mutuis rerum percussionibus quammaxime euenire potest, præsertim, si ambæ, uel illarum altera, durior, ac terfa sit. Videtur autem, dum magna aeris pars simul frangitur, sonos grauiore reddi: dū uero frangitur parua pars, sonos acutiore. Vterque uero uehementior erit, uel minus uehemens, pro uerberiori, seu tardiori percussione, attractione, & expulsionæ.

Tinnitus autem, qui post aliquorum percussione, ac primam soni emissionem, longiori spatio personare solent, non paruam admirationem asserere possent: compertum tamen est, eos ascribendos esse aereis qualitatibus, quæ his corporibus insunt. hæc quippe non patiuntur, corpus percussum statim uere, & perfecte quiescere, Ideoque motu quodam uix perceptibili aerem circumiectum expellunt, & attrahunt, ex quo oriuntur huiusmodi tinnitus. Id ex eo etiam facile coniectare licet, quoniam, si corpora hæc, filo affixa, non pendeant, neque motum libere exercere possint, nullum sonum retinent.

Responsiones uero, ac reboationes, quas uocibus semel emissis, concaua, & laxosa reflectere solent, ipsamque Echo seu plene, seu ex parte constituere, sonorum potius similitudines, quam soni appellandæ sunt. quamuis enim absque aeris contractione non dentur, priori tamen contractioni innituntur. Sibili tamen uentorum, inter ueros sonos poterunt connumerari, quoniam primam aeris fractionem uidentur consequi.

*De colorum speciebus, proportionibus, ac dispositionibus. Cap. XXVIII.*



**E**X TREMI colores, qui ad inuicem relati, Diapasson referunt, sunt albedo, & nigredo. hi siquidem, qui ex toto simplices sunt, ceteris omnibus tamquam limites constituuntur.

Tres medij, qui simplices uere sunt, sed inter album, & nigrum continentur, erunt color rubeus, qui magis ad nigrum, quam ad album accedit, color flauus, seu aureus, qui albedini proximior est, & color hyacintinus, qui ita est medius, ut respectu nigri, Diapende referat, respectu albi Diatessaron, respectu rubei Semiditonum, respectu flauo Ditonum. Ipse uero flauus respectu rubei, Diapende constituet, rubeus autem respectu nigri Ditonum.

Præter has harmonicas colorum proportiones dabitur etiam Toni proportio, quæ neque consona, neque dissona est, inter flauum, & album: proportio Sextæ, quæ simpliciter accepta est dissona, inter rubeum, & album: & proportio Septimæ, quæ si a ceteris seiungatur, itidem dissona est, inter nigrum, & flauum. Et horum quidem unumquodque sensus, & experientia testantur. patet enim pictores neque rubeum, neque hyacintinum, neque flauum, sicuti neque album, seu nigrum, ex certis mixtionibus conficere posse, nisi concoctio noua accedat, cum tamen ceteros colores omnes ex simplicium aliquorum commixtione eliciantur. cæruleus enim oritur ex hyacintino, & albo: uiridis ex flauo nigredine aliqua adiuncta; puniceus ex cæruleo, & nigredine; fuscus ex nigredine, & albedine: cineritius ex albo, nigredine aliqua accedente. Reliqui etiam colores, ac colorum gradus, simili ratione absque ulla nouæ concoctionis uis generari possunt. Constat quin etiam, rubeum magis ab albo distare, quam hyacintinum: hyacintinum magis, quam flauum; necnon eundem hyacintinum singulis simplicibus coloribus uere consonum esse; flauum albedini ualde proximum, ex eo tantummodo illi esse consonum, quia ab eo non discrepat: nigredini uero, a qua ex Septimæ proportionem distat, manifeste aduersari uidetur, sicut etiam albedo rubedini non concordat, nam referunt proportionem sextæ. Hi tamen colores uere consoni erunt, si simplicium colorum omnium series harmonice disponatur quinque circulis ita constitutis, ut minimi area, quæ est circa centrum, sit nigra; ex qua tuor uero Zonis circularibus minor, quæ minimo circulo, ac nigredini

dini est proximior, rubea reddatur; maior, huic proxima, fiat hyacintina: tertia hanc contingens, flauum colorem concipiat; & extrema ceteras complectens, albedinem retineat. Ipse autem hyacinthinus, omnium medius, ideo respectu nigredinis, Diapende constituet, & respectu albedinis Diatesaron, & non econtra, quoniam albedinis color omnium perfectissimus est, & maxime vehemens. Naturæ vero ordo exquirat, ut singula ad perfectiora sint magis propensa, firmiterque magis adhæreant.

Eandem etiam ob causam euenit, ut minima horum colorum simplicium distantia, quæ ex tono oritur, non inter nigrum, & rubeum, sed inter flauum, & album constituatur. Animaduersione autem non indignum existimamus, colores inter se differre non tantum, quoniam essentialiter magis, seu minus ad alterum extremorum accedunt, sed etiam, quoniam illorum proportionem, quæcumque illa sit, seu interne colligunt, seu externe diffundunt. euenit siquidem, ut rubeus color, qui plus nigredinis, & minus albedinis complectitur, quodammodo magis conspicuus sit, quam hyacinthinus: hic nempe, licet plus albedinis contineat, & minus nigredinis, illius tamen albedo magis interne detinetur, ideoque obtunditur; nigredo vero est magis externa, ideoque acuitur, & magis conspicua est. Flauus autem color, maxime conspicuus est, quoniam & plurimum albedinis continet, & dum ea, quæ nigredini fauent, interius colligit, quam maxime obtundit.

Puniceus color, & viridis, quorum vnusquisque simplicium naturam æmulari videtur, partem, quæ nigredini fauet, expandunt; eam vero, quæ albedini consentit, interne retinent. Quapropter, licet puniceus color in albedinis portione parum fortasse a rubeo deficiat; & viridis eundem rubeum plurimum excedat: nihilominus puniceus a rubei conspuitate plurimum recedit, & viridis, nisi sit valde purus, illo obscurior apparere solet. quamobrem, cum inter hyacinthinum, & rubeum sit medius, si vna cum puniceo simplicioribus coloribus adiungatur, omnium etiam medius erit. albedo enim, ut exordiamur a clarioribus, primum locum obtinebit, flauus secundum, hyacinthinus tertium, viridis quartum, rubeus quintum, puniceus sextum, & niger septimum.

Hæc tamen, ut ex constitutis patet, veram hyacintini mediocritatem non destruent.

*De causis colorum, qui pendent ex subiectorum temperamentis.*  
Cap. XXIX.



ED iam colorum, quatenus ex rerum temperamentis deduci possunt, causæ explicandæ sunt.

Has elementalibus qualitatibus, terreisq. præcipue, ascribendas esse, manifestum est. nam ex eisdem etiam temperamenta constituuntur, & inter elementa, sola terra & colorata est, & subsistit. patet autem, colores hos circa consistentia tantum versari; reliquæ tamen qualitates elementales non parum momenti ad colorum distinctiones afferre solent, prout in his, quæ ad colores pertinent, terreis consentiunt, seu dissentiunt, fauent, seu aduersantur, eisdemque intendunt, seu remittunt.

Inter terreas vero qualitates, terrea frigiditas, dum a terrea siccitate seiungitur, albedinem parit. hanc siquidem simplici etiam terræ elemento aptari nouimus. Terrea siccitas, dum a terrea frigiditate diuellitur, nigredinem inducit. Aquearum, & ignearum qualitatum vnaquæque ex propriæ naturæ vi, albedini fauent, cui aerea humiditas etiam consentit. Aerea vero caliditas terrea siccitatis partes sequitur, nigrediniq. seu fauet, seu assentitur. Hoc ex summa carbonum nigredine conspicuum redditur: illorum enim temperamentum, ut dictum est, oritur ex terrea siccitate, & ex aerea caliditate. Harum vero vtramque ex huiusmodi temperamento nigredini fauere conuenit, quoniam nigredo maxime obscura est, recteque ob id mæstitiæ color appellari solet. Hæ autem qualitates a proprio statu violenter reiectæ, ac ad deteriorem detrusæ, hac ratione mærorem non sensu, sed vi veritatis conceptum quodammodo testatum reddunt.

Non dissimili conatu, terrea frigiditas, & humiditas aerea sibi inuicem consentientes, albedini fauent, ut ex farinarum natura patere potest. ex huiusmodi enim amplexu, terrea frigiditas statum longeliberiorem adipiscitur: aerea vero humiditas longe tutior redditur. Quod autem igneæ qualitates ex propria natura albedini faueant, & nigredini aduersentur, ex carbonibus ignem concipientibus manifestum est. hi siquidem, qui ex proprio temperamento sunt summenigri, ignearum qualitatum virtute rubei efficiuntur, sæpe etiam albescunt.

Eadem qualitates, dum ab his concipiuntur, quæ alba sunt, nec

• Qq ij facile

facile comburi possunt, illorum albedinem non parum adaugent, ut in metallis albis liquefcentibus intueri licet. Igneam quoque siccitatem, ab ignea caliditate seiunctam, idem utcumque præstare, ex calce, & ex fuligine manifeste colligitur. calx enim, quæ ob terream frigiditatem puriorem alba esset, ob igneæ siccitatis adiectionem longe candidior redditur. fuligo econtra, cum ex sicci terrei, & calidi aerei ui, summam nigredinem referre posset, ex ipsius igneæ siccitatis adiectione, rubedinem aliquam concipit, summamq. nigredinem retundit.

Quod vero attinet ad aqueas qualitates, ambigi non potest, quin albedini faueant. nam nix, continens aqueam humiditatem, est maxime alba: & marmora, in quibus aquea frigiditas manifeste inest, dum illorum terreum caret combustionem, candida sunt.

Quamuis autem ignearum, & aquearum qualitatum naturæ huiusmodi sint, illarum tamen vnaquæque ex accidenti, albedini aduersari, & nigredini fauere solet. igneæ enim qualitates, dum aereæ humiditati, terreæq. frigiditati essentialiter obijcitur, easq. expellit, albedinis causis reiectis, albedini manifeste aduersatur, & nigredini fauet.

Iterum tamen albedinem fouet, dum proprium perficit opus, carbonesq. in cineres resoluit. tunc enim calido aereo recedente, igneque ob pabuli defectum extincto, frigiditas terrea, cui albedo annexitur, ex necessitate succedit: cineres tamen summam albedinem non adipiscuntur, quoniam huiusmodi frigiditas elementalem statum adhuc non consequitur, sed retinet aliquid combusti terrei, calidiq. aerei, ideoq. nouo igni appposito, iterum, atque iterum concoqui solent, semperq. aereo, simulq. terreo combusto magis recedentibus, albiores redduntur.

Aqueæ qualitates ex eo nigredini fauere solent, quoniam igneis qualitatibus albedinem inducentibus aduersantur, easdemq. refrangunt, sicuti & ipsæ ab eisdem retundi, ac refrangi solent. Et hæc quidem mediorum colorum causa propriissima censenda est. sicuti enim vehementioris ignis uis terream frigiditatem omnino expellens, terreæq. siccitati aeream caliditatem adiungens, summam nigredinem inducit: ita remissior ignis, & ex aquearum qualitatum virtute refractus, eisdemq. complexionaliter copulatus, medios colores inducet. tunc siquidem albedinis, ac nigredinis causis, pluribus rationibus refractis, & in certum temperamentum consentien-

tibus,

tibus, neque puram albedinem, neque puram nigredinem intendent, sed aliquem colorem medium: Et siquidem mixti suppositi concoctio plenius consumetur, constituentur colores simpliciores, flauus scilicet, hyacinthus, & rubeus: Si vero concoctio non sit perfecta, orientur colores magis compositi, puniceus scilicet, & viridis. Ipse tamen viridis color ex imperfecta concoctione videtur oriri, ut facile patere potest ex aquis supra terras pinguiore stagnantibus, ac quodammodo marcescentibus. hæ enim ideo virides sunt, quoniam terræ suppositæ siccitas, & aquæ superpositæ humiditas, se inuicem refrangunt, & vtriusque elementi frigiditas, cælestium luminum calefactionem refugiens, se inuicem vehementius amplexantur. Itaque, calefactione non recedente, quodcumque ex terreo comburitur, terrea siccitate retenta, aquæ frigiditati fortius adhæret, simulq. aqueam humiditatem non parum retundit, ac comprimit, & ad aliquam soliditatem deducit, quæ viridem colorem concipit, nam terreum combustum nigredini, aqueæ vero qualitates albedini fauent. Itaque vtraque parum in medio colore consentit, imperfecto tamen, ac impuro, quoniam aquei copiam, & interni caloris defectus concoctio consummare non potest.

Eisdem rationibus herbarum, ac plantarum communis viriditas demonstrari potest. nam harum temperamentum ex eo tantummodo ab aquarum muscosis differre videtur, quoniam plantæ magis terreæ sunt, & minus aquosæ, atque etiam, quoniam prodeunt a seminali calore; aquæ vero muscosa ex sola cælesti calefactione oriri solent. Sicuti autem omnes plantæ terrei plus continent, quam aquarum muscus, ita plantæ, quæ oriuntur super terram emergentem, longe solidiores sunt ijs, quæ sub aquis nascuntur.

Talis proportio inuenitur etiam inter cortices arborum recentiorum, & arborum vetustiorum: hæ enim quoniam magis aduruntur, nigriores sunt. Herbæ vero dum adhuc intra terram detinentur, seu superne constipantur, obijciunt summam albedinem, quoniam illarum frigiditas terrea, & aquea, quæ albedini fauent, constipantur ob circumpositionem terræ, seu foliorum: quorum vnumquodque frigiditatem continet, & eisdem fauet; terreo vero combusto, ac siccitati omni aduersatur. Nigredinis igitur causa omnino cōpressa, ac his, quæ albedini fauent, confirmatis, & depuratis, summam albedinem effundi necesse est. Dum vero plantæ ad superiora euehuntur, seu harum circumuolutionum fulcimentis destituuntur, passim virides

rides sunt, quoniã in illis vigent aqueæ qualitates, quæ dum cohibere non possunt vim terrei combusti, sibi adiuncti, ob oppositam reactionem externi caloris, qui siccitati fauet, viriditatem effundunt.

Sicuti autem herbarum, ac plantarum folia passim uirentia sunt, ita illarum flores, qui perfectiorem concoctionem exposcunt, simplicioribus coloribus decorantur, albedine scilicet, colore flauo, hyacintino, ac rubeo, quibus tamen puniceus etiam adiungi solet.

Ea uero, quæ ex propriæ, ac essentialis concoctionis ui colore flauo afficiuntur, continent quidem parum terreæ siccitatis, & aeræ caliditatis, quæ ad nigredinem vergunt, sed quam maxime firmum, ac tutum.

Itaque non facile auelli, seu dirumpi potest a terreâ frigiditate, aereâq. humiditate, quæ albedini fauent. Idem euenire solet ijs, quæ simpliciter rubea sunt, quæ tamen continent plus combusti. In illis uero, quæ ex propria, & essentiali concoctione sunt cærulea, seu punicea, combustum ut plurimum infirmius defendi solet. quapropter, sicuti plantæ, parientes flores seu flauos, seu simpliciter rubeos, ob summam custodiam illorum, quæ nigredinem inducunt, semper, & ubique, flores eiusdem coloris parere solent: ita, quæ puniceos, seu cæruleos flores emittunt, quoniam, quæ nigredini fauent, in illis minus firma reperiuntur, si fortior dirigendi accedat vis, sæpe proprios flores ad albedinem perducunt. Quapropter plantarum plurimæ, non tantum eadem specie retenta, sed eodem etiam indiuiduo, & puniceos, & hyacintinos, & albos flores producant.

Euenit etiam, eandem ob causam, ut flores albi, hyacintini, ac punicei, homini cibum decenter suggerant, flauo uero, ac simpliciter rubei, non item. illorum siquidem terrestris siccitas firmius compacta, nisi aqueæ humiditatis ui expandatur, non facile digeri potest. Dum uero aquei plurimum continet, ut in fructuum parte nõ parua euenit, siccitas flauum, rubeumue colorem inducens, ex aqueæ humiditatis vi ita expanditur, ut digestionem non aduersetur.

Plantæ autem, ac arbores omnes, dum moriuntur, ideo ex ea parte, qua uiuentes virent, referunt nonnumquam colorem album, sed sæpius flauum, quoniam, aqueis qualitatibus recedentibus, simul terreâ siccitas eisdem temperata, & aqueis vehementius adhærens, recedat necesse est. remanet tamen, ut in pluribus, minima quædam illius pars, cuius vi summa albedo perturbatur, atque ad flauum colorem deflectitur.

*De coloribus, qui externe accipiuntur, simulq. de causis perspicui, & opaci.*  
Cap. XXX.



**Q**UAE ex proprii temperamenti vi certum aliquem colorem pariunt, ex alterius colorati seu contactu, seu receptione, seu expansione, seu imbibitione, proprium colorem effundere, & alienum referre solent. hæc tamen pro agentium, ac recipientium differentijs & dantur, & exercentur. ea enim, quæ carent omnino aerea caliditate, & aquea humiditate, proprium colorem non transmittunt ad alia. Quæ aeream humiditatem habent, simulq. farinosa sunt, ex sola supereffusione inficiunt, & alienos colores ad tempus immutant. Quæ aeream caliditatem continent, & aquea humiditate carent, si solida sint, alia solida signare, atque etiam largius inficere possunt, idq. ea ratione, ut ex suppositi coloris natura a proprio actu non perturbentur: nam alba signantur nigredine, & nigra albedine, idemq. euenit ijs, quæ medios colores referunt. Quæ aqueam humiditatem complectuntur, si fluida sint, & fluidis contemperentur, proprium, & alienum colorem refrangunt. Eadem fluida si addantur solidis, solida semper inficient, non tamen semper interne afficient, sed tunc tantummodo, cum recipiens bibulum est.

Dum uero inficiens fluidum quidem est, sed terreum continet, affectio expelli non poterit, præsertim, si calidi virtute intimius frigatur. Animaduertendum est autem, in his colorum mixtionibus, infectionibus, & affectionibus, colorum obscuriorum vim longe firmiorem esse, ideoq. euenire, ut, quo magis colorata ad albedinem tendunt, tanto facilius alieno colore afficiantur, & quo magis ad nigredinem vergunt, tanto difficilius. ratio est, quoniam nigredo oritur ex infectione, albedo autem ex depuratione: & quæ alium colorem recipiunt, non depurantur, sed necessario inficiuntur.

Omnes colorum affectiones, siue sequantur rei subiectæ temperamentum, siue externe adijciantur, noua quadam ratione ab inuicem distinguuntur: illarum enim quibusdam perspicuitas, quibusdam opacitas associatur. perspicuitas aqueis conuenit, præsertim, si frigidi virtute coagulentur. opacitas terreis præcipue aptatur, atque eo magis, dum mixti constitutio oritur a caliditate, nam caliditati conuenit, aquea resolueri, & terreâ cõstipari: quorum vnumquodq. perspicuum amouet, & opacum parit. eadem tamen perspicuitas

etiam

etiam fauere poterit, seu ob simplicem materie dispositionem, dum scilicet aqueum terreo vehementius adhæret, nec comburi potest, vt in vitri constitutionibus euenit: seu ob moderatum etiam calefaciendi vsum, vt in sacchari depurationibus accidit. Non dissimili ratione frigiditas ob materie dispositionem perspicuum non semper inducit, sed opacum etiam quâdoque parit. nam, dum aquei portio ita excedit, vt terreum vix sensu concipi possit, perspicuitas plena est, ac omnino absoluta. dum vero proportio aquei ad terreum diminuitur, pro varijs diminutionum gradibus perspicuitas infirmitur, seu omnino peribit. Itaque quædam sunt quidem perspicua, sed non absolute: quædam non sunt perspicua, sed lucida tantum, ac splendentia: quædam demum omnium perspicuitate, tum splendore carent, & sunt opaca, ac simpliciter colorata.

*De ijs, quæ vere colorata non sunt, sed colorum specimen referunt.*

*Cap. XXXI.*

**R**ÆTER colores, qui vere reales sunt, dantur colorum aspectus non pauci, quorum contemplatio omittenda non est. Hi necessario oriuntur ab his, quæ vere seu colorata, seu lucida sunt. nam, sicuti absque vero non datur verisimile, ita, quocumque colorato, & quocumque luminoso amoto, coloris apparentis aspectum dari impossibile est.

Apparentes autem colores pro agentium, ac recipientium diuersitate, quandoque nihil aliud sunt, quam colorum realium imagines realibus omnino consonæ: quandoque nullam veritatis imaginem referunt: quandoque rationem vtramque confundunt. nam veros quidem colores referunt, sed varie infectos, ac perturbatos. His omnibus recipientibus commune est, densitatem aliquam continere: diaphana enim, & rara, (vt alibi dictum est) dum lumine illustrantur, visibilium speciebus ita aditum præbent, vt, nisi occurrat densum, quod harum specierum vltiori protensione obsistat, nullum aspectum obijciant. hoc vero obsistente, roborantur, colligantur, ac coaceruantur, & visibile aliquod obijcere possunt.

Eadem etiam recipientia inter se differunt, quoniam aliqua sunt solida, seu solidorum vsum admittunt: aliqua non solida, sed quæ opaci, ac perspicui vim complectuntur.

Solidorum

Solidorum etiam quædam sunt perspicua, quædam opaca, seu opaci vim continent, sed summe terfa, ac splendentia: hæc siquidem cum porosa non sint, non patiuntur, vt poris interclusis, visibilium species disrumpantur, sed eas omnino integras colligunt. Non solidorum quoque, quædam aqueo abundant, atque etiam vtrumque splendent, quædam aqueo videntur destitui.

Terfa, ac splendentia, solida, ac opaca, seu solidorum, & opacorum vim admittentia, quatenus huiusmodi, rerum veritatem ita referunt, vt respectu colorum aut nihil, aut parum ab illa recedant, quamuis cetera, magnitudinem scilicet, figuram, positiones, ac distantias non parum immutare possint, pro multiplici recipientis positione, ac figura. Et hæc quidem satis manifesta sunt ex speculis, & ex alijs, quæ speculorum vim habent. Densa non solida, quæ opaci, & perspicui virtutes associant, dum aqueo abundant, speculorum naturam æmulari videtur, quam etiam assequuntur vtrumque, dum illorum aqueum valde redundat, & ipsa summe adhærentia sunt. Itaque aquæ omnes puriores, veras rerum imagines obijciunt, & nebulæ crassiores, ac summe aquosæ, nonnumquam Solis imaginem referunt, sæpe etiam bis repetitam.

Eadem vero densa non solida, dum minus adhærentia, & minus aquosa sunt, species referre non possunt: quandoque tamen, dum visibilia lucem continent, eamque valde firmam, vt puta, cælestia lumina illis obijciuntur, licet imaginem non obijciant, nec lucem puram, lucem tamen imbibitam ita immutant, vt colorum manifestos aspectus pariat, vt patet ex solaris Iridis arcu, necnon ex circulis, seu coronis apparentibus circa Solem, circa Lunam, & circa Stellas magis perspicuas, atque etiam circa lucernas. sed horum causæ diligentius enucleandæ sunt: neque enim facile definiiri possunt. Videtur tamen, hæc necessario euenire, vel quoniam lux nebulis densis, & aquosis immissa eas coloratas reddat, eadem penitus ratione, qua pluiiarum guttæ ab arboribus, seu alijs sublimioribus adhuc pendentes, Sole matutino irradiante colorari solent: vel quoniam radij colorentur quidem nebularum virtute, sed ea ratione, vt illorum colores visum mouere non possint, nisi ex reflexionis vi perducantur ad alias nebulas densas, quæ hos radios reflexos vltius extendi non patiantur, tuncque illorum vis fortius collecta, conspicua reddatur, pariatque colorum conceptorum aspectus, haud secus, quæ vitro terfo, ac triangulari, solaribus radijs obiecto, euenire solet.

Rr patet.

patet enim solares radios ab eo imbibitos colorari quidem, sed, nisi egressi, simulq. alterius superficiei virtute reflexi, ad solida perducantur, illorum colores non apparere. Primum ex eo parum rationi consonum videtur, quoniam sensus ipse testatur, Iridis, ac coronarum colores tribus Zonis circularibus distingui. quarum una, tota est hyacintina, altera tota viridis, & altera tota rubea. Si nebulae aquosae ex prima radiorum imbibitione colores referrent, singulae aquosae guttae distinctae eosdem colores referrent, necessarioq. id totum, quod coloratur, maculis varijs vnde quaque aspergeretur. praeterea, nulla recta responsio dari posset interroganti, cur nam Iridis area interne non vnde quaque pingatur, sed Zonae tantummodo circulares colores referant: ratio nempe accepta a corporis luminosi specie fortiori, quae respectu coronae admitti posset, respectu Iridis locum non habet. nam Solis post nostrum tergus existentis radij recti, coloratorum intuitum amouere non possunt, sed perficiunt potius. Reliquum igitur est, ut ad secundum declinemus: quo admisso, talia incommoda recte, ni fallimur, effugimus. nam radij reflexi, ac ex nebularum densiorum obiectione firmati, quanto minus distant a punctis reflexionum, tanto fortiores sunt, & albedini magis fauent: &, quanto magis ab eisdem recedunt, tanto magis infirmantur, & colores obscuriores obijciunt. Hi vero rotam aream non tingunt, quoniam radij solares recti reflexi fortiores sunt, atque eo magis, dum a solaris corporis centro effluunt, seu a partibus, eidem centro propinquieribus. Itaque radiorum reflexorum vis in circuli partibus extremis proprium perficit opus, & colores conspicuos reddit.

Ideo autem solaris Iris, & coronae, necnon ipsum vitrum triangulare, radijs solaribus obiectum, colores magis extremos non referunt, albedinem scilicet, & flauedinem, nigredinem, & colorem puniceum, sed medios tantummodo, quos enumerauimus, sibi inuicem summe proximos: quoniam nebulae aquosae, & vitrum imitantur temperamenta constituta ex aqueo, cui vehementius adheret terreum combustum, neque adhuc plene depuratum, quae eisdem coloribus pingi solent.

Horum autem colorum dispositiones respectu solaris Iridis, & respectu coronarum omnino commutantur: in Iride siquidem Zona inferior videtur hyacintina, superior rubea: in coronis econtra, inferior est rubea, superior hyacintina, quod nostrae positioni ascribendum.

bendum est. nam respectu Iridis reperimur medij: respectu vero coronarum, alterius extremi locum assumimus. Hyacintinus igitur color, qui vti albedini proximior tam in Iride, quam in coronis prius inducitur, respectu Iridis magis distat a nobis, & respectu coronae minus.

Patet autem, ea, quae magis distant, obijci tamquam humiliora, & quae sunt magis proxima, maioris altitudinis aspectum afferre. Viridis autem color tam in Iride, quam in coronis obijcitur medius, quoniam, a quocumque extremo sumatur exordium, semper est secundus. Eadem commutatio conspicua est in coloribus, qui ex vitro triangulari effluunt. lux enim, quae ex vnica superficiei Soli obiecta concipitur, per aliarum vtramque egreditur, & in vtraque vtrumq. refrangitur. Respectu igitur colorum, qui ex superficiei inferiori effluunt, hyacintinus est inferior, quoniam deducitur ex graciliori trianguli parte, quae magis vergit ad angulum, ideoque albedini magis fauet; rubeus vero est superior, quoniam effluit ex parte, quae est crassior, ac prope basim, & ad nigredinem est magis prona. Respectu vero colorum, qui ex superiori superficiei prodeunt, rubeus color est inferior, & hyacintinus superior: illorum enim rationes commutantur.

In his etiam viridis ob easdem causas semper est medius. Ex eadem nostra, atque etiam ipsius terrae positione euenit, vt Iridis arcus semicirculum non perficiat, & coronae circulus sit plenus. aspectus enim coronae constitutae inter hominem, & corpus luminosum nulla ex parte interrumpi potest. Iridis vero arcus obtinens alterius extremi locum, dari non potest, nisi dum Sol est prope occasum, seu prope ortum, ideoque necessario pro maiori circuli parte interrumpitur ob terrae interpositionem, cum praesertim nebulae, Iridem referentes, neque ab homine, neque a terra valde distent. Distinguantur autem Iridis, & coronarum colores, & non confunduntur, neque gradatim intenduntur, seu remittuntur, quoniam rerum naturalium species differunt tamquam numeri, & non secundum magis, & minus, licet illarum causae efficientes, ac receptivae saepius certam latitudinem patiantur, & differant secundum magis, & minus. Sed iam ad aliud subiectorum genus transeundum est.

Densa non solida, in quibus aquei vis vel nulla est, vel admodum infirma, ob vehementioris luminis imbibitionem colorum aspectus tantummodo obijciunt.

Id ex nebulis purioribus patere potest: hæ enim, quæ ex propria natura nigredinem continent, dum lumen recipiunt, ac colorantur, ob maiorem raritatem, & aquei defectum ad albedinem sunt maxime pronæ. Quapropter extremos colores, qui ab aquosis repelluntur, vehementius amplexari solent, & medios, qui ab eisdem aqueis præcipue amplexantur, repellere, rubeo tamen excepto, qui non parum ad nigredinem tendit, & viridi est proximus, ideoque vtrumque ordinem ingredi solet.

Præter colores harum nebularum, necnon solaris Iridis, ac coronarum datur albedo Iridis lunaris, in qua superiorum causæ tam efficientes, quam recipientes, contemperari credendum est. nam illius etiam natura inter vtrumque ordinem apparet media. ex eo siquidem, quod circuli portionem continet, solaris Iridis vim æmularur; ex eo vero, quod albedinem tantum obijcit, puriorum nebularum, dum summe illuminantur, retinet usum.

Tertius colorum aspectus, eorum scilicet, qui realibus coloribus, ac imaginibus ex parte sunt consoni, & ex parte diuersi, ex eodem triangulari vitro deduci potest. nam pro varia illius ad oculum appositione non tantum speculi vim simpliciter refert, obijcitque imagines, rebus consistentibus omnino consonas, licet non in proprio situ constitutas: sed etiam speculi, ac mediij, rerum species refrangentis, vires associat, tuncque rerum imagines obijcit summe infectas coloribus iridalibus, hyacintino scilicet, viridi, & rubeo; quandoque tamen viridis deest: sæpe etiam superadduntur alij colores pro vario rerum visibilium statu, exceptis tamen nigro, & albo, qui numquam apparenter superaddi possunt.

Constat tamen, tale vitrum, quoniam album est, & perspicuum; albedini fauere: ideoque recipiens imagines cauernosorum, umbrarum, ac inæqualitatum, quæ nigredini fauent, eas ita ad albedinem deflectit, vt mediorum colorum specimen referant, hyacintini scilicet, & aliorum, quos superius enumerauimus. hos tamen non seiunctim obijcit, sed tamquam res obiectas inficientes, ac obumbrantes. Horum autem aspectus, ac dispositio ex duarum superficierum vsu similiter duplex erit. nam, dum vitri angulus vergit ad superiora, hyacintinus color est superior, viridis medius, & rubeus infimus. Dum vero angulus ad inferiora tendit, superior erit rubeus, & hyacintinus infimiorum locum obtinebit.



## CONTEMPLATIONIS QUARTAE, Pars Secunda:

Quæ versatur circa species, & differentias mixtorum perfectorum, non excedentium corporeum operandi modum.



*De his, quæ præterea in hac scientia tractanda sunt, & de tractandorum ordine.*  
Cap. 1.



OST contemplationem elementorum, mixtorum imperfectorum, necnon illorum, quæ videbantur præferenda ad faciliorem mixtorum perfectorum doctrinam, nunc ipsa perfectiora mixta consideranda sunt. Nostra vero speculatio exercenda erit primo circa minus perfecta, postmodum circa magis perfecta. nam perfectiora imperfectorum contrahunt vires, atque, aliquo superaddito, certa quadam ratione deflectunt. quapropter illis non perceptis, perfectiora scientificè non attinguntur.

Primo igitur immorabimur circa lapides: secundo circa sales, alumina, & cetera eiusdem ordinis: tertio circa metalla: quarto circa uiuentium femina: quinto circa uiuentia, quæ sensu carent: sexto circa uiuentia, ac sentientia, quæ ratione sunt destituta: septimo circa ipsum hominem.

Lapides ex eo tantum imperfectis mixtis digniores censendi sunt, quoniam ex interna uirtute tuentur copulationem inferiorum elementorum, terræ scilicet, & aquæ, quod ab imperfectioribus non præstatur.

Sales, & reliqua eiusdem ordinis non tantum complectuntur seu digniora,

digniora, seu plura, seu plura, & digniora, sed perfectiorum etiam generationi seu fauent, seu subijciuntur. quorum nullum lapidibus conuenit. Eisdem etiam inesse videtur vis efficientis causæ non quidem præcipuæ, sed quasi ministrantis. ex his nempe generantur, quæ igni elemento proportionem respondent, cum lapides materiæ munia præcipue sustineant, & ex his ortum ducant, quæ terræ elementum referunt.

Metalla puriora etiam reddi solent, sæpius quidem externi agentis virtute, quandoque ex propriæ etiam virtutis extensione: quod salibus denegatur. Sulphur etiam, & argentum viuum, quæ ad salium, ac atramentorum ordinem pertinent, sæpius metallorum generationi ministrant, ideoque illorum constitutionem precedunt.

Viuentium semina ex internæ virtutis usu, dum interne corrumpuntur, seipsa ad vltiora, ac ad perfectiorem essendi modum deducere possunt. quod metalla non faciunt.

Viuentia, quæ sensu carent, seipsa etiam absque vlla sui corruptione ad consummationem perducere solent, ideoque ex perfectiori illorum gradu deducenda est summa perfectio, ac consummatio corporum, corporeum essendi, ac operandi modum non transcendunt.

Sentientia corporeum etiam essendi, atque operandi modum transcendunt.

Demum ipse homo virtute intellectuali decoratur, mortalium, ac immortalium corporeorum, ac incorporeorum naturas associat, & inferiora omnia ad proprium finem perducere potest. Itaque ex illius scientia, nostra etiam hæc contemplatio proprium terminum assequetur.

*De lapidum materia, causis, ac differentijs.*

*Cap. II.*



**L**APIDVM materiæ (vt ex superioribus patet) sunt cretosa vna cum aquis, quæ eisdem triplici ratione adiungi solent: quandoque enim cretæ portionem longe excellunt, quandoque ab illa quammaxime superantur: quandoque etiam neque excedunt, neque exceduntur, sed vtriusque elementi vires æqualitatem retinent. quod etiam dupliciter euenire potest, quoniam scilicet æqualiter contemperentur, seu quoniam nunc vnum, nunc aliud excellit. Lapidum igitur materia

teria in totidem ordines distinguetur. Efficientes illorum causæ ratione non dissimili ad eundem numerum deducendæ erunt. nam, cum ex calidi, & frigidi viribus necessario oriuntur, quandoque caliditatis vis quammaxime vigeat, quandoque vero frigiditatis, quandoque etiam sibi inuicem æquali proportionem succedent.

Sicuti autem materiarum, & agentium ordines sunt fere æquales, ita certus materiæ ordo certum efficientem exposcit, & e contra. Singulorum etiam munia, certa quadam ratione exercentur. caliditas siquidem purior magis terrestria, ac cretosa præcipue respicit, quæ ideo ad lapidum naturam perducit, quoniam aquea omnia expellit, & terreis igneam siccitatem, seu etiam aereas qualitates adiungit. Summa, ac valde intensa frigiditas, aquea præcipue respicit, a quibus ex vehementioris constipationis, ac congelationis vi reijcit omnem caliditatem, & terream frigiditatem quammaxime firmat. Calidi, ac frigidi successiones ea ad lapidum formam perducunt, quæ simili successione, humido, ac sicco afficiuntur, tuncque proprium opus perficiunt, cum tam terreæ, quam aqueæ certam concordiam pariunt. Vehementiorem, igneamque caliditatem terreæ, ac cretosa ad lapideam naturam vere perducere, si artis attendatur vis, fictilia, ac reliqua terreæ, quæ in fornacibus concoquuntur, demonstrant. Idem ex Naturæ operibus manifestum est: caliditas enim cretosos succos consumptis illorum aqueis ad Lapidum naturam conuertit, horum tamen nonnulli ita infirmi sunt, ut terræ adhuc naturam redoleant. Itaque terrarum etiam uoce proferri solent. huiusmodi sunt terræ lemnia, samia, chia, & aliæ eiusdem ordinis. Et hi quidem, qui pro materiæ diuersitate sunt seu densiores, ac magis compacti, seu rariores, ac leuiore, oriuntur ex perenni, non tamen omnino intensa, caliditate. Dum uero caliditas est ualde intensa, horum succorum aqueum impellitur ad ebullitionem, ipsaque spuma aquea, ac lutosa consolidatur. nam, humido aqueo omnino consumpto, aereum interne recluditur, ac terreo non absque ignea siccitate conglutinatur. Hunc Lapidum ordinem pumices præcipue ingrediuntur, qui ob id uacua plurima continent.

Inter hos, ac priores lapides medijs fortasse constituuntur illi, quorum cretosa materia, præsertim si spherica aliquanto sit, dum caloris vi constipatur ex parte exteriori, ex parte interiori a tota massa seiungitur, ideoque omne internum comprehenditur ab exteriori quasi a crassiori cortice. Ipsa uero interior pars si sit uiscosa, ac ualde



de tenax, lapidis similiter naturam concipit. Et hæc quidem generatio aptatur Ethiti, seu Aethiti, lapidi, qui etiam Aquilæ lapis dicitur. Si eadem interior pars crassior quidem sit, sed non admodum viscosa, seu tenax, cretæ durioris naturam assequitur, idque in his lapidibus euenit, qui Geodes dicuntur. Quod si interna sint rariora, liquor tantum efficietur, ut in ipso Enidro experiri solet.

Lapides omnes, qui ex calidi ui ortum ducunt, bibuli sunt, ac leuiiores. Itaque quidam in aquis non merguntur, quod in pumice manifestum est. Pluribus etiam uidetur proprium, dum in aquis merguntur, ex aqueæ humiditatis imbibitione liquefcere, atque etiam solui. hoc tamen illis non euenit, qui ex uehementiori, ac diurniori caliditate oriri solent, ut pumices, ac fictilia.

Vehemens, & ualde intensa frigiditas in lapidum generatione est summe efficax, ideoque aquea etiam, quæ ad lapidum naturam uidentur minus apta, ad summam compactionem impellit, neque aereis omnino parcat. id in Iride, & cristallo intuemur: Iris enim ex aereo congelato uidetur constare: cristalli uero materia ita est aquea, ut ad aereum uere tendat, terrestriq. substantia uideatur carere, uti ex illius aquea, ac aerea perspicuitate quam tutissime coniectare licet. Terream tamen frigiditatem in eo quam maxime uigere, ex summa illius grauitate conuincitur. nam glacie est longe grauior. neque enim, ut glacies, in aqua supernatat, sicuti neque etiam infrigidat, aut humectat, ut glacies.

Ceteri lapides, qui oriuntur ex aqua, uehementiori frigiditate correpta, aereis uidentur carere, sed illorum quidam constituuntur ex aqua puriori, ut Berillus, qui ex glacie constipata oriri creditur, & Adamas, cuius aquæ terrestris siccitas uehementius inhæret. Quidam aliquid terreæ substantiæ continent, quæ etiam magis, ac minus combusta est. Et hi quidem ob aquei copiam continent supra dictorum perspicuitatem, sed ob terreæ associationem ab illorum albedine deficiunt, pluribusq. coloribus afficiuntur pro varia terreæ quantitate, ac combustione. Et hi quidem omnes pretiosorum lapidum, seu gemmarum nomine decorantur.

Eadem frigiditas intensior, quæ in pretiosorum lapidum constitutione sibi ipsi quodammodo sufficit, assumpto uel multiplici aqueæ frigiditatis, terreæq. siccitatis, plurimas præterea lapidum species parit.

Id patet ex ijs lapidibus, qui ad aquarum ripas, & in ipsis aquis generantur.

generantur. Idem, ac longe clarius manifestum est ex illarum aquarum ui, quæ, quicquid apponatur, in lapidem conuertunt.

Existimandum tamen est, has præter aqueam frigiditatem complecti quasdam infectiones seu terrestres, seu aqueas.

Eadem aquea vis in Coralijs etiam generatione ex ligneis satis euidens est. hæc tamen intra aquas non consummatur, quoniam maria, in quibus coralijs oritur, sicuti falsedine carere non possunt, ita combusti non parum continent. has autem frigiditati aduersari manifestum est. Itaque huiusmodi lignea supra aquas deducenda sunt, ut, aeris tangentis frigiditate adiuncta, a mollitie ad duritiem perducta, plenius lapidescant. Eandem etiam ob causam coralia raro sunt alba, sed ut plurimum rubent. quandoque etiam nigredinem referunt. nam combustio albedini aduersatur, & nigredini fauet.

Aquæ autem dulciores non tantum perducunt alia ad naturam lapideam, ex terrestri, seu lapidea infectione, sed ipsæ etiam, si quiescant, petrescunt, frigore præsertim accedente. Sæpius etiam ea, quæ ex priori defluxu corrosa sunt ex lapidibus, per quos defluxere, si coaceruentur, redeunt, prout licet, ad naturam lapideam. Itaque ex corrosionibus lapidum, qui in calcem transeunt, constituitur Gypsum: ex corrosionibus lapidum rubeorum oritur lapis infirmior similiter rubeus, qui pictorum delineationibus deseruire solet: ex corrosionibus flauorum, lapis Schitus, & ex aliorum corrosionibus alij.

Dum autem his adiungitur vis terreæ, in quo contineantur aquei, & aerei digesti virtutes, generantur, (ut quidam autumant) lapis Melites, sic dictus ex eo, quod dulcedinem referat, & lapis Galatites, denominatus a lacte, quod sudare uidetur. Ad horum uero generationem, ac immurationem, vim non paruam afferre solent marmora, in quorum scissionibus succus illinitur, ideoque intra scissiones lapidum maculatorum, seu cinericijs coloris inueniuntur lapides, quibus aptatur uox Idæorum Dactalorum, lapis Iudaicus, lapis Trachites, & alij similes.

Lapides tertij ordinis alios excellunt frequentia, magnitudine, & numero: generantur enim ex terreæ, & aquei associatione, calidi, & frigidi uirtutibus sibi inuicem succedentibus, ideoque respectu materiæ, & efficientis, atque etiam modi, ubiq. locorum copiose reperiuntur.

Dum aqueum, ac terreum æqualia sunt, uel certe illorum aliquod

alterum parum excellit, illi lapides constituuntur, qui perspicui quidem non sunt, sed communiter splendent, ac marmorum vocem obtinuerunt.

Dum vero terreum valde exuperat, oriuntur lapides, qui non minus a marmorum dignitate recedunt, quam marmora a gemmarum nobilitate deficiant. Horum vero lapidum imperfectiorum materia sepe inæqualiter compacta est, Ideoque, dum constipatur, vacua non pauca complectitur, in quibus humidiora, simulq. calidiora ita colligi solent, vt, seminali vi concepta, succisq. superadditis generentur animalia quædam, quæ tamen ob loci, ac nutrimenti naturam conchiliorum ordinem ingrediuntur.

Eadem etiam magis perficiuntur, & diutius viuunt, dum saxa marinis aquis abluuntur. nam falsedo ad intimiora utcumque distillans, illis pabula vberiora suppeditat. Quod si falsedo absit, generantur quidem eadem animalia, vt ex illorum imaginibus, saxi inclusis manifestum est; sed diutius non viuunt. nam aquea humiditas rarius superadditur, & ipsæ dulciores aquæ non facile rimantur intimiora.

Quod vero attinet ad lapidum corruptionem, sciendum est, hanc pendere non a frigiditate, sed a sola caliditate ignea, quamuis illorum generatio tam frigiditati, quam caliditati feratur accepta: caliditas siquidem ignea lapides, quorum interna frigiditas est intensior, ad vitream naturam perducit; Eos vero quorum frigiditas est minus intensa, ad calcem. Aquæ etiam corruptæ, ac paludosæ, ob eandem caliditatis vim, interne conceptam, lapides corrumpunt. Idem aquæ salis præstare solent.

Eadem ex frigiditatis virtute, quam facillime patiuntur, lapides aliquos generant, ut ex coralijs patet. Hæc vero lapidum corruptiones eo difficilius, seu facilius perficiuntur, quo lapides sunt nobiliores, seu minus nobiles.

Adamas igitur, quoniam lapidum omnium dignitatem, seu certe fortitudinem videtur excellere, neque igne, neque ferro soluitur: hirci tamen sanguine solui asseritur, præsertim si hircus vinum biberit, uel comederit petrosillum, vel silemontanum: hæc enim hircini sanguinis acredinem ex proprio temperamento acutam, ac firmam, acutiorem reddunt, & firmiorem. Lapidum vero plurimi, dum igni apponuntur, in plures partes disiungi solent, quoniam illorum humor infirmior, terrestris copulationem diutius tutari non potest.

Quidam

Quidam non tantum franguntur, sed etiam sonos grauios ex contractionibus pariunt, quoniam in his humor falsedini associatur.

Quidam in puluerem resoluuntur, quoniam constant ex materia valde lutosa, & terrea siccitas excedit.

Quidam flammam concipiunt, atque eiusdem vi comburuntur, quoniam bituminosi sunt, vt Galgadis lapis, qui etiam igni nutriendo deseruit.

Quidam, licet flammam concipiant, non comburuntur, neque liquefiunt, vt lapis Amiantis, quoniam, ob summum humidi robor, caloris vim excellit. hic tamen facile diuiditur, ac frangitur, quoniam humidi aerei plurimum continet.

De varijs lapidum coloribus, ac proprietatibus.

Cap. III.



Ut lapidum differentias facilius rimari liceat, quibus coloribus illorum vnusquisq. tingatur, explicabimus.

Adijciemus etiam nonnullorum quasdam proprietates, ac virtutes ab alijs traditas, quoniam, si hi colores, simulq. tangibiles horum lapidum qualitates accuratius perpendantur, fortasse rationi non omnino dissonæ reperiuntur. Interim tamen hæc accipienda erunt tamquam proposita ad excitandam aliorum contemplationem.

Primo vero ex iam constitutis accipiemus, terrestris combustionem, eiusdem constipationem, vehementiorem fuliginem, & aquei impuritatem nigredini fauere: albedinem econtra, pendere ex terre puritate, ex eiusdem expansione, ex fumi cuiuscumque carentia, & ex summa aquei puritate: medios vero colores omnes tam simpliciores, quam magis compositos, necnon colorum omnium associationes ex harum causarum seu commixtione, seu associatione constitui. his enim sic constitutis, facile patere poterit, eisdem causis ascribendum esse, cur lapidum quidam vndequaue seu nigredine, seu albedine, seu alio colore, quidam vero pluribus coloribus, ac pluribus rationibus afficiantur.

Nigredine pura afficiuntur, Borax, qui (vt asseritur) ex animali, in cuius capite reperitur, nomen accepit. hic tamen quandoq. etiam albus est, & si extrahatur ab animali non adhuc plene mortuo, retinet in medio cæruleum, quod oculi specimen refert.

Lapis Calcaphanos, qui, vt dicitur, vocem clariorem reddit, &

Sf ij raucedini

raucedinem expellit. Lapis Gerachides, qui, nisi a propria natura deficiat, hominem, a quo portatur, licet mele vnctum, a muscarum, & vespium incurfionibus tutatur. quod si in ore detineatur, vt asseritur, iudicandi, ac cogitandi virtutes adauget, semperq. gestantem, ceteris hominibus gratiosorem, ac amabiliorem reddit.

Lapis Magnesia, qua vitrorum artifices vtuntur, quæque liquefacta (quod absque summa caliditate non fit) vitream materiam clariorem reddit.

Onyx gemma, quæ tamen quandoq. quibusdam venis signatur, albifq. vt plurimum: hæc, (vt traditur) melancholiam excitat, ac fouet: Sardij tamen Lapidis præsentia illi obfistit.

Radais Lapis, qui, vt asseritur, animis hominum conciliandis fauet: Species Lapidis Medij, seu Medi, sic dicti, quoniam in Media reperitur. hic excitat vomitum vsque ad mortem.

Albestum Lapis, qui semel accensus, quoniam valde lanuginosus est, ac vnctuosus, vix potest extinguere: & Magnes duorum ordinum, quorum alter in ferri attractu, alter in eiusdem expulsionem, insignis est. secundus Theamedes etiam appellari solet.

Lapis Cælidonius, qui rubeus etiam inuenitur, sed aliarum virtutum. Vterq. ex hirundinis ventre trahitur. niger aqua coctus oculos sanat. & Orites Lapis, qui sæpius est viridis, maculis albis aspersus.

Albi simpliciter, simulq. nitentes, sunt Christallus: Aleceterius gemma, quæ etiam dicitur Lapis galli, quoniam inuenitur in galli uentriculo, quartum, seu, (vt alij dicunt) nonum annum agentis. hæc (vt traditur) Venerem excitat, victorem discretum, ac constantem reddit, dicendi facultatem exacuit, amicos conciliat, & sub lingua detenta (quod experientia firmiori probatur) sitim extinguit, seu reprimit.

Adamas, qui, si Magneti supponatur, non permittit, ferrum ab illo trahi: Berillus, Iris, Margarita, Sarda, seu Sardo Lapis, qui ita se habet ad lignum, sicuti Magnes ad ferrum.

Lapis specularis, qui vitri munia præstat.

Lapis Zigrites, qui sanguinem stringit.

Albi sunt, sed parum nitentes; Boracis genus, Adromanta, Calcidonius, Lapis Diocodos, Lapis Gelosia, qui ita durus, ac frigidus est, vt nix calefiat. quapropter iram, & luxuriam comprimit.

Lapis Galaticides, seu Galatites, qui a lacte, cuius saporem refert, nomen accepit, & mulierum, ac omnium lactentium vberæ lacte pleniora

pleniora reddit. hic tamen est cinericius potius, quam albi coloris.

Lapis Vernix, qui, vt dicitur, melancholiam, & ijs, quæ ex ea proueniunt, vere aduersatur.

Nicomar, seu Alabastrum, quod frigiditatis vi putredinem retardat.

Lapis Ethindros, qui ob summam frigiditatem aerem circumpositum in aquam conuertit, ideoq. guttis perpetuo distillat.

Lapis Cacabres, qui christallo est similis. Cacama, qui tamen non semper est ex toto albus, sed quandoq. ex parte tantum; Corallium etiam quandoq. est album.

Hyacintini, seu cærulei sunt Sapphirus, qui dicitur Antraces fugare, gestantemq. piuum, ac in bonis firmiorem reddere.

Lapis Turchois, qui visum exacuit, ac deferentem, vt traditur, tutiorem reddit.

Lapis, qui vocatur Cæruleus, seu Lazuli: hic tamen aspergitur guttis auri, & hyacinti aquatici species deterior, ac vilior. flauus sunt Christallus gemma, quæ eadem cum filacterio censetur. hæc febris calorem mitigat, & trita scabiem repellit. Lapis Suetinus, qui confricatus paleas, ac folia trahit, vt Magnes ferrum; ac, vt dicitur, castitati fauet; & accensus serpentes fugat. & Topazion, qui, vt traditur, aquam bullientem deferuere cogit, vt absque manus offensa tangatur. Idem imagines refert, vt speculum, non planum, sed concuum, seu conuexum, quoniam ex huiusmodi superficiebus componitur. Eiusdem coloris, sed fulgentis, vt ignis, est Pirites, seu Virites gemma, quæ etiam dicitur Lapis Pidonius. hæc ex internæ caliditatis virtute, si fortius constringatur, manum adurit; ideoq. leniter tangenda est.

Lapis Ligurius, qui frequentius croceus, quandoq. etiam rubeus est. hic, vt dicitur, est vrina lincis congelata, & attrahit paleas, vt Lapis Suerinus.

Hyacintus sapphirinus optimus, & hyacintus aquaticus.

Rubei coloris, ac fulgentis sunt.

Alabandina gemma, quæ clarior est.

Amethystus gemma, quæ ob minorem duritiem facilius sculptoribus deseruit: Balagius gemma:

Carbunculus, qui eam rationem ad Balagium habet, quam masculus ad feminam. hæc duæ gemmæ quandoq. simul generantur, exteriorq. lapidis pars, Balagij: interior, Carbuculi naturam continet.

Carbun-

Carbunculus ex aliquorum sententia gemmarum omnium dignitatem excellit, ut aurum ceterorum metallorum.

Hunc pluribus virtutibus insigniri dicitur, præcipueq. venenum aereum, ac vaporosum effugare. Perfectior in tenebris lucem emittit: quod minus perfecti etiam faciunt, si in vase nigro aqua pura mergantur. qui id non præstant, sunt ignobiliores.

Lapis Granatus, qui florum malorum granatorum colorem refert. quandoq. etiam uiolæ colore afficitur, tuncq. præstantior est granatus, & uiolaceus dicitur. Est calidi, ac sicci temperamenti, & ut traditur, exhilarandi uirtute est præditus.

Ligurius Lapis, qui etiam croceus inuenitur, ut dictum est.

Lapis Epistrites, quem asserunt miris uirtutibus insignitum. hunc frigidissimum esse ex eo colligitur, quoniam in feruentem aquam demissus Topatij uirtutem excellit. nam non tantum aquæ ebullitionem impedit, sed breui etiam infrigidat.

Lapis Sardinus. hic, ut dicitur, animum exhilarat, ac ingenium acuit, atque oppositus, onichini uirtutem deuincit.

Lapis Celontes. hic, ut dicitur, in testudinum uetustiorum corporibus inueniri solet, neque ab igne comburi.

Lapis Cecolites, seu Gecolites, qui oliuæ formam, ac colorem habet, vimq. non paruam continet ad lapides frangendos, ac expellendos ex renibus, & ex veslica, si in aqua comminutus hauriatur.

Lapis Corneleus, qui sanguinis fluxui obsistit, præcipueq. Emorroidarum, ac menstrui sanguinis. fertur etiam, iram cohibere.

Corallium, quod eisdem uirtutibus insignitur. hoc quandoq. nigrum est, quandoq. etiam album.

Lapis Orphanus, cuius rubedo quodammodo albescit. hic Orphanus dicitur, quoniam vnus tantum huius speciei lapis inuenitur.

Lapis Celidonium, qui, ut diximus, etiam niger inuenitur. hic rubeus, ut dicitur, si panno lineo, seu corio inuolutus gestetur, sub sinistra ala, gestantis corpus, ac animum firmat.

Hyacinthus aquaticus, qui flauo est dignior.

Virides sunt, Smaragdus, qui, sicuti oculorum uirtuti manifeste fauet, ita internas animi dotes dicitur adaugere.

Lapis Præsius, qui matrix est Smaragdi. hic aliquando aspergitur uenis rubeis, aliquando albis.

Lapis Medius, seu Medus, qui, ut dicitur, podagram comprimit, & lassitudinem repellit;

& lassitudinem repellit; & Melochites, seu Melonites lapis, qui smaragdo est obscurior, & substantiæ melioris.

Lapis Chrysolitus, cuius uiriditas est tenuior, sed lucida. hunc spiritus adaugere dicunt, ideoq. tritus asmaticis datur; & ut quidam dicunt,

Lapis Silenites, qui ideo a Luna denominatur, quoniam, ut dicitur, illa crescente crescit, & decrecente minuitur. hic ptificos languentes, ac debiles curat. Asserunt etiam, hunc longe maiora præstare. alij tamen tradunt, hunc lapidem albedinem rubeo, ac purpureo colori associare.

Punicei sunt, gemma Etires, siue Aetites, quæ etiam Aquileius, seu Herodialis lapis dicitur. hæc distinctum lapidem interne continet, & ut dicitur, morbum caducum reprimat, atque sinistro lacerto suspensa, prægnantibus confert, abortum impedit, ac partus tutiores reddit: & Agathis Lapis genus, quod dicitur uiolaceum.

Lapidum multicolorum plurimæ differentiæ dantur: quorundam enim nigredo rubeis uirgulis, ac guttis distinguitur, ut Absintus Lapis. hic Abeston combustibilitatem imitatur: nam per septem dies conceptam caliditatem retinet.

Simili colore Ematites lapis afficitur, sed non ille Ematites, qui pingentium delineationibus deseruit.

Quorundam nigredo signatur rubeis guttis, micantibus, ut Lapis Dyonisia. hic uini odorem spirat, licet uinosa substantia careat, ideoq. ebrietatem non inducit, quin potius inductam repellit.

Quorundam nigredo uenis albis, seu croceis signatur, ut quædam Agathis species.

Quidam sunt nigri, & crocei perlucidi, ut Gagathes Lapis, qui & Catabre dicitur.

In quibusdam tamen color glaucus, nigredinis locum occupat. hic trahit lapides: accensus flammam emittit: & ut dicitur, fauet hydropicis, & dentes minus consistentes firmat.

Quidam nigredini uiridem, ac rubeum, & alios colores associant, ut Panteus lapis, qui, ut fertur, sicuti coloribus, ita uirtutibus abundat.

Quidam nigredine rariori, auri colorem suppositum uidentur tegere, ut Chrysolopagion gemma, quæ ob id in tenebris longe splendidior est, quam in lumine.

Quidam.

Quidam afficiuntur albedine obscuriori, simulq. guttis aureis asperguntur, ut Chrysopterus, rarus, ac magnæ existimationis.

Quidam albedinem nigredini, & carneo colori coniungunt, ut lapis Sardonix, qui componitur ex Sardio rubeo, & Onyce albo, & nigro. Sardius autem Onichini malitiam in eo comprimit.

Quidam albedini rubedinem, ac purpureum colorem associant, ut Silenites lapis, cui, ut diximus, etiam viridis color ex quorundam sententia aptatur.

Quidam virides guttis sanguineis aspersi, ut lapis Elitropia, quem contra vena valere dicitur, & sanguinis fluxum retinere.

Quidam virides venis rubeis signati, ut Iaspis lapis ordinis præstantioris. hic similiter sanguinis fluxum cohibet.

Quidam virides maculis albis aspersi, ut Orites, qui etiam niger inuenitur.

Diamon lapis duos Iridis colores dicitur referre, venenaq. pellere, ac febricitantibus prodesse.

Varijs coloribus sparguntur gemma Amantius, quæ, ut traditur, venenum omne expellit, seu reprimat: & Lapis Exacantalitus, quem dicunt neruis obesse.

Præter has colorum differentias euenit, ut lapides pretiosi, qui vnicum colorem referre solent, aliquando umbras, aliquando nebulas, pilos, plumbagines, ac sales patiantur.

Umbræ oriuntur, dum materiæ pars est aliquando obscurior; nebula, dum magis accedit ad albedinem.

Pili vero, qui præcipue sapphiros afficiunt, plumbagines, quibus Smaragdi solent dehonestari, ac Sales ex alienorum colorum causis præter naturam adiunctis iniici solent.

*De salibus, aluminibus, sulphure, argento viuo, & alijs, quæ generantur ex terris, & aquis putridis, ac fetentibus. Cap. IIII.*



**L**APIDVM contemplationi, salium, aluminum, ac ceterorum, quæ eundem ordinem ingredi videntur, contemplatio annectenda est. Horum ideo plures ordines sunt, quoniam, licet a sola caliditate orientur, illorum tamen materia plures differentias recipit: terræ siquidem, & aquæ fetentes, ex quibus horum materia sumitur, ea ratione associari solent, ut quandoq. aqueum terreum excedat, quandoq.

quandoq. terreum aqueum superet, quandoq. etiam illorum alterum, seu vtrumque ex putredinis gradu distinguatur. Dum aqua plurimum abundat, ac putredinis parum admodum continet, sal purior generari solet: huic enim materiam præbent aquæ, quibus terrestres, ac crassæ exhalationes immiscentur, ob vehementioris caloris vim, qua terra eidem aquæ supposita, fortiter immutatur: hæc nempe dum comburitur, ipsam aquam ad salis deducit formam. Sal autem, qui sal gemma dicitur, ac cristallo similis est, generatur ex materia magis terrea, sed puriori. hoc ex eo patet, quoniam, dum resoluitur ex frigidi, & humidi appositione, ut sal communis aqua distillante, terrestre remanet. Salem harmoniacum, quoniam magis est perspicuus, ex sublimiori aqueo constare putandum est: nitrum vero ex crassiori, nam siccius est.

Aluminum compositio salium compositioni similis inuenitur: sed illorum materia tum aquea, tum terrea est magis putrida, & fetens. hæc ad argenti viui naturam videntur tendere, quamuis ab illius consummatione deficient. illorum etiam terreum, sulphuris imitatur naturam. Aluminis autem dantur species plures, quarum vna vinctuosa est.

Supradicta omnia sunt alba, quoniam illorum terrestre deductum est ad combustionem: non in seipso, sed aquæ iam commixtum.

Dum materia adhuc magis terrea est, ac magis putrida, caloris vehementis vim firmiter recipit, ac diutius retinet, ideoque ad illorum formam deducitur, quæ Atramentorum nomen obtinere, quæque ob easdem causas magis aerea, ac magis vinctuosa sunt, atque etiam primo liquida sunt, postea uero coagulantur, ita tamen, ut ex calido, & humido iterum dissoluantur.

Caliditas vero ab his imbibita, maior, ac minor est, pro maiori, ac minori terræ partis tum subtilitate, tum digestionem.

Itaque atramentorum species plures dantur, quæ sicuti differunt in caliditate, ita etiam in coloribus diuersa sunt. quibusdam enim albedo inest, quædam ad nigredinem tendunt, quædam rubei coloris sunt, quædam citrini, quædam viridis: & hæc a quibusdam vitriola vocantur.

Inter fusca autem illud efficacius perhibetur, quod, si auri puluere spargatur, auri splendorem refert. Dum terræ portio adhuc maior est, & comburens caliditas vehementior, arsenicum generabitur. hoc enim terræ naturæ est, ac vehementer combustæ. quare aquea

illius pars ad sulphuream unctuositatem constipatur. Quoniam uero huius combustionis dantur gradus, ideo arsenici plures species reperiuntur, & hæ colore etiam adinucem distinguuntur. quoddam enim album est, quoddam rubeum, quoddam citrinum, quod aurum pigmentum vocatur. Sulphurem ex eisdem fetentibus elementis generari, maximus illius fetor demonstrat. Præterea ipse sulphur, quattuor elementorum naturam manifeste complectitur. nam attractiuus, & penetratiuus est. quod ex igneo tantum deduci potest, facile inflammatur; quod aeris naturam demonstrat, ex ignea caliditate liquatur; quod aqueum est, atque in puluerem deducitur, simulq. elixabilis est, quod terream arguit naturam.

Generatur igitur ex ea terra, & ex ea aqua, quæ ceteris omnibus comparatæ, magis sunt igneæ, quæque simul ceterorum Elementorum naturam redolent, atque ad eandem facilius deduci possunt.

Sulphuris materiam magis terream esse, quam aqueam, ex eo colligere licet, quod adhærens sit, atque illius substantia non tantum unctuosam conspiciatur, sed etiam viscosa.

Licet autem sulphur vim igneam interne contineat, non tamen ea ratione continet, ut se extendere, ac ad perfectiorem formam deducere possit, sicuti feminibus conuenit: sed illius caliditas ita aqueo copulatur, ut ipsa aerea fiat; ab aqueo uero expellat omnem aqueam frigiditatem sine qua fermentatio non datur. fermentatione uero omni de medio sumpta, non datur passio, quæ communem tum agentis, tum patientis respiciat bonum; neque id retinetur, quod seminali uirtuti præcipue conuenit.

Illius tamen actiua uirtus inutilis, aut uana non erit. nam adiuncta conuenienti frigido, ac humido, licet externo, ignea vi accedente in eo coagulandi, ac concoquendi uim exercere poterit.

Aqueum eiusdem sulphuris ita igneam caliditatem imbibere solet, ut simul agat non tantum in terrestre, aqueo immixtum, sed etiam in humidum. Id ex citrino sulphuris colore demonstratur, atque etiam ex cærulea ipsius flamma, ac lenta combustione.

Sulphurem tamen in argentum uiuum propriam uim decentissime exercere, ex eo patet, quoniam argentum uiuum sulphuri ea ratione respondere uidetur, qua mulieris menstrua respondent uirili femini, uel uirilis seminis corpulentia eiusdem igneæ uirtuti. nam argenti uiui materia deducitur ex eisdem elementis fetentibus, ac putrefactis, licet sit magis aquea, quam terrea. talia enim terrea, & aquea

aquea a calido simul agitata, sed non consumpra, & arctiori amicitia ad inuicem copulantur, & ob diuturnam defatigationem, ac luctam, terra denudatur tandem attractiua, aqua uero humectandi uirtute. Euenit igitur, ut, terræ portione excedente portionem aquæ, constituatur quoddam mixtum, cui unctuosam substantiam externe conuenit, quodq. propria sulphuris materia censetur: nam, calore ingrauescente, igneam uirtutem imbibit, & ad sulphuris formam deducitur. Aquea uero portione excedente, oritur mixtum, cui unctuositas interne conuenit, & argenti uiui materia est. nam caloris ui accedente, aeream portionem colligit, perduciturq. ad formam argenti uiui, quod ob aquei excedentis, & aerei vim est summe mobile, ac summe splendens, & ob uehementiorem terre frigiditatem maxime graue, & intense album: interna uero argenti uiui unctuositas commixtum terreum ita amplexatur, ac retinet, ut neque fluida aquæ uis ab eo ulla ratione amoueri, neque ipsius terreum ab eius unctuositate disungi possit. Euenit igitur, ut idem argentum uiuum igni appositum, si undequaque inclusum non sit euaporans, totum terrestre secum deferat, nihilq. ex eo remaneat. Si uero undequaque inclusum euaporare, ac fugere non potest, non exiccetur, neque induretur, sed idem semper maneat. In horum autem utroq. moralis uirtutis præclaram imaginem obijcit, amicitiaq. præsertim, dum inimica uis urget. Vincitur tamen argentum uiuum a sulphure, quasi a commilitone simul capto, natura quidem ignobiliori, sed, quoniam uictoriam tyranno consentit, in præstantiori ordine constituto: sulphur enim, licet ex materia magis terrea magis passiuum sit, nihilominus, quoniam igneam uim amplexatur, agendi partes exercet, concurrenteq. uirtute eiusdem caliditatis igneæ, argentum uiuum prius glandulo sum reddit, mox omnino coerces, deuincitq. metallorum formis, quasi catenis superinductis.

*De metallorum causis, ac generatione.*

*Cap. V.*



**M**ETALLORVM materia sunt arenæ, ac arenarum puriores aquæ. Id non tantum ex eo liquet, quoniam una quæque terrarum, & aquarum species, certas aliquas mixtorum formas necessario admittit: arenosa uero neque lapidibus, neque salibus, seu ceteris eiusdem ordinis, neque uiuentibus materiam præbent: sed etiam, quoniam

T t ij arena-

arenarum tum grauedo, tum splendor, purioris aquæ vi accedente, metallicam naturam manifeste imitatur, ac pollicetur. Præterea experientia ipsa testatur, aurum inueniri inter arenas, quæ aquarum decursibus abluuntur: licet nulla sit certior coniectura, illud deferri a locis superioribus. Itaque asserendum est, ex eisdem arenis generari: caliditas siquidem, quam ex cælestium luminum virtute concipiunt, aquarum decurrentium frigiditate includitur, vt exhalare non possit. Itaque in seipsa reuersa vehementius ignescit, totamq. arenarum massam fermentat, tandemq. terreo ex aquarum frequentioribus ablutionibus magis, ac magis attenuato, ac depurato, ea ratione concoquit, vt cælestium luminum virtute accedente ad auri formam perducatur.

Si quis autem asserat, ex his aquarum ablutionibus tam sulphuris, quam argenti uiui naturam ad optimam depurationem, ac attenuationem perducere, huic demonstrandi onus adiungendum erit, quoniam pacto sulphur, & argentum uiuum, quæ ex elementis grauioribus putrefactis generari constat, iuxta huiusmodi arenas constituantur, cum manifestum sit, fluuiorum decursus putrefactionem expellere, ipsaq. arena ex propriæ naturæ vi, omni putredine careat. Accepto autem arenarum terreo aquarum ablutionibus depuratum, ac ex purioris aquei imbibitione rarefactum, atque, vt dictum est, fermentatum, concoctumque, aurum effici: ambigendum non erit, quin cetera metalla ex eisdem generari possint, cum præsertim communis sententia sit, metalla omnia ex eadem generari materia, ac inter se, tamquam magis, & minus purum, differre, ideoq. circulariter generari posse. omne siquidem inconcoctum concoqui, & omne concoctum ad inconcoctionem delabi solet. Neque tamen tergiuersamur, metalla, sulphuris concurrente virtute, ex argento uiuo generari: sed id tantum sustinemus, priorem illorum generationem rectam, ac Naturæ ordini maxime consonam esse: hanc vero quodammodo obliquam, sicuti etiam in plurimum aliorum generationibus euenire manifestum est: Natura enim solertissima, dum quorundam generatio rarior, ac difficilior est, nouam aliquam eorundem generationem ex obliquo constituit: quod in metallorum etiam generationibus euenire putandum est.

Neque vero dissonum erit, in obliqua etiam metallorum generatione, arenarum, ac purioris aquæ usum admitti, cum præsertim experti affirmant, aurum purissimum, argentum, æs, stannum, plumbum,

plumbum, ac ferrum, ex durissimis lapidibus sæpe accipi, quandoq. lapidis substantiæ immixta, quandoq. vero ab eadem omnino seiuncta, haud secus, quam grana auri, quæ inter arenas inueniri solent. Quacumque autem ratione metalla generentur, in illorum constitutionibus vis frigiditatis caliditati ex necessitate succedit. neque enim absque congelatione constitui possunt: & ipsa metalla ita aquea, ac terrea sunt, vt careant ignea caliditate, ignea siccitate, & aerea caliditate.

Generantur tamen a calido, quoniam illorum materia, siue sumatur ex arenosis, vberius madefactis, siue ex argento uiuo, vere aquea, ac terrea est, neque absque ignea caliditate concoqui, ac ad certum temperamentum perducere potest, licet hæc caliditas proprio munere præstito una cum aerea caliditate, ex necessitate recedat. Id vero, dum viget, facile præstare potest ex sulphuris, ac argenti uiui temperamentis, mutuisque actionibus, ac passionibus, ex quibus metalla dicuntur oriri. sulphuris enim terreo excedit, aqueum; contra, argenti uiui aqueum excedit terreo. sulphur præterea continet utraq. qualitates aereas, & siccitatem igneam. Argento uiuo accedit aerea humiditas, sed valde viscosa. Igitur, dum sulphur igne concepto agit in argentum uiuum, & argenti uiui vis excitata insurgit, tam in sulphurem, quam in ignem, triplex lucta constituitur. nam horum trium vnumquodque ab alijs duobus utcumque fouetur, & utcumque oppugnatur. Ignis fouetur a sulphure, quoniam ignea sulphuris siccitas, aereaq. caliditas igneis qualitatibus mire consentiunt, atque etiam, quoniam aerea sulphuris humiditas igneæ caliditati pabulum præbet. fouetur ab argento uiuo, quoniam argentum uiuum similiter aduersatur sulphuri, & propriam humiditatem aeream non plene, sed aliquo pacto illi depascendam concedit.

Idem ignis manifeste oppugnatur tam a sulphure, quam ab argento uiuo: nam terreæ, & aqueæ illorum qualitates igneis qualitatibus aduersantur. Et in hac quidem oppugnatione sulphur, ac argentum uiuum summe consentiunt, ac sibi inuicem fauēt, quamuis sulphur aquei excessum ab argento uiuo comprimere intendat, & argentum uiuum calidis, ac siccis sulphuris qualitatibus aduersetur. Ex his omnibus euenit, vt sulphuris, ac argenti uiui qualitates magis consonæ se inuicem quam arctissime amplexentur, ipsoq. igne ob pabuli defectum tandem extincto, in hæc, quasi in quædam

dā fœdera consentiant, vt omnino expulsis sulphuris siccitate ignea, aereaq. caliditate, refrangantur tam terreæ qualitates sulphuris, quam aqueæ argenti uiui: Argenti uero humiditas aerea, sed valde vnctiuosa, retineatur, ut ea adiuncta qualitatibus superstitibus, refractis tamen, certum aliquod metallum pro uarijs harum qualitarum gradibus constituatur. metalla enim sulphuris, ac argenti uiui naturam ea ratione continent, ut in illis argenti uiui dignitas, ac nobilitas, resarciatur, ac longe splendidius fulgeant. hæc tamen omnia accipienda sunt tamquam consummanda non humana arte, sed Naturæ ui, ac certis temporum interuallis, agentiumque successionibus.

*De metallorum speciebus, ac proprietatibus.*

*Cap. VI.*



**N**T ER metalla plumbum magis lutulentum, ac aqueū est. caliditas quippe vel cælestis, vel sulphurea coagulationem quidem perficit, sed parum digerit, ideoq. ob summam mollitiem externos humores imbibens augetur, facile fluit, ceterorumq. metallorum impuriora ad se contrahens, illa purgat, nam simul comburuntur. Stannum differt a plumbo, quoniam illius aqueum purius est, & terreo vehementius ligatum, ob id facilius corrumpitur, balbutientem complexionem habet, ceteris metallis admixtum ea similiter balbutire facit, ab illisq. aufert ductibilitatem.

Horum metallorum vtrumque ob humidi copiam ceteris metallis est mollius, ac minus sonorum. Argentum optime depuratum est ab humido crassiori indigesto, atque enatanti: essentialis enim, ac radicalis illius humiditas est valde subtilis, & a terreo optime imbibita. Itaque durum, ac siccum est, licet sub terra molle inueniri soleat: nam terræ circumpositæ humiditates imbibitæ illi assistunt. Conuenit argentum cum stanno, & plumbo in albedine: magis tamen album est, quoniam ipsius terrestris est magis tenue, magis lotum, ac magis digestum.

Eisdem rationibus maior est etiam albedo stanni, quam plumbi: hoc enim ad fuscum uergit. ferri tam terrestris, quam aquea pars, ponderosa admodum, ac immunda est. ex quo recte coniectare licet, atramentosam materiam in eo contineri. Illius etiam terrestris est valde adustum, ac fuliginosum, ideoq. ex ignea vi mollescit.

scit tantum, non autem liquefcit, nisi forte ignis sit valde vehemens, sabuloque, ac sulphure aspergatur. quod si antimonium superponatur, celerrime liquefcit, subtiliorq. illius pars Calibs appellata est. Ob eandem terre adustionem ferrum nigrum est, & rubigini subijcitur, cum plumbum, & stannum squalorem, ac sorditiem tantummodo contrahant, licet plumbum magis. Argentum autem purum non sordescit, sed tangentes tantummodo tingit.

Ipsa uero ferri rubigo ideo terre, quod in ferro est, adustionem consequitur, quoniam adustio continet vim igneam, quæ diffusa humidum consumit, ac terrestris relinquit. Hoc ex eo etiam patet, quoniam ad rubiginem vitandam olei delinitio confert: illius siquidem aqueum summe digestum simul & combustionis vim comprimit, & quatenus aliqua ex parte exerceatur, illi tribuit pabulum paratius.

Æris terrea pars & impura est, & vehementer adusta: illius tamen aqueum subtilius est. quare citrinus color, qui fortem metallorum concoctionem consequitur, in eo obscurior redditur, atque ob eiusdem combustionis vim semper magis ad nigredinem tendit, quod in ære uetustiori facile intueri licet.

Eadem etiam ratione æs ipsum propriam rubiginem patitur.

Auri terrestris, & aqueum sunt valde pura, eandemq. ob causam etiam sibi inuicem vehementer adhærent. in eo enim qualitates, quæ argento uiuo, ac sulphuri communes sunt, summam concordiam obtinere. hinc factum est, vt nullam admittat seu ob combustionem rubiginem, seu ob minus perfectam digestionem squalorem, sorditiemue, qua tangens vtrumque tingatur.

Eisdem causis ascribendus est auri color flauus, seu citrinus, qui terrestris minimam combustionem, ac summam expansionem manifeste demonstrat, simulq. conuincit partium copulationem firmiorem, ac robur internum. Itaque aurum combustionem non patitur. nam illius terreum purissimum, & aqueo optime associatum, ea ratione ipsum aqueum colligit, vt ab igneæ virtutis aggressionibus sit summe tutum, neque ad euaporationem perducipossit. Ob id aurum igni appositum liquefcit quidem, sed parum fumi emittit, qui etiam suauissimum odorem spirat. Et hæc quidem auro, tamquam metallorum omnium perfectissimo, propriissima sunt: cetera namq. metalla, si vehementior ignis accedat, diutiusq. persistat, comburuntur, ac in calcem transeunt, facilius tamen, ac difficilius,



difficilius, pro maiori, minorue terrestri copia, necnon pro perfectiori, imperfectiorue ingredientium copulatione. plumbum enim & stannum non ex terre copia, sed ob copulationis defectum facilius comburuntur.

Ferrum non ob copulationis defectum, seu ob terrestri excessum, ac impuritatem igni diutius non resistit.

Æs, quoniam terre minus continet, & partes plenius associat, ceteris difficiliter calcinescit. in quo tamen ab argento exceditur, quoniam vtraque ratione æris temperamentum superat. Eadem proportio seruatur respectu exhalationum. ea enim, quæ oritur ab argento igni apposito, odorem quidem ingratum continet, sed nullum fetorem.

Plumbum, & stannum, ob aquei copiam non summe fetent. æs, & ferrum quammaxime fumant, simulque fetent, quoniam illorum terreum est magis combustum, plurimumque ob id amari saporis complectitur. Aliud etiam singulare auro conuenit, ut scilicet in argento uiuo mergatur, cum cetera metalla omnia super illud natent. id autem euenit, non tantum ex maiori grauitate auri, sed fortasse etiam, quoniam argentum uiuum optima ratione deuincit, atque illi quammaxime consonum est.

Omnibus metallis commune est, perspicuitate carere, sed luciditatem complecti: terre siquidem uis aqueo æqualior, illius perspicuitatem ea ratione obtundit, ut luciditatem non adimat.

Eadem ob causas metallis conuenit, liquefacta alijs non adherere, neque alia seu humectare, seu inficere, ut cetera liquida. illorum nempe siccum, & humidum ea ratione sibi inuicem consentiunt, ut siccitas retrahat humiditatem ab humectatione, ac adhesionem; humiditas e contra, reuocet siccitatem ab omni consistentia.

Silentio autem demandandum non est, dari quædam mixta, quæ metallicam naturam utcumque æmulantur, sed plene non assequuntur. simul enim ad lapidum naturam deflectunt. Hæc duorum ordinum videntur esse. quædam enim metallorum generationem præcedunt: quædam eandem sequuntur. Priora Marchesitæ nomen obtinere, neque aliud sunt, quam metalla imperfecta, ac indigesta.

Horum igitur tot species dantur, quot metallorum, quorum etiam pondus, ac colores referunt. ex quo metallicam naturam æmulari uidentur. eum tamen ex eo, quod non liquefcunt, ad lapidum uim deflectant. & eiusdem generis Antimonium est.

Quæ

Quæ sequuntur metallorum corruptionem, duorum ordinum similiter sunt. quædam enim oriuntur ex metallorum combustionem, quædam ex interna eorundem corruptionem.

Primum ordinem ingrediuntur, Cadmia, quæ nihil aliud est, quam metallorum combustorum fuligo in locis sublimioribus; ac concauis coaceruata. Pompholix, Spodium, quæ Cadmiæ naturam sapiunt, æs uisum, & similia, quæ ab alijs diligentius enumerantur, ac explicantur.

Alium ordinem ingrediuntur Erugo, Scoria, & huiusmodi plura, quæ ab alijs similiter accurate perscrutata sunt.

*De uiuentium seminibus, deq. illorum causis, ac generatione. Cap. VII.*



UIVENTIUM seminibus, ut dictum est, materiam suggerunt terræ pinguiore, non tamen fetentes, atque earundem aquæ. oriuntur autem semina in terra tam emergente, quam aquis subiecta, atque etiam tam in terræ, seu aquæ superficiebus, quam in utriusque intimioribus. hæc feminum generationi decentissime deseruire possunt, quoniam illarum partes omnes ita terreum, & aqueum continent, ut simul aereum aliquod vel actu contineant, vel quamfacillime admittere possint: ideoque, dum cælestium luminum calefaciens uirtus accedit, firmitusque insistit, aerea illarum caliditas, aliqua ex parte ad igneam deducitur caliditatem, quæ abunde nutritur ex aerea humiditate, eisdem partibus interna, sicuti ipsa etiam aerea humiditas assidue restituitur ab aquea humiditate, quæ ab eiusdem caloris uis obtusior redditur, ac rarior, & aeræ naturæ proximior. Hæc uero tum igneæ, tum aeræ qualitates ita se mutuo sustinent, ac fouent, ut neque ab aquea, neque a terrea frigiditate lædantur. quin potius ab eisdem similiter iam refractis, stipentur, ac roborentur. Ignæ igitur caliditatis actiua uirtus necessario & interne infigitur, & extrinsece agit, iamque circumstantes partes concoquere potest, ac ad certam aliquam seu plantæ, seu animalis formam perducere. Cum autem terrarum pinguium, sed non fetentium, partes sint quandoque limosæ, quandoque non limosæ, & aquarum eiusdem ordinis, quædam sint dulces, quædam salis, dulciumque nonnullæ magis, nonnullæ minus cænosæ: accipiendum uidetur, terras limosas, & aquas seu salis, seu magis cænosas, feminum conceptioni aptissimas.

V u mas

mas esse: nutriunt siquidem vberius iniectam caliditatem humiditatis, nisi fortasse ex excessu obruant, uel reddant infirmiores.

Marium etiam aquæ, uiuentium, & animalium semina decemissime fouent, quoniam ob salsedinem crassiores sunt, & externo calido promptius associantur. Quamuis autem semina sint quammaximè obnoxia tam impediendum, quam corruptentium uiribus, & ob id valde infirma, lapidum tamen, ac metallorum dignitatem longe excellunt. nam ex interna uirtute seipsa ad perfectiorem formam, ac essendi modum, deducere possunt. quod supradictorum nulli conuenit. Eadem ad plantarum, ac animalium formam perducta, noui seminis constituendi uirtute ut plurimum pollent. quædam etiam huiusmodi sunt, ut dari non possint, nisi præstantior quidam diuinæ uirtutis usus præcedat. neque enim illorum Esse ex solius Naturæ communis, cælorumq. ministerio effusa uirtute pendere potest. eiusmodi sunt hominum, ac perfectiorum animalium semina: fortasse etiam arborum, ac plantarum perfectiorum. horum enim nullum subsistere potest, nisi præcedant seu homo, seu animalia, seu arbores, seu plantæ, ex quibus deducendum est. Ex primæ autem scientiæ constitutionibus sancitum est, talia singularem diuinæ uirtutis extensionem, ac usum exposcere, neque ex solius Naturæ communis ui pendere, ut alia, quæ absque ullo seminis usu passim constituuntur, ac generantur. Ex his omnibus feminum licet summe infirmorum dignitas plene confirmatur. neque enim in dubium reuocare licet, quin Entium dignitatem præcipue metiri debeamus non ex diuturniori perseverantia, sed ex eminentiori agendi ratione.

*De plantarum differentijs communioribus, ac de his, quæ illarum unamquamq. essentialiter concomitantur. Cap. VIII.*

**H**is, quæ ex semine ortum ducunt, seu plantæ, seu animalia sint, & siue illorum semina consistant ex materiæ certa dispositione, communis Naturæ vi sola concurrente, siue ex iam constitutis plantis, ac animalibus sint deducenda, commune est, insigniri interna concoquendi uirtute, cui propriissimum est, seiungere uiuentia a non uiuentibus. Eisdem etiam commune est, constitui ex certa aliqua magnitudine, ac figura, non autem ex quacumque, ut im-

perfectio-

perfectioribus conuenit. nam corpus indefinitum, atque inordinate extensum, ab interna, & parua feminum uirtute ad decentem perfectionem dirigi, ac perducere impossibile est. Viuentia uero omnia, seu plantarum, seu animalium ordines ingrediantur, ad duos præcipuos ordines, ( ut videtur ) deducenda sunt ob materiæ differentias. hæc enim ita terrea, & aquea est, ut in suo ordine magis aquea, quam terrea esse possit. quod illis feminibus conuenit, quæ generantur in mari, seu in alijs aquis, uel certe sub aquis; & magis terrea, quam aquea, sicuti illis feminibus accidit, quæ oriuntur ex terris omnino emergentibus. Siquis autem hos duos uiuentium ordines conferat, facile assentietur, ea, quæ magis terrea, quam aquea sunt, respondere dexteræ animalium parti, seu sexui masculino: illa uero, quæ plus aquei, quam terrei continent, sinistræ, & sexui feminino: priora siquidem simul calidiora, & sicciora erunt, quod masculinam, ac dexteram uirtutem constituit; posteriora autem frigidiora, & humidiora, quod sinistram, ac femininam naturam arguit. Et horum quidem ordo tam ratione materiæ, quam ratione formæ, a prioris dignitate longe distabit, sed illum respectu numeri utcumque excelsit. Itaque perfectiora uiuentia necessario magis terrea erunt, quam aquea: imperfectiora econtra, quæ summam latitudinem habent, erunt magis aquea, quam terrea. Quæcumque etiam utriusque ordini sunt communia, eandem perfectionis distinctionem obtinebunt. nam magis aquea sunt imperfectiora, & magis terrea perfectiora.

Sed contemplatio ad plantas contrahenda iam est: plantæ enim ratione formæ ab animalium perfectione deficiunt, ideoque primo loco examinandæ sunt. Harum differentiarum, specierumque præcipuarum ad quaternarium numerum ( ut videtur ) deducendæ sunt, ea tamen ratione, ut nos non lateat, illarum unamquamque pluribus rationibus distingui posse, simulque continere plures species, quarum accuratior enumeratio, ac explicatio & historiam plenior, & contemplationem acutiorem exposcit, quorum neutro nobis in præsentia incumbere licet. Harum specierum illa erit imperfectissima, quæ sumitur ex simplicis concoquendi uirtute. quapropter, sicuti dari non potest absque alicuius feminalis uirtutis usu, ita a ceteris perfectioribus seiungetur, cum tamen perfectiores absque illa nulla ratione consistant. Imperfectissimæ proxima, ni fallimur, erit uirtus, qua externa ad interna attrahi possunt. hæc ideo concoquendi uir-

tatem tutatur, ac perficit, quoniam, prima cōcoctione perfecta, nisi nouum, ac externum concoctibile attrahatur, concoquentis virtutis vsus, ac virtus ex necessitate deficiet. Tertium locum obtinebit virtus, qua uiuentia certum aliquod opus perficere possunt, feminis scilicet, ac certi fructus maturationem: & seminalis appellari posset. hæc haud secus attrahendi virtutem perficit, quam concoquendi virtus ab attrahendi virtute perficiatur: tunc siquidem concoctio, simulq. attractio decentissime exercentur, cum perfectius aliquod consummare possunt. Quartus, ac perfectissimus locus illi virtuti tribuendus erit, quæ uiuentia feminis, seu fructus maturationem sæpius repetere solent: hæc siquidem non dissimili ratione feminalem virtutem perficit, quam attractiua virtus concoquendi virtutem perficiat. ipsa vero perfici non potest ab aliqua substantiali virtute, quæ intra corporeum operandi modum detineatur. Harum virtutum substantialium vnâquamque associant, essentialiterq. consequuntur duæ aliæ virtutes, quæ, si uiuentia simplicibus elementis comparentur, proportionem respondent actiuis, ac passiuis illorum qualitatibus, ac proprietatibus, sicuti etiam substantiales eorundem uiuentium virtutes, ac formæ referunt, ac imitantur mouentem, & omnino formalem elementorum virtutem. Imperfectiores, quæ imperfectiori concoquendi virtuti essentialiter superadduntur, si recte coniectamus, erunt virtus amplificandi, & virtus terminandi. hæc ideo concoquendi virtuti adhærent, quoniam, nisi ignea seminum virtus humidum aereum, atque aqueum sibi adiunctum calefaceret, totamq. ob id massam ad ampliorem magnitudinem extenderet, & nisi, quatenus ad vltiora non sit procedendum, eandem massam sic extensam certis finibus concluderet, concoctum neque vnum esset, neque certum essendi modum assequeretur.

Virtutes, quæ attrahendi virtutem essentialiter concomitantur, erunt virtus distribuendi, ac virtus formandi. nam noua attractio tunc tantummodo recte exercentur, cum concocta interne distribuuntur, & recipientia vna cum receptis certa aliqua ratione formantur. Euenit igitur, vt eadem hæc virtutes non dissimili ratione ad vltiorem consummationem perducant amplificandi, ac terminandi virtutes concoquentis virtutis proprias, quam ipsa concoquendi virtus ab attrahendi uirtute perficiatur. nam expansio, seu extensio tunc longe perfectius exercentur, cum complectuntur distributionem ad partium singularum commodum. similiter etiam terminatio

minatio longe nobilior erit, si certam præterea formam intendat.

Virtutes, quæ essentialiter adhærent uirtuti feminis, seu fructus constituendi, uidentur esse uirtus, qua uiuentia certam sedem constituunt proprio calori, & agendi uirtuti: & uirtus, qua partes protius commodo ab inuicem utcumque secerni possunt ad totius commodum. Priorem colligendi, posteriorem discindendi uirtutem recte appellabimus. hæc ideo uirtuti semen constituenti essentialiter assistunt, quoniam, sicuti agens, quod propriam uirtutem non colligit, ac firmat, feminis constitutionem exordiri non potest: ita, nisi secernendi, ac discindendi uirtute polleat, necessario deficiet a perfecta feminis constitutione.

Qua ratione contrahendi uirtus perficiat, ac roboret distribuendi uirtutem, idemq. discindendi uirtus præstet formandi uirtuti, vnusquisque ex proprii ingenij vi intueri poterit. Virtutes, quæ essentialiter annectuntur perfectiorum uiuentium uirtuti, corporeum agendi modum non transcendent, illi scilicet, qua plantæ seminum emissionem repetere possunt, ni fallimur, sunt uirtus profundius radices infigendi, ac uirtus, qua proprias partes renouare solent, seu etiam absque ullo feminis usu nouam sobolem parant.

Id decentissimum erat. nam post feminis constitutionem impossibile est, plantis nouas, ac firmas vires suppeditari, nisi illarum radices infigantur profundius, & nisi ex radicibus sic infixarum usu pluribus rationibus germinare possint.

*De duobus imperfectioribus uiuentium ordinibus, quos tubera, ac fungi ingrediuntur. Cap. IX.*



**S**UBSTANTIALIS concoquendi uirtus ceteris imperfectior, quatenus ab alijs seiungitur, uitæ potius initia, quam uitam constituit. nam semel tantummodo proprium actum exercere poterit: priori enim concoctione perfecta, cum ob attrahentis uirtutis absentiam nouum concoctibile non recipiat, concoquendi actum ab illa repeti impossibile omnino est. Viuentia igitur, quæ constituuntur ex tali uirtute, a perfectioribus seiuncta non tantum imperfectissimi ordinis erunt, sed uitæ etiam breuissimæ. nam nata, uita statim destituuntur, mediamq. ob id inter uiuentia, & non uiuentia naturam obinent. huiusmodi esse tubera omnia satis manifestum est. hæc siquidem

siquidem omogeneorum naturam imitantur: nam illorum partes nulla alia ratione inter se differunt, nisi quoniam externæ partes internis aliquanto duriores sunt, ob terræ circumpositæ frigiditatem, quæ feminalis caloris uim ad interna detrudens, externa liberius aggreditur, quæ ob id duriora sunt, ac scabiosum aspectum referunt. id tamen in frigidioribus regionibus præcipue euenit. nam in calidioribus regionibus exteriora ab interiorum mollitie parum recedunt, quoniam terra circumstans vehementiori frigiditate caret, & internus calor parum refrangitur.

Differunt etiam tubera a ceteris mixtis, quoniam carneam quodam pacto naturam adeptæ sunt, ideoq. & compressionem admittunt, & apte nutrire possunt. quod ceteris mixtis imperfectioribus negatum est.

Saporem præterea, & odorem habent non ex alicuius externi admixtione, neque ex simplici combustione, sed ex proprii temperamentum, ac propriæ concoctionis uirtute.

Colore ut plurimum sunt nigra, aliquando tamen albedinem referunt.

Viuentia secundi ordinis, quæ digerendi uirtuti attrahendi uirtutem tantummodo addunt, neque ullum præterea opus intentant, perfectam plantarum naturam adhuc non constituunt. tales sunt fungi: nam illorum calor, sede tutiori carens, celerrime diffunditur, atque euanescit, neque propriam attrahendi uirtutem diutius exercere potest. Itaque aliquali digestionem, attrahendiq. uirtute semel, vel bis ad actum deductis, una cum uirtutibus distributiua, ac formatiua, totum opus quam breuissime consummatur. Fungi autem terræ parum infixi, supra terræ superficiem extolluntur, quoniam attrahendi uirtus concoquenti uirtuti materiam, prout res exigit, aliquanto uerius subministrat, & uirtutes concomitantes non tantum expandere, ac terminare, sed distribuere, & formare possunt. Itaque illorum humidiori, atque adhuc indigesta materia, iterum ad terram unde quaque declinante, pilei trunculo in hærentis formam ut plurimum referunt. quidam tamen, quorum humiditas est minus fluida, spongiosi redduntur, ac arborum paruorum specimen continent, ita tamen, ut ab omogeneorum natura parum recedant: fungorum namq. radices uel nullæ sunt, uel a totius natura parum admodum differunt.

In illis, qui pileo teguntur, trunculus a pilei natura in eo tantummodo

modo distat, quoniam trunculus aliquanto solidior est, pileus uero mollior, ac pressibilior. utraque tamen pars pellicula circumuoluitur, quæ ab interioribus disiungi potest. Pileus ex ea parte, qua terram respicit, ex humidi uerboris affluentia totus in longum scinditur, riuulis frequentissimis, ac summe profundis a medio ad extremam partem deductis. Spongiosi uero pellicula non teguntur, sed differunt similiter in soliditate. Fungorum digestio tuberum digestionem imperfectior est, quoniam, dum e terra emergunt, illorum calor a terra circumposita non fouetur, & facilius euanescit. illorum tamen carnositas, quatenus ex conuenienti materia deducatur, innocue nutrit: sæpe tamen sanitati obsunt, seu ob culpam propriæ materiæ, seu ob circumpositas qualitates, quæ ab illius rara, ac bibula natura facile admittuntur. quandoq. tamen Natura ipsa huiusmodi incommoda præcauens, fungos obuoluit matricula quadam accepta ex eorundem substantia minus digesta, simulq. illorum digestionem fouens, plenior reddunt.

Sicuti autem fungorum natura a tuberum natura parum distat, ita etiam utriusque tam saporis, quam odori euenit.

Quod autem ad colorem attinet, fungi albi, ac rubei sunt, sæpe etiam coloris subcinericij, nigri autem raro. quod ex eo euenire putandum est, quoniam illorum semina minus terrei, magis uero aeris, continent. oriuntur enim in terræ superficie. tuberum autem semina profundius figuntur, ac plus sicci terrei continent.

Fungorum naturam illæ etiam herbeculæ imitari, ac retinere uidentur, quæ constituuntur ex folio quodam circulari; adhærentq. terræ, petris, ac arboribus, quandoq. ex parte inferiori, quæ radicem etiam munia sustinet; quandoq. trunculo quodam breuissimo supra terram elato: quædam etiam muscosæ omnino sunt. Et priores quidem fungorum pileatorum, posteriores uero non pileatorum figuram referunt.

Tales herbeculæ uirides sunt, uel quoniam continent aqueum magis immundum, quod illis præcipue conuenit, quæ terræ, ac saxi adhærent; uel quoniam illarum concoctio perfectior est. quod arborum musco præcipue aptatur, necnon alijs muscosis, quæ eandem naturam retinent.

*De duobus uiuentium ordinibus perfectioribus, ad quos pertinent plantæ, arbuta, atque arbores omnes.* Cap. X.



**P**LANTÆ omnes, in quibus, duabus imperfectioribus substantialibus uirtutibus, concoquendi scilicet, & atrahendi, tertia uirtus adiungitur, seminisq. constituendi vi pollent, plantarum naturam perfecte continent. huic accedunt, colligendi uirtus, quæ ad seminis exordia constituenda exquiritur, ac uirtus discindendi, sine qua seminis seu consummatio, seu seiunctio dari non possunt. Itaque tales plantæ eam partem obtinere, in qua omnis illarum uirtus firmari, ac colligi possit, ratione ab ea non dissimili, qua omnis animalium uirtus sedem in corde constituit, ideoq. caulis, ac cordis uoce proferri solet.

Partes uero, in quas eadem plantæ discindendi uim exercent, nihil aliud sunt, quam folia; uel lignea quædam imperfectæ soliditatis. Seminis consummatio, quæ harum plantarum substantiali uirtuti conuenit, summum Naturæ conatum exposcit.

Itaque tales plantæ semine consummato quam celerrime deficient: carent enim quarta substantiali uirtute, qua uires deperditæ, seu summe defatigatæ resarciri possint, ac renouari.

Quamuis autem hæ plantæ tali uirtute destituantur, illarum tamen uirtus plene uitalis est. Itaque, sicuti anima decentissime uocari potest, ita illius extinctio mortis uocem adepta est. Et hæc quidem his plantis primo aptantur, sicuti eisdem consequenter primo conueniunt iuuentus, ac senectus, necnon sanitas, & ægritudo. sicuti enim caloris interni fomes est anima, & illius extinctio mors, ita eiusdem detentio, ac usus est uita; uigor, & confirmatio iuuentus; debilitas, & remissio senectus; recta dispositio, atque libertas sanitas; non recta dispositio, ac compressio ægritudo.

Horum nullum imperfectioribus aptari potest: tubera enim, fungi, & cetera eiusdem ordinis, sicuti perfecte non uiuunt, ita morti non subijciuntur, sed marcescunt. Mixta, quæ nullo pacto uegetantur, non marcescunt, sed dissoluuntur. Elementa uero, ut elementa, corrumpuntur. Cetera etiam, ex quibus recta, seu non recta illorum habitudo, uiriumq. intensio, seu diminutio, pro singulorum captu oriri solent, eandem rationem habent. Plantarum, quas tertium ordinem ingredi diximus, lactuca, & scopa exemplum præ-

bent:

bent: lactuca namq. in folia distinguitur, scopa uero in lignea imperfectæ soliditatis.

Sed ea iam exponenda sunt, quæ conueniunt plantis, seipsas semine confecto resarcientibus. Hæ plantarum naturam perducunt ad propriæ perfectionis culmen. nam præcipuum plantarum opus non semel, sed pluries repetunt. quod ut præstare possint, necessario & radices profundius terræ infigunt, ne aut nutrimento facile careant, aut nutrimentum summe aquosum sit: & ea uirtute sunt præditæ, qua partes, seminis consummationi deseruientes, facile renouantur, ne harum seu auulsio, seu interitus, seminis repetitionem, ac renouationem impediunt: uel aliæ etiam plantæ absque ullo seminis usu constituuntur. Hoc uero ideo uidebatur superaddendum, quoniam quarundam magnitudo, seu plenior digestio, feminum usum difficiliorem reddit. In hoc plantarum ordine illæ imperfectiores censendæ sunt, quarum partes superiores passim emoriuntur, radicibus tantum, ac cordis uirtutibus adhuc superstitibus. Hæ uero iterum germinant, seu folia tantum, ut cicorea, atque aliæ plurimæ; seu lignea imperfectæ soliditatis, ut cardus, & lilium. Perfectiorum, quæ semine confecto, ex superioribus etiam partibus uiuunt, plurimi ordines dantur: quorundam enim partes superiores sunt lignea quædam, firmiora quidem, sed tenuia, ac gracilia ualde, quod in ipso serpillo, ac abrotano euenit: quarundam eadem lignea firmiora, ac solidiora redduntur. quod etiam pluribus rationibus, adque admodum diuersis, adimpleri solet. ex quo effluunt differentiæ maiorum herbarum, fructicum, subfructicum. Illæ tamen uidentur nobiliores, quæ radices longe profundius mittunt, & per singularem stipitem, seu truncum subleuantur, ut partium disjunctionem decentius adimplere possint. Tunc uero aliquando in ramos, ac surculos distinguuntur, ac per eosdem, ut propriæ naturæ conuenit, flores, fructus, ac semina propria pariunt, simulq. perficiunt. quod arboribus omnibus, (palma uicinia fortasse excepta) euenire conspicuum est. Ipsa uero palma distinguitur non in ramos, sed in partes, quæ foliorum potius munia exercent. quas etiam certa serie annectens seipsam subleuat una cum parte superiori, quæ capitis etiam uocem obtinuit.

Arboribus tamquam ceteris perfectioribus aptatur etiam expulsiua uirtus, quæ in alijs aut nulla est, aut obscura ualde: nam superflua manifeste exsulant.

Xx

Rationes,

Rationes, quibus plantæ, ac arbores absque femine renouandi, ac refarciendi virtutem exercere possunt, plurimæ sunt. nam quarundam ramuli terram attingentes, radicem emittunt; quædam ex eorundem ramulorum inflexione, si terra supperaddatur, idem præstant; quædam ex ipso corde multiplicant; quarundam radices ipsæ ex propria vi producunt germina, quæ euulsionibus aptissima sunt; quarundam etiam noua soboles arte educi solet, decisis, ac ex parte inferiori terræ defixis seu ramusculis, vt ex ficu, & vite, seu parte vnaquaque, vt ex arundine, seu si cortex tenerior adhuc sit, aut viscosioris naturæ, ramis firmioribus, vt ex salice, sambuco, populo, & olea. Tenerrimas etiam palmarum virgas radicibus affixas, in Babilonicis campis adulescere aiunt, necnon eiusdem arboris ramos decisos in Græcia more seminum sparsos, radices demittere, ac germen producere. truncus quin etiam, si inuersus deponatur, solo madido existente, radices multis ex partibus expandere, ac germina producere asseritur. hæc tamen ad ampliorem magnitudinem non perducuntur. Datur etiam generatio ex lacryma, ut æquapij, & lilij. Quæ his rationibus oriuntur, longe celerius educantur, ac longe robustiores euadunt, quam quæ ex femine prodeunt. quod etiam præcipue in illis euenit, quarum semina ita parua sunt, ut sensum effugiant. passim autem semina accepta ex his, quæ diutius viuere possunt, difficilius marcescunt, & germinant. Quæ vero oriuntur ab his, quæ breuioris sunt vitæ, facilius vtrumque præstant. Eadem euenire solent tam in seminum constitutionibus, quam in plantarum, ac arborum augmentis. nam illorum semina, quæ vitæ breuioris sunt, cælestium luminum vi terræ facilius infiguntur: Illorum vero, quæ sunt vitæ diuturnioris, difficilius: similiq. ratione hæc serius, illa vero citius perficiuntur. Semina autem ex plantis, ac ex arboribus accepta, ante germinationem putrescant necesse est: tunc enim feminalis illorum caliditas cælestium luminum caliditati copulari, & corpulentior pars terrestrem humiditatem imbibere potest, terrestriq. frigiditate vnde quaque defensa, primæ digestionis materiam præbere. Seminum vis vt plurimum talis est, vt ex vno femine vnica tantum planta, seu arbor oriatur. quod præcipue etiã euenit respectu plantarum, ac arborum perfectiorum, quæ seminis, ac fructuum constitutiones repetere possunt. Inter eas vero, quæ id non præstant, frumento, ordeo, fare, millio, & ceteris huius ordinis segetibus singulariter conuenit ex vnico femine turmatim effluere.

re. ex quo colligere licet, segetum naturam ab alijs omnibus plantis propria quadam ratione seiunctam esse.

*De plantarum partibus tum organicis, tum similaribus, deq. earundem muneribus, ac differentijs. Cap. XI.*



X iam constitutis facile demonstratur, plantas omnes tum tertij, tum quarti ordinis, necessario plures partes organicas, seu instrumentales continere, atque in easdem partiri, easdemq. partes instrumentales in plures similes partes distingui. has igitur, quamuis illarum numerus non omnino sit certus, prout licet, enumerare tentandum est: ex his siquidem contractiores plantarum differentiæ vtrumque colligi possent. quædam enim in quibusdam reperiuntur, in quibusdam vero minime. reperiuntur etiam in quibusdam non similia, ac paria, sed pluribus rationibus diuersa. Eadem præterea non eandem in omnibus positionem, ac situm habent. Organicæ plantarum partes, vt videtur, sunt nouem, radix, caulis, ramus, furculus, pediculus, folium, capreolus, flos, & fructus. Partes similes sunt septem, cortex, lignum, matrix, humor, neruus, vena, & caro. Radix est pars terræ infixæ, quæ ex ipsa terra nutrimentum attrahit. hæc omnibus plantis tam tertij, quam quarti ordinis inest. quare eius etiam seiunctio plantam statim enecat. Eadem plures differentias admittit: aliquando enim lignosa quidem est, sed admodum infirma; aliquando crassa, & carnosâ: quorum vtrumque in plantis tertij ordinis, ac in pluribus quarti ordinis euenire solet. nam, quod ad tertium ordinem attinet, manifestum est, lactuæ radicem ligneam, ac infirmam esse, & rapani, ac rapæ carnosiores.

In quarto autem ordine balbi, scyllæ, amarathi, lilij radices, plures tunicas, ac lenticiam quandam habent, & arborum pene omnium radix est lignea ac solida.

Caulis est pars plantæ virtutem colligens, ac nutrimentum ad ceteras partes deferens. hæc similiter tertij, ac quarti ordinis plantis omnibus communis est, atque a radice seiuncta, nisi ipsa radix viuax admodum sit, plantæ interitum parit. Eadem plures differentias suscipit: aliquando enim collecta radici adhæret, vt in tertij ordinis plantis omnibus, atque in quarti ordinis non paucis: aliquando per truncum extenditur, atque subleuatur.

Rami caulem, seu truncum diuidunt: hi neque omnibus plantis infunt, neque ipsorum abscissio parit plantæ interitum, nisi forte ex accidenti.

Surculi ramos in partes diuidunt, & illorum germen sunt vel anatum, vel certe satis recens. his aptantur eadem condiciones, quæ ramis conueniunt.

Pediculus, folia, capreoli, flores, ac fructus, imperfectiori quadam ratione, partium nomen videntur admittere. folia enim, foliorumq. pediculi, ac capreoli, animalium pilis proportionem respondent. Flores autem, ac fructus vna cum illorum pediculis, animalium semini, & fetibus coæquantur.

Cortex est plantarum supereminentiū pars exterior atq. adustior.

Plantæ tertij ordinis, atque etiam segetes omnes manifesto cortice videntur carere. quatenus enim assurgunt, conteguntur, ac muniuntur vel pelliculis, vel foliorum circumuolutionibus, vel duriori quadam constipatione, quæ a trunci natura non recedit. Plantæ, ac arbores quarti ordinis omnes fere, manifesto conteguntur cortice. nonnullæ tamen muniuntur haud secus, quam plantæ tertij ordinis, uel pellicula tantum, ut gramina omnia, uel duriori sui parte, ut ferula, vel foliorum circumuolutionibus, ut arbutum, quod oritur in Cypri insula, atque in Syria. huius truncus omnis constituitur ex foliorum circumuolutionibus, complexuq. arctissimo. Hoc arbutum foliorum magnitudine, ac pulchritudine, necnon trunci ipsius proceritate, simulq. fructuum nobilitate, & copia, præcipua quadam prærogatiua insignitur: illius siquidem folium unicum, mensam plurium conuiuiarum sternere potest.

Proceritas arboream æmulatur, fructus uero cucumeri figuram, planiorem tamen, ficorum dulcedinem, & piri marcescentis carnem referunt. Iidem fructus plurimi numero exeunt ex interiori caule affixi unico ramo more illorum, quos palma parit. qui ramus si totus ante plenam fructuum maturitatem abscindatur, atque sub tectis appendatur, fructus felicius, non omnes simul, sed certa serie maturescunt. Maturitatis autem indicia sunt a uiridi ad flauum colorem deflexio, necnon mollities maior, atque etiam corticis facilius amotio, prout in ficis maturis euenit.

Hoc arbutum quoniam cum aliquibus conuenit cum palma, ab antiquioribus inter palmas ordinis imperfectioris uidetur connumerari. Nunc accolæ Musarum nomine insignem reddere conati sunt.

Reliquæ

Reliquæ eiusdem quarti ordinis plantæ, ac arbores manifesto cortice obteguntur, qui tot differentias uidetur admittere, quot sunt species plantarum, ac arborum, quæ conteguntur. Huius partis euulsiones, quatenus minimæ, ac spernendæ quantitatis non sint, omnibus, vnica subere excepta, paucorum dierum spatio interitum afferunt. Ipsa autem suber ex corticis ablatione firmior redditur, atque uegetior.

Lignum illis uere inest, quæ manifesto cortice conteguntur: ceteris autem quoddam ligno potius proportionale. nam infirmiora admodum sunt, ideoque proprie ligni uocem non admittunt.

Matrix est ligni, seu proportionalis, pars media, atque interior. hæc, quæ a nonnullis cor, ac medulla uocatur, omnibus plantis inest, exceptis arundineis, quæ interne vacuæ omnino sunt. Illa autem arundo, quæ saccharum continet, interne omnino referta est: a qua tamen, nisi summa cultura adsit, facile decedit.

Matrix, seu medulla plantarum, ac arbutorum, quorum lignea pars perfectam ligni naturam non sustinet, ligneis circumpositis est longe mollior. Illorum autem, in quibus lignea natura perficitur, longe firmior. quod præcipue manifestum est in medulla roboris, ciltij, feltim, terebinthi, buxi, & ebanij, quæ medullam omnium durissimam, atque grauissimam habet.

Ligneæ partis, ac medullaris decisio plantis obitum afferre, vel non afferre potest, pro differentijs organicarum partium, ad quarum constitutionem pertinent.

Humor nihil aliud est, quam aquea quædam substantia iam densior effecta ex vi digestionis, atque ad partem vnquamque humectandam, ac nutriendam diffusa. hic rarior, ac densior est pro varia plantarum, ac arborum natura. dum plantæ germinant, plurimus est: at post germinationem, ac fructificationem perfectior. Idem ex colore etiam plures differentias admittit. nam quarundam plantarum humor est albus, quarundam sanguineus, quarundam viridis, quarundam alterius coloris. Arborum autem humor semper densior est, quam plantarum. Quare ut in pluribus consolidatur. quod si pinguior etiam sit, ipsa seu viscositas, seu lacryma consistens, odorata erit, ut thuris, myrrhæ, balsami, caldamæ, & aliorum similium.

Neruus est plantarum pars continua, fixilis, prælonga, germinis infecunda, ac infociabilis.

Venæ

• Venæ neruo similes videntur, sed maiores, & crassiores sunt. ramulos etiam, humoremq. habent.

• Caro est plantarum pars ligno proportionē respondens: quædam enim lignum, quædam carnem habet. differt autem a ligno, quoniam fissilis non est, sed ex qualibet dimensione æqualiter diuidi potest, ideoque inter venam, ac neruum censetur media. hæc a quibusdam matricis etiam nomine proferri solet.

• Lignum constat ex neruo, & humore; Matrix, quæ in medio constituitur, ex carne, & humore. Quorundam cortex, ut roboris populi, piri, ex neruo, carne, & humore: quorundam, vt vitis, ex humore, & neruo: folium ex humore, & carne.

• Plantis, ac arboribus omnibus commune est, vel undequaque, vel aliqua ex parte, saporis, ac odoris vim continere: vterq. enim consequitur perfectionem concoctionis caloris vi confectæ, quæ uiuentibus omnibus est communis.

• Quæ hætenus enarrata sunt, facile demonstrare possunt, plantas, plantarumq. partes ita ab inuicem distingui ob differentias qualitatum, quæ tactu percipiuntur, saporum, odorum, necnon colorum, ac figurarum, vt nulla tangibilis qualitas, nullus sapor, nullus odor, nullus color, nullaq. figura dari possit, illis tantum exceptis, quæ ex ipsis corporeis emicant, ac spiritalem uim manifeste continent, quæ in aliquibus plantis, seu plantarum partibus non appareat.

• Et hæc quidem iure optimo euenere. nam decens erat, plantas, quæ afferunt consummationem omnibus absolute corporibus cuiuscumque qualitatis, absolute corporeæ uim complecti.



## CONTEMPLATIONIS QUARTAE,

### Pars Tertia:

In qua considerantur sentiendi virtutes spiritualiter cognoscentes ea, quæ omnino corporea sunt: simulq. affectus, ac exequendi potentia eisdem essentialiter concomitantes; necnon animalia, quæ ab illis constituuntur, vna cum his, quæ primo aptantur singulis illorū ordinibus.



*De his, quæ ad communem animalium naturam pertinent. Cap. 1.*



ANIMALIA transcendunt operandi modum absolute corporeum, qui in arboribus perfectioribus consummationem assequitur; Naturæ quippe communis vis ea ratione materiei illabitur, ac pro illius aptitudine certam formam constituit, vt, dum per eandem licet, erumpere experiatur, ac illius limites egredi. Inhærens igitur firmiori caliditati substantiali, ac humido radicali, magis consistenti, caliditatis ministerio ea ratione humidum radicale ad spirationem impellit, ac eisdem spirationibus assistit, vt non tantum totum, cui præest, singulasq. illius partes vegetet, ac nutriat, sed spiritus etiam vberiores, ac puriores eliciens, eisdemq. adhærens, spiritualiter recipiendi, ac percipiendi virtutem constituat, huicq. duas alias virtutes adiungat, quarum altera percepta odit, seu diligit, prout prosequenti dissona, seu consona sunt, altera eorum, quæ odio habentur, seu amantur, fugam, seu prosequentionem externe exercere potest. Harum virtutum vnaquæque propriam vocem sortita est: percipiendi siquidem vis Sensus appellatur, seu sentiendi virtus: illa, ex qua

oritur



oritur dilectio, seu odium, dicitur appetitiua: & quæ externe prosequitur, seu declinat, motiua, seu executiua denominationem est consecuta. Sicuti autem appetitus absque sensatione non exercetur, ita absque appetitu non datur externus actus. Sentiendi igitur virtus, tamquam prior, ac animali intimior, substantiæ partes sustinet: appetitus vero, & virtus executiua, sensibus adiunguntur, ut motiua elementorum virtuti annectuntur essentialiter externe agendi, ac resistendi virtutes, & singulis plantarum virtutibus substantialibus accedunt binæ virtutes, ut superius demonstratum est. Sentiendi vero virtutes plurium ordinum sunt: spirituum enim illis ministrantium quidam non egrediuntur membrum, in quo prima nutrimenti concoctio est perficienda: quidam diffunduntur vna cum nutrimento ad alia membra, ea tamen ratione, ut a nutrimenti humore non seiungantur, & pro membrorum nutriendorum differentijs diuersi reddantur: quidam seiunguntur ab humore nutrimenti, certa q. ut in pluribus deferentia exposcunt, per quæ fluere, ac reflueri possint.

Hi etiam plures differentias admittunt: nam similiter diuersi sunt pro varia membrorum, ad quæ, & per quæ deferuntur natura, ac temperamento, & in partem puriorem, ac impuriorem distingui solent.

Ex his igitur sensuum, simulq. animalium omnium differentia, ac species colligendæ erunt.

Appetitus etiam, ac executiua potentia, quoniam sensuum vim concomitantur, tot erunt, quot sunt sentiendi uirtutes. Dilectio vero, & odium ita ad appetendi uirtutem pertinent, ut, quatenus ministrant unicæ sentiendi uirtuti, ab eodem appetitu exercentur. si quis enim asserat, dari appetitus, qui semper exoptent, ac prosequantur, & appetitus, qui semper declinent, ac reiiciant: hic simili ratione fateri cogetur, dari pedes, qui seu ad accedendum tantum sint apti, non autem ad recedendum, seu tantum ad recedendum, non autem ad accedendum. Manuum etiam quasdam ad amplexandum, non autem ad expellendum; quasdam econtra ad expellendum, non autem ad amplexandum usui esse. quæ omnia euidenter repugnant. huius autem ratio est, quoniam rerum virtutes constituuntur non ex actus usu, seu contractione, sed ex illius natura communiori, ac indeterminate accepta. Itaque, sicuti idem pes tum ad fugiendum, tum ad prosequendum est aptus, quoniam utriq. annectitur progressiuus motus, cui pes inseruit, ita etiam eadem affectio,

dum

dum propria obiecta seu diligit, seu odio prosequitur, in utroque prosequentis commodum, ac bonum intendit. ex quo respectu horum obiectorum propria illius actio deducenda est, cum præsertim satis conspicuum sit, appetendi actum haud secus, quam actus prosequendi, ex propria natura huiusmodi esse, ut uterq. vtrumq. vsum ex necessitate coniungat: appetens enim, dum in aliquo delectatur, & aliquid prosequitur, ex oppositi, seu ex illius saltem carètia necessario contristatur, sicuti ad certum terminum tendens a certo termino ex necessitate recedit. Sed iam ulterius procedendum est. & primo quidem loco statuendum erit, in sensuum constitutione, ac vsum quattuor præcipua desiderari, virtutem scilicet sentientem, obiectum sensibile, sentiendi organum, & sentiendi modum: affectuum actum pendere ex septem, quæ sunt virtus, obiectum, organum, finis, seu scopus, oblectatio, seu tristitia, quies, seu angor, & appetendi modus: in executione quattuor desiderari, virtutem, actionem, organum, & modum.

Ex horum igitur perceptione, prout aptantur singulis seu sensibus, seu affectibus, seu exequenti potentijs, vniuscuiusque sensus appetitus, ac exequentis virtutis doctrina deducenda erit, simulq. & singulæ animalium species scientificè colligendæ, & singularum proprietates, generationes, generationumq. progressus, ac causæ tamquam ex principijs proprijs demonstrandæ.

Ne vero id, quod præterea expetendum est, lateri nos possit, ad quam scilicet animalium speciem animalia externe oblata pertineant, animaduertendum viderur, eorum, quæ ab animalibus exerceri solent, quædam ex proprijs sensus, ac appetitus impulsu, quædam ex solius Naturæ communis directionibus, ac instinctu exerceri, hæc q. eo plura esse, seu pauciora, quo animalia perfectiorem, seu imperfectiorem ordinem ingrediuntur, & quo perfectiorum, seu imperfectiorum spirituum vsum admittunt: perfectiora siquidem plures sentiendi virtutes complectuntur, ideoq. Naturæ communis directionibus minus subiiciuntur. Imperfectiora econtra, quoniam pauciora cognoscunt, ac ex internæ virtutis vi prosequuntur, Natura ipsa dirigente, plura, quæ ad illorum bonum pertinent, exercent necesse est. quod tamen tunc præcipue veritatem continet, cum spirituum imperfectio non obstitit. Et hæc quidem non tantum sensuum perfectiorum, quibus animalia fortasse carent, sed rationis etiam manifestam vim continent.

ratio vero, qua horum vnumquodque recte discerni potest, colligenda præcipue erit ex singulorum actuum organis, necnon ex exequendi, appetendi, quiescendi, ac gaudendi modis, accepto tamen, perfectiores virtutes absque imperfectioribus dari impossibile esse.

*De imperfectissima animalium perceptione, seu de Naturæ sensu, necnon appetitu, ac exequendi virtute, quæ illi annexuntur. Cap. II.*



**Q**UAE sentiendi virtute sunt prædita, ea percipiant necesse est, quæ ex nutrimenti seu defectu, seu sufficientia, seu accessu, illis vel profunt, vel nocent. Itaque plantarum virtutes vix excellunt: plantæ enim eadem commoda, seu incommoda similiter experiuntur, licet non percipiant. oritur hæc perceptio ex illo spiritu, qui membrum, in quo prima concoctio exercetur, non egreditur, ideoque prima spiritualis perceptionis, seu sensationis exordia parit, & eum sensum constituit, qui, sicuti ceteris comparatus imperfectissimus apparet, ita ceteros omnes ex necessitate præcedit. hunc tamen later non poterunt cetera, quæ alia ratione internum animalis commodum, seu incommodum pariunt: nam eandem vim quodammodo habent. Itaque percipiet non tantum, quæ consequuntur nutrimenti defectum, sufficientiam, seu excessum, sed ceteros etiam corporis dolores, qui oriri solent siue ob ægrotudines, siue ob percussiones, siue ob proprii corporis diuisiones. Animaduertendum vero est, hunc sensum incommodum primo, & per se percipere, commodum vero non primo, sed ex eo tantum, quod nullum incommodum sentiat. Hinc colligere licet, tactus vocem huic sensui aptari non posse, nisi forte ad scientiæ perturbationem, quam tamen nouimus esse summe vitandam. hic certe exercetur absque villo contactu, & a tactus organis vt plurimum seiungitur. præterea idem obiectum nonnumquam tactui est gratum, & huic sensui ingratum, & e contra. alia etiam manifeste discrepant, vt ex tactus doctrina patebit. Sensus igitur imperfectissimus, seu Naturæ sensus appellari poterit. illi tamen admirabile quoddam conuenit, vt scilicet sentiens virtus, organum, obiectum, ac sensatio in eo reipsa vnum, atque idem sint, quamuis ratione vicissim distinguantur: animal siquidem sentiens commoda, vel incommoda proprii corporis,

poris, hæc in seipso ex necessitate percipit, nam vere in seipso sunt. at, si organi virtute accedente ea perciperet, illi necessario externa essent: organi namque vis ex eo tantum expetenda est, quoniam ex illius vsu seu externa ad interna, seu interna ad externa deduci possunt.

Itaque respectu eiusdem simul interna, ac externa censenda essent, quod nullo modo admittendum est. hæc tamen, quæ reipsa idem sunt, ratione inuicem distinguuntur. nam idem animal ex eo, quod recte, seu non recte se habet, sensibile est; ex eo, quod eadem hæc commoda, seu incommoda interne retinet, organi partes exercet; ex eo, quod interne retenta cognoscit, sentiens est; & ex eo, quod res actu sensibilis, actu copulatur rei actu sentienti, sensatio dici poterit. Imperfectissima igitur sentiendi virtus perfectissimam intelligendi virtutem vtcumque refert, quod tamen, sicuti respectu intellectuum arguit summam perfectionem, ita respectu sentientium summam imperfectionem conuincit.

Hunc sensum concomitatur ille appetitus, qui pro commodi, seu incommodi differentijs sitis, seu fames appellari solet, seu etiam sanitatis consequendæ, dolorisq. excutiendi cupiditas. Differt autem hic appetitus, & ea, quæ ad illum pertinent, a sentiendi virtute, organo, atque ipsis sensibilibus, non re, sed ratione tantummodo: eadem enim, quatenus sunt perceptibilia, sensui obijciuntur; quatenus vero vel obsunt, vel profunt, appetitui. Illud vero, quod ab eo tamquam scopus, & finis respicitur, nihil aliud erit, quam incommodi carentia. Itaque ex adhæsiōe eorum, quæ huic fauent, exhilarabitur, & ex accessu illorum, quæ eidem aduersantur, contristabitur, illiusq. summa quies ex simplici indolentia constituetur. neque enim ob summam imperfectionem, præstantioris ordinis exhilarationes attingit.

Modus etiam, quo idem appetitus bona prosequitur, ac mala refugit, deducendus erit ex admissione, seu exclusionem eorum, quæ animali adhærent, necnon ex internorum retentione, seu expulsionem. Virtus igitur executiua illi deseruiens partium tantummodo seu extensiones, seu contractiones exercere poterit, ad quas summa cum sensus stoliditate impelletur. nam huic tum sensui, tum appetitui videtur proprium, dum perceptum incommodum adhæret, animal inquietum reddere ratione ab ea non dissimili, qua perfectiora animalia profunde dormientia anguntur, dum aliquod propriæ naturæ dissonum illis apponitur, simulq. exagitare, donec cor-

pore refarcito, ac ad indolentiam perducto, in ea, Natura sic exigente, conquiescat, tamquam in proprio bono. Sicuti autem hic imperfectissimus sensus versatur tantummodo circa illa, quæ animalis sunt interna, ita illius executiua potentia ad externa non perducet, sed absque totali loci mutatione proprium actum exercebit.

*De animalibus, quæ constituuntur ex imperfectiori gradu imperfectissimi sensus, ac de eorundem generationibus. Cap. III.*



**V**ENTIVM nutrimenta ex humidioribus præcipue duci solent. quare, sicuti prima incommoda ex horum defectu oriuntur, ita illorum perceptio sensus imperfectissimi gradui imperfectissimo conuenit. Itaque ex hoc gradu deducuntur animalia similiter imperfectissima, cuiusmodi videntur esse ea, quibus spongiarum uox conuenit: hæ siquidem saxi, marinis aquis vndequaue contegentibus, semper affixæ sunt. quamobrem rationi consonum est, illarum sensus ea damna, vel commoda tantummodo apprehendere, quæ concomitantur humoris seu defectum, & excessum, seu congruentem dispositionem, similiq. ratione earundem appetitum circa hæc versari, & executiuam potentiam in his tantum deseruire, ut scilicet, dum ex humidi defectu damnum percipitur, animalis partes dilatet, & aquis ingressum præbeat; dum vero congrua restauratio sentitur, easdem constipet, ne humoris accessus obsit. Inuius vero animalis os, ac ventriculus, vt patet, idem omnino est: constituitur enim ex concursu partium, quarum vnaquæque ventriculi figuram obtinuit, & tum eiusdem, tum etiam oris munia decentissime sustinet. Quapropter dubitare non licet, an in spongia organa sensitiuæ, appetitiuæ, ac motricis virtutis inuicem distinguantur. nam vnicum organum continet, licet alijs similibus adhærens, quorum vnicuique eadem vis necessario aptatur.

Admirabili autem dispositione constitutum est, vt, quemadmodum prima elementorum incorporatio oritur ex aqua, & ex terra aqueam humiditatem, ac frigiditatem appetente, ita prima spiritua lis comprehensio, ac affectio circa ea versentur, quæ earundem qualitatum copulationem concomitantur. Summa etiam admiratio ne dignum censendum est, in animalium ordine spongiam primo occurrere, quæ ex pluribus ventriculis uidetur constitui, solaq. ventriculi

tricoli munia exercere, & in perfectiorum animalium generatione ventriculum primo generari, seu certe congenerari, vt ex dicendis clarius patere poterit. Generantur vero spongiæ tamquam a causa efficiente a cælorum luminibus calefacientibus. id ex ficciori illarum temperamento arguitur. idem experientia docet. nam in regionibus calidioribus abundant. Illarum materia proximior sumitur ex marinis aquis, quatenus a petrarum bibacitate collectæ grossiores, ac densiores redduntur: hæ siquidem cælestium luminum vi validius calefaciente, ex lapidum reactione adhuc densiores effectæ, redduntur aptissimæ ad spongiarum semina concipienda, ac nutrienda, cum præsertim ficcior, ac mollior spongiarum complexio respectu siccitatis assidue reparatur tam a densiori falsugine, quam a cælestium luminum calefactionibus: respectu vero mollitiei nutriatur sine intermissione ab aquea humiditate, quam eadem caliditas siccitati adhærens decentissime refrangit, ac contrahit.

Et hæc quidem demonstrare possunt, hoc animal iure optimo aqueæ humiditatis auidum esse, illudq. vehementer inquirere, & appetere: oritur enim ob vehementem aqueæ substantiæ calefactionem, ac exiccationem, quarum vi eandem humiditatem imbibens, atque amplexans, eam rursus concoquit, ad propriæ substantiæ non tantum conseruationem, sed etiam dilatationem.

Spongiarum vero tria sunt genera, quæ tamen ex maiori tantum, minoriue seu raritate, seu duritie inter se differunt. Ex his unum semper est lutosum: quapropter credendum est, tales spongas incommoda experiri, ac percipere non tantum ex humiditatis, sed etiam nutrimenti solidioris defectu, illarumq. semina similiter colligi ex magis terreis. reliquæ spongiæ solidioris nutrimenti appetentes non sunt.

Quod vero attinet ad spongiarum mortem, ac corruptionem, asserendum videtur, eas semel a proprio loco abscissas rursus plantari non posse. nam neque radicitus euelluntur, neque noua sedes priori omnino consona reperiri potest. Quamuis autem abscissæ spongiæ extra aquas propriam formam retinere soleant, eas tamen ex senio facile deperire, & intra aquas marcescere credendum est. Ideo autem illarum corpora extra aquas, & ab humidioribus tutæ, diutius durant, quoniam summa siccitas ea ab internâ putredine tuetur. Eadem etiam in causa est, vt facile nec discendantur, nec comburantur: quamuis enim flammam ob siccitatem igneam concipiant,

cipiant, illi tamen ob frigiditatem terream resistunt, neque unquam ob humidi defectum flammam emittunt. Hinc etiam factum est, ut omnem concoctionem effugiant, neque aliud animal nutrire possint.

*De animalibus, quæ ab eiusdem imperfectissimi sensus gradibus perfectioribus constituuntur. Cap. IIII.*



**ONCHILIA** quoque ab eodem Naturæ sensu imperfectissimo, licet gradus aliquanto perfectioris, videntur constitui. hæc conueniunt cum ipsis spongijs, quoniam patiuntur præcipue ex defectu aqueæ humiditatis. differunt tamen ab eisdem, quoniam aqueas humiditates appetunt quidem vehementer, sed aliquanto remissius, quam spongiæ. nam cænosis etiam, & densioribus arenarum succis nutrirî solent.

Itaque recipiunt aquea immediate non ex ventriculo, sed ex alia parte, quæ oris sustinet vices. accedunt etiam partes solidiores, quas aperire, & claudere possunt, prout impellit appetens illarum virtus, quæ ratione tantum differt ab horum animalium sensu, ideoque vtrisque molliora instrumentum præbent, solidiora vero exequenti virtuti aptantur. Quemadmodum autem conchilia spongiarum ordinem in his excellunt, ita earundem mouendi virtutem vtrumque superant: quædam enim & solidis affixa, & a solidis seiuncta reperiuntur, vt ostreæ, & huiusmodi plura; quædam semper a solidis seiuncta, ac diuisa detinentur, in arena, vel in lutosi, sed locum non mutant; quædam hoc etiam aliqua ex parte obtinere, ut Vngues, quæ longiorem formam adeptæ ex internæ virtutis vi, dimidia sui parte ex arenis emergunt, moxq. seipsas subducunt. Et hæc quidem huic animalium ordini terminum imponunt. Generantur conchilia in aquis non tantum marinis, in quibus magis copiose reperiuntur, sed in dulcioribus etiam, non tamen fetentibus. illorum causa efficiens caliditatem ea ratione includit, vt ex frigiditate etiam plurima adiumenta requirat. hoc colligitur ex horum animalium conchis durioribus. nam nec durities in aquis datur absque aliqua congelatione, nec congelatio absque frigiditate. Experimur etiam, conchilia hiemis tempore plurimum abundare, & longe vegetiora esse. hæc vero frigiditas dum exteriores partes præcipue

præcipue attingit, condensatque, partis interioris, ac calidioris vires non parum intendit, quæ ob id quanto magis augetur, tanto molliorem substantiam assequitur. Ex hac effluunt quædam neruulorum specimen referentia, quæ externa duriora his mollioribus annectunt, vt internis obediant, & ab eisdem concocta nutrimenta recipiant.

Siquis autem tam molliores, quam duriores conchiliorum partes diligentius rimetur, facile, ni fallimur, percipere poterit, vtrasque iterum distinguendas esse: molliores enim non tantum ventriculi, & oris munia iustinent, sed cordis quoque, & epatis naturam æmulatur. solidiorum vero pars posterior capitis munia exercere videtur, quod neruiculi illi adhærentes, ac vtramque concham coniungentes, manifeste demonstrant. hæc exteriora haud secus, quam interiora, plures figuras admittunt, quoniam conchiliorum quædam semper sub aquis degunt, quædam infra arenas, seu cænosa, quædam in arenarum superficie.

Itaque pluribus etiam rationibus abluuntur ab aquis. hoc vero ad figurarum immutationes non parum conferre manifestum est. Conchiliorum vita est valde breuis. illorum cadauera respectu partis mollioris quam celerrime putrescunt, exteriora tamen diutius permanent. Quæ de conchilijs dicta sunt, admirabilem Naturæ ordinem similiter demonstrare possunt. nam, sicuti in animalium perfectorum generatione ventriculi constitutioni, cordis, epatis, & capitis constitutio annecti solet, ita in tota animalium serie spongiæ, quæ ventriculi naturam refert, adduntur conchilia, quæ cordis, epatis, & capitis exordia continent.

*De ijs, quæ externis sensibus communiter conueniunt, & de sensoriorum, perfectis sensibus deseruentium, constituendorum rationibus, & de primis sensuum differentijs. Cap. V.*



**IMPERFECTISSIMO** Naturæ sensui ceteri sensus perfectiores certa serie superadduntur. his omnibus commune est, ea percipere, quæ animali exteriora sunt. Quapropter illorum vnusquisque certo quodam organo indiget, cuius vi, externa spiritaliter recepta, sentiendi virtute concurrente, ab ipso sentiente interne concipi, ac sentiri possint. Cum autem duo in sensuum usu desiderentur, receptio

ptio scilicet, & perceptio, in receptionis consummatione obiecta percipienda agentis exercent partes, organa uero recipientis. in perceptione econtra, organum sensitivam animæ uirtutem continens est agens, obiecta uero cognita illi subijciuntur. patet autem, receptionem quidem dari absque perceptione, ut puta, dum animæ uirtus, ac spiritus distrahantur, sed perceptionem absque receptione non exerceri. nam perceptibili, & percipiendi uirtute non concurrentibus eam adimpleri impossibile est.

Talium uero organorum constitutio summam Naturæ artem uidetur exposcere: ipsa enim organa necessario corporea sunt, ac corporea respiciunt. percipienda uero incorporee recipi, ac deferri necesse est: hac siquidem ratione tantummodo res corporeæ spiritalem naturam æmulantur, spiritualiter existunt, ac uere sensibiles efficiuntur, ratione tamen præstantiori, seu minus præstanti, quo eadem species magis, seu minus depurantur, præstantioresque, seu minus præstantes sentiendi uirtutes attingunt. ad huiusmodi uero recipiendi potentiam constituendam tria desiderantur. primum est, ut illorum, quorum species sunt recipiendæ, realis natura absit. nam calidum, quatenus est calidum, neque caliditatem, neque caliditatis speciem recipere potest: optime siquidem dictum est oportere recipientem denudari a natura recepti. Secundum, ut adsit quidem dispositio, ac propensio proxima, atque essentialis ad huiusmodi naturam realiter recipiendam, sed ita deuincta, ut illam realiter, ac formaliter, aut nullo modo, aut non absque uehementiori aliqua ui recipere possit. Talis dispositio, ac propensio desiderantur, quoniam sine receptione spiritali non datur spiritalis rerum perceptio: perceptio uero spiritalis supponit recipientem ad spiritalem receptionem dispositum, ac propensum esse. ideoque oculus colores percipit, non odores, & olfactus, odores, & non colores, idemque in ceteris euenit.

Econtra etiam tali dispositione, propensioneque constituta, spiritalis receptio necessario adimpletur, quoniam amans, dum rem amatam amplexari non potest, illius imaginem quam auidissime colligit. Tertium requiritur, ut spiritalis receptio ea ratione adimpleatur, ut spiritaliter recepta detineantur, ac colligantur, neque seu ad ulteriora procedere, seu aliquo pacto euanescere possint. dum enim spiritaliter recepta, seu ad ulteriora procedunt, seu euanescunt, recipientem non organi, sed medijs partes exercet, ideoque nulla in eo perceptio adimpletur, ut puta, dum sensibilibus species ab aere recipiuntur.

rum. hæc sensuum perfectorum organa communia sunt. Quoniam autem horum sensuum quidam attingunt externa, prout externe obijciuntur, quidam eorundem intimiorem progressum, pleniorumque depurationem exposcunt, sensuum perfectiorum quidam exteriorum, quidam interiorum denominationem adepti sunt.

Sensus igitur exteriores quinarium accidentium absolutorum numerum æquabunt. nam singulis horum accidentium certus ordo aptatur. Interiores etiam tot ordinum erunt, quot sunt gradus depurationum, seu sensibilibus præstantiorum.

Vnusquisque uero sensuum ordo plures differentias, ac gradus admittit. Et hoc quidem satis perspicuum est ex pluribus animalium speciebus, quæ ab illorum unoquoque constituuntur. neque enim ab vnica forma plura specie diuersa constitui possunt. Appetitus exteriorum sensuum versantur ex necessitate circa ea, quæ obijciuntur eisdem sensibus: sunt enim omnino externa. Itaque non datur magis externum, quod ab affectu sit prosequendum. Eadem igitur, quatenus sunt cognoscibilia, ad sensus pertinent; quatenus uero delectationem, seu molestiam aliquam afferre possunt, affectus mouent. Idem circa organum sentiendum est: unicum enim existens utriusque deseruiet. Ex eisdem colligere licet, horum affectuum finem, seu scopum deducendum esse ex ipso sentiendi, seu non sentiendi actu. neque enim aliud expetere possunt, quam contristantia non sentire, & circa oblectantia libere exerceri. Quapropter, dum sensatio usque ad satietatem libere exercetur, oblectantur, & propriam quietem, ac pacem adipiscuntur: quatenus uero detinentur inuite, tristitia afficiuntur, & ad summum mærorem deueniunt. Et pax quidem propriori uoce uoluptas appellari poterit, angor uero molestiæ denominationem admittet. Appetendi modus his affectibus communis ex irruptione, ac ex obstinationi adhæsiōe, seu recessu deducendus erit; ea tamen ratione, ut irruptiones, obstinatæque prosecutiones sint intensiores, ac remissiores pro affectuum puriori, seu impuriori natura. Exequendi uirtutes his sensibus, ac affectibus ministrantes, quæ non tantum ob horum sensuum, & affectuum gradus, sed etiam ex proprio exequendi munere necessario externa respiciunt, erunt illæ, quibus animalia progrediendi, seu incedendi motus exercere possunt. hæc similiter sunt perfectiores, ac imperfectiores, perfectioremque, seu imperfectiorem incedendi rationem exercent, quo perfectioribus, seu imperfectioribus

etioribus sensibus, ac affectibus adhærent: easdemq. ob causas organa perfectiora, seu imperfectiora, illis deseruiant. In quacumq. autem incessione, vt est incessio, tria desiderantur. Primum est, vt totum animalis progredientis corpus altero corpori externo innitatur, ne ex propriæ grauitatis pondere inuite ruat ad inferiora. Secundum, vt idem corpus externum seu omnino quiescat, seu respectu motus, & progressionis ab animali exercendæ, quiescentis rationem sustinere possit. Tertium, vt idem animal progrediens distinguatur in partem motam, & in partem quiescentem, seu quæ respectu partis motæ, quietis rationem admittat, vt ex huius ministerio animal innitatur externo corpori vere, & ratione partis motæ vere progrediatur, atque etiam vt eadem pars quiescens idem præstet parti motæ, quod externum corpus exhibet toto animali progredienti.

*De sensu tactus, ac de ijs, quæ tactum consequuntur, necnon de animalibus ab illis constitutis. Cap. VI.*



**S**ENTIENDI virtus inter externas imperfectissima eam animæ consequitur uim, quæ spiritus ex nutrimento iam concocto elicere potest, eisdemq. ad membra nutrienda una cum ipso nutrimento diffundere. hæc tamen tunc tantummodo consummatur, cum hi spiritus ab eorundem membrorum caliditate, ac humore fouentur, ac refocillantur. Dum autem recipientium membrorum frigida, ac sicca complexio his spiritibus aduersatur, eisdemque extinguit, nulla sentiendi uis exerceri potest. Euenit ob id, ut hic sensus in carnis uigeat, in ossibus autem, ac alijs frigidioribus nullus sit.

Illius obiecta sunt calidum, frigidum, humidum, siccum, necnon durum, farinaceum, carnosum, unctuosum, lanosum, asperum, ac huiusmodi reliqua. hæc animali sentienti externa quidem sunt, sed non remota. neque enim horum aliquod ut remotum sentiri potest, nisi forte ita remotum existat, ut ea, quæ sunt proxima, afficiens, ac in eisdem consistens, per illam propriam uim tangenti proximam reddat, vt puta, dum ignis aerem calefaciens simul hominem calefacit, cui aer est proximus. talia huic sensui vere, ac omnino sunt consona. nam sentienti externa quidem sunt, sed non remota, & ea ratione ad spiritalem essendi modum deduci possunt, vt ab actu

actu corporeo non seiungantur. Itaque imitantur naturam spirituum, ex quibus oritur tangendi uirtus. hi nempe, vt dictum est, eo pacto a membrorum caliditate fouentur, ut ab humore nutrimenti non seiungantur. Horum igitur obiectorum perceptio non consummatur absque contactu. ex quo factum est, vt huic sensui aptetur decentissime Tactus uox. Tactus organum (vt ex dictis colligere licet) deducendum est ex partibus carnosis. spiritus namq. adhærentes humori nutrimenti, sentiendiq. vim deferentes, ab his tantummodo retineri, ac foueri possunt.

Præterea iam fancitum est, sensuum organum proprium esse, continere realem dispositionem, ac propensionem ad realia, quæ cognoscenda sunt, sed ea ratione deuinctam, vt illa realiter aut nullo modo recipere possit, aut non absque uehementiori ui. Id uero nihil aliud est, quam symbolum habere ad eadem realia, non quidem remote, vt generi conuenit respectu specierum inter se oppositarum, ad quarum vnâquamque symbolum uidetur habere, neque accidentaliter, ut elementa, quibus accidit, ut altera illorum qualitas altero elemento communis sit; sed proxime, & essentialiter, quoniam scilicet ad utramque qualitatem proxime, & essentialiter sit dispositum, & quodam quasi æquilibrio ad utramque constitutum. Patet autem, tale æquilibrium, seu symbolum respectu tangibilium, ex eorundem associatione, ac admixtione tantummodo deduci posse. nam, quæ inuicem opponuntur, & inuicem agunt, ac patiuntur, nisi inuicem associantur, numquam constituere poterunt æquilibrium illud, cui annectitur propensio unumquodque extremorum respiciens, & ad unumquodque realiter recipiendum deuinctâ. hæc uero associatio in carnis tantummodo datur, perfectiori tamen, ac imperfectiori ratione, seu quoniam illorum temperamentum proprium est magis, minusue æquale, seu quoniam eam firmiter, infirmiusue assequatur. quacumque autem ratione id fiat, tangendi uirtutes tanto acutius tangendorum qualitates percipient, quanto illarum organum a carnis deductum, erit æqualius.

Appetitus tactui deseruiens non solum indolentiam expetit, & incommoda refugit, vt is, qui imperfectissimum sensum consequitur: sed etiam voluptatem prosequitur, ac oppositam molestiam fugit, nulla interim ratione habita commodi, seu incommodi, quæ hanc voluptatem, seu molestiam concomitantur: Natura tamen constitutum est, vt bruta animalia, ac imperfectiora præsertim, illis

externe delectentur, quæ interne profunt; & ex illis externe offendantur, quæ interne obfunt. huius autem appetitus, ac tactus, cui adhæret, obiecta, (ut ex iam constitutis patet) re ipsa non distinguuntur, sed ratione tantum. nam, quatenus cognoscibilia sunt, ad tactum pertinent; quatenus vero tangenti consona, vel dissona, illiq. grata, seu ingrata, ad appetitum. idemq. circa organum sentiendum erit. Sicuti autem hic affectus ceteris, qui externis sensibus deseruiunt, imperfectior est, ac magis corporeus, ita magis corporeum finem intendit, ac magis corporee delectatur, seu contristatur, conquiescit, & angitur, simulq. delectantibus obstinatius adhærere solet. Executiua uero potentia, quæ huic affectioni deseruire debet, illum progressum pariet, qui absque confricatione, partiumq. attractu non exercetur. Itaque animal sic incedens terræ omnino prostratum anteriorem partem protendit, mox ea quiescente partem posteriorem trahit, ac colligit, rursusq. anteriori protensa prosequitur inchoatum incessum: quem tamen neque in aere, neque in aquis exercere potest, quoniam horum elementorum nullum parti diutius quiescenti consistentiam præbet. Moderatur autem hic motus ex partis anterioris inflexione multiplici. hac namq. ad dexteram, seu ad sinistram, ad anteriora, seu ad posteriora deflexa, ac firmata, ad eadem totum animalis corpus dirigitur. ad sublimia autem eam non extollunt, quoniam absque confricatione moueri non videtur.

Animalia igitur, quæ ex tangendi virtute imperfectissimo Naturæ sensui superaddita constituuntur, erunt uermes pedibus omnino destituti. hi vndequaque carnosus sunt, & propria damna tam ex humidi, quam ex sicci defectu percipiunt. ex quibus imperfectissimi sensus apparet uis. iidem vermes sese intra terram libenter retinent, simulq. ex terræ circumpositæ confricationibus delectantur, quod similiter tactui ascribendum est. hos gustu destitui ex eo coniectare licet, quoniam carent manifesto ore, ac mandendi virtute, neque vllum elcarum delectum exercent. Itaque tutissime asserendum est; hos ex tangendi virtute constitui.

Siquis autem eos ad perfectorum animalium membra referre velit, hic (ni fallimur) assentietur, talia animalia genitalibus membris, seu musculis responderæ.

Quod vero ad illorum generationem attinet, sciendum esse existimamus, efficientem illorum causam sumendam esse ex caliditate aliquanto remissiori; materialem vero ex terreo densiori, illorumq.

rumq. consummationem ascribendam esse concoctioni expellenti omnem combustionem, sed simpliciorum elixationem intendenti. Itaque existimandum est, hos vermes frequenter generari, sed diutius viuere non posse, similibiq. ratione illorum cadauera breui, ac vndequaque putrescere.

*De gustus sensu, ac de ijs, quæ gustandi virtutem consequuntur, necnon de animalibus ab eo constitutis.* Cap. VII.



ACTVI gustus proxime accedit, ac parum a tactu differt. eisdem enim spiritibus exercetur, sed aliquanto purioribus, & membri recipientis concoctionem plenioribus. Igitur inter membra tangendi vi prædita, pauca admodum gustum exercere possunt, & animalia non pauca, quæ tactum exercent, gustu carent, licet gustantia omnia tactum habeant. Eadem proximitas horum sensuum ex obiectis etiam ipsius gustus demonstrari potest, videlicet ex saporibus, qui gustu percipiuntur. nam saporibus gustari non possunt, nisi diffundantur virtute aqueæ humiditatis, quæ vere tangibilis est, & tactus usum exposcit. Itaque vere gustus est quidam tactus. nam absque tactu non exercetur. Gustus etiam organum eadem ob causas erit quoddam organum tactus, & gustabile quoddam tangibile. patet tamen, ea, quæ ad gustum attinent, continere aliquod minus corporeum, & utcumque extendi ad ea, quæ sentienti aliquanto sunt remotiora. nam saporibus, dum gustus organum tangunt, diffunduntur in humorem huic organo assistentem, atque illo mediante gustantur. Gustus vero organum est lingua, ac palatum, seu alia, quæ his proportionem respondent. continent enim frigidum, calidum, humidum, & siccum non tantum commixta, ac temperata, sed etiam absque vlla seu inconcoctione, seu combustionem concocta. Itaque complectuntur symbolum ad saporibus omnes. nam, quatenus excludunt inconcoctionem, sunt consona saporibus concomitantibus summam concoctionem certi alicuius elementi, ea tamen ratione, vt, ob plurium elementorum concursum, nullum illorum actu admittere possint: quatenus vero recedunt ab omni combustionem, sunt, & apparent consona illis saporibus, qui consequuntur certi alicuius elementi summam combustionem, quos tamen realiter admittere non possunt ob eundem pluriumq.

rium elementorum concursum. Et hæc quidem eo firmitus linguæ, ac palato aptantur, quoniam hæc membra ita a Natura constituta sunt, ut alterum ab altero foueatur, & vtrumque assidue humectetur, simulq. tepescat. Sicuti igitur ex summa concoctione plurium componentium recedunt tam ab omni combustione, quam ab omni congelatione interna, ita ex humidi appositione redduntur tuta ab externis exiccantibus, ac comburentibus, & ex teporis assistentia a congelantibus. Qua autem ratione iidem sapes, idemq. gustus organum ad eiusdem sensus affectum pertineant, quid ab hoc affectu tamquam finis respiciatur, in quibus delectetur, seu contristetur, conquiescat, seu angatur, & quonammodo proprium actum exercent, ex his colligere licet, quæ circa sensuum exteriorum affectus in communi enarrata sunt. Exequendi vero potentia huic appetitui ministrans eandem proportionem habet ad virtutem tactui deseruientem, quam gustus, & tactus, spiritus ambos hos sensus constituentes, eorundem appetitus, & organa habent inter se. Quapropter, ni fallimur, erit illa potentia, qua incedere solent vermes pluribus pedibus fulciti. hi pluribus pedibus fulciuntur, quoniam illorum incedendi ratio quamuis eam excellat, quæ ex sola attractione, ac confricatione exercetur, attractu tamen, ac confricatione omnino non caret, vereq. imperfecti ordinis est, sicuti etiam spiritus gustandi vim inducentes imperfectioris ordinis sunt. Pedes vero, quamuis plurimi, semper pares sunt. nam bini binis succedunt, ut animalis corpus longius, terræq. vndequaue incumbens, æqualiter, ac plene sustinere possint.

Iidem uermes manifesto ore, quo cibos confringere possint, sunt præditi, necnon manifesta secessus parte, quod gustandi virtutem aperte demonstrat. nam escarum confractio, illarum humorem internum, & saporem prouocat. Eisdem etiam conuenit, partem anteriorem ad superiora erigere, ac circumducere, simulq. ad sublimiora irrepere, escaq. curiosius inquirere, ac diligentius seligere. quæ vermibus pedibus destitutis denegari manifestum est. Inter hos vermes Rusæ digniorem locum obtinere videntur, illæq. præcipue, quæ filis quibusdam tenuissimis ex propria substantia eductis seipsas circumquaue sapiunt, & claudunt, moxq. his quasi carceribus eruptis forma mutata alarum profiliunt. hæ enim ex postrema hac concoctione aliquanto præstantiores spiritus pariunt, ac perfectiorem animalium ordinem ingrediuntur. Pedati vermes præditi sunt.

ti sunt virtute prolificandi, qua apedes carent. maris tamen, ac feminæ differentiam non admittunt, ideoq. ex concubitu non procreant, sed ex humore interno magis concocto, ac puriori concipiunt oua quædam perexigua, ac plurima, & eadem postmodum pariunt. Hæc vero anno sequenti veris tempore solaris caloris virtute deducuntur ad formam eorundem animalium. complectuntur enim vim feminis informantis, ac humidi recipientis. Ipsa autem animalia veris tempore nata, ouis emissis æstate deperire solent, illorumq. cadauera ex omni parte putrescunt. nam ossibus, simulq. siccioribus, ac durioribus partibus carent.

Siquis autem hæc animalia ad perfectorum animalium membra referre velit, facile (ni fallimur) animaduertet, ea linguæ respondere. nam lingua, in qua gustus consummatur, horum animalium (ut membro affixo aptari potest) imitatur motus: liberrime siquidem extenditur, ac partem anteriorem vndequaue circumuoluit.

*De olfactus sensu, ac de ijs, quæ olfactum consequuntur, necnon de animalibus ab eo constitutis.* Cap. VIII.



**Q**UÆFACTVM circa odores, odorumq. differentias uersari, exploratum est. hic inter exteriores sensus primus a corporeo obiectorum sensibilibus contactu omnino recedit, ac præstantiori quadam ratione spiritaliter exercetur. Itaque illorum spirituum usum exposcit, qui a nutrimenti humore seiunguntur, ac certis uehicularibus indigent.

Tales spiritus olfactui, ac reliquis sensibus ordinum præstantiorum uere deseruire signum non infirmum præbet uehementior quædam animalis intentio, quæ in horum sensuum usu ut plurimum adhiberi solet, & respectu sensuum imperfectiorum locum non habet. Odorum uero perceptio decentissime aptatur huic spirituum ordini. nam odores ad olfacientem uirtute perducunt, & sensum excitare non possunt absque exhalatione, & medio has exhalationes deferente. Medium autem, quod exhalationes, simulq. odores recipere, ac ad olfactum transmittere aptum est, erit seu aer, seu aqua. nã hæc duo elementa tantummodo exhalationes facile recipere, ac diutius retinere solent. quod neque terræ, neque igni conuenit. terræ nempe exhalatio potius, quam exhalationis receptio aptatur: ignis uero eadem omnino comburit, ac destruit. Organum olfactui deseruiens



seruiens continet ex necessitate aliquem excessum frigidi, & humidi; ea tamen ratione, ut ex accessu odorum, in quibus calidi, & sicci uis dominatur, æquilibrium utrumque assequatur, ac odorum uim uere spiritaliter recipere possit. Et hanc quidem uim eo intimius admittet, quo frigidi, ac humidi excessus est minor. tunc enim absque sui destructione promptius assentietur odorum qualitibus igneis. Itaque animalia, quorum complexio calidior, ac sicciior est, optime odorant. nam in illis frigiditas, ac humiditas constituentes organum olfactus consequenter quammaxime remissæ sunt. olfactus tamen organum aliquem frigidi, ac humidi excessum semper requirit, quoniam odoratorum exhalatio oritur a uirtute interni sicci, ac calidi agentis in internum frigidum, ac humidum, eademq. ita expellentis, ut conceptam odoratorum caliditatem, ac siccitatem simul & deferant, & in circumpositum aerem, seu aquam diffundant. Organum igitur odores spiritaliter recepturum, humido, ac frigido odores deferentibus consentire debet, simulq. tale se exhibere, respectu calidi, & sicci, quæ odori sunt essentialia, ut neque illa oppugnet, neque ex acutiori illorum vi ipsum detrudatur ad calidi, & sicci naturam. hæc uero aliquem humidi, ac frigidi excessum manifeste exposcunt. nam, si qualitates omnes ex concoctione summe æquali, ut euenit in organo gustus, summam æqualitatem similiter retinerent, organi frigiditas, ac humiditas facile infirmarentur ob assiduum odorum accessum, calidi, ac sicci uim deferentium, summeq. adaugeretur robur qualitatum oppositarum, ipsaq. aptitudo spiritaliter recipiendi omnino recederet. Ne uero idem organum aliorum calidorum, & siccorum incursum obuium esset, solers natura illud animalibus internum uoluit, simulq. illi parti summe proximum, quæ ceteris comparata humidior, ac frigidior reperitur. factum est etiam, ut aer, seu aqua odores deferentes attingerent olfactus organum per certa foramina satis parua, ne illius æquilibrium seu ex nimia frigiditate, seu ex nimia caliditate amoueri posset. Quæ attinent ad huius sensus appetitum, necnon ad eiusdem finem, oblectationem, contristationem, quietem, angorem, ac appetendi modum, facile ex his colliguntur, quæ superius communiter dicta fuere circa sensus exteriores, & affectus illis ministrantes. Incessus uero, qui exerceri solet uirtute exequentis potentie huic sensui, ac appetitui famulatum præbentis, longe præstantiori ratione exerceri poterit, quam qui tactus, ac gustus uirtutem concomitantur.

mitantur. odores enim, quibus hæc potentia respondet, ob igneam illorum naturam ab his etiam, quæ plurimum distant, ad olfacientia animalia deferri solent. Quapropter, nisi adsit vis procedendi, seu recedendi uelociter, hæc animalia neque ad oblectantia perducere, neque a contristantibus opportune amoueri possent. Videtur autem, taliter incedendi potentiam primo inesse, ac aptari animalibus, quæ Insecta appellantur, ac olfaciendi uirtute sunt uere prædita. nam circa odorabilia assidue detinentur, ac ex odoris perceptione escarum selectum habent. Eadem autem auditu, & visu destitui liquet: carent enim pluribus, quæ præstantiores hos sensus concomitantur.

Præterea eadem ueritas non tantum antiquorum auctoritate, sed experimentis etiam confirmari potest. Quamuis autem plura exerceantur ab ipsis insectis, quæ uidentur arguere audiendi, ac uidendi uirtutes, acutius tamen animaduertentes facile percipere poterunt, talia solius tactus uim continere. percipiunt enim ob corporum paruitatem, ac tenuitatem, quamcumque aeris motionem, atque eo citius, si ad uolandum sint apta, ac alas habeant, quæ cum tenuissimæ sint, quemcumque impulsu patiuntur. Accedit etiam communis Naturæ uis, quæ ob præstantiorum spirituum usus in his animalibus splendidius apparere, ac firmiter imprimi solet. ex quo factum est, ut plura aggrediantur, & perficiant, quæ specimen continent non tantum sensuum præstantiorum, sed etiam ipsius rationis.

Illorum uero incessus non est uniformis, sed pro singulorum natura quammaxime diuersus. Itaque, cum omnibus commune sit pedibus incedere, nullamq. corporis contractionem, seu extensionem exercere, quædam saltibus loca mutare solent, ut pulices, quædam uolatu, ut muscæ, apes, & uespæ, quædam utroque, ut locustæ. Et saltus quidem exposcunt longitudinem pedum posteriorum, qui inflectuntur ad interiora. Volatui uero alæ deferuiunt, quæ in insectis carent pennis, sed constituuntur ex membranis quibusdam tenuissimis. Pedes, qui incessui præcipue inferuiunt, ea ratione pares sunt, ut quattuor notas non excedant. quadrata nempe figura consistit perfectissime: ideoque, dum excedens longitudo corporis mollioris media fulcimenta non requirit, perfectam tam subsistendi, quam procedendi rationem inducit. pedes tamen quaternarium numerum superant: nam notæ unicuique aptantur plures pedes tenuissimi. neque enim parua horum animalium corpora grauanda erant potestere pedum firmiter, neque assignato unico pede tenuis-

fimo singulis notis, illarum incessus infirmandus, simulq. in discrimen reuocandus. Easdem ob causas illis, quæ volare solēt, alæ tenuissimæ traditæ sunt, ac vt plurimum binarium numerum excedentes.

Animalia olfactu prædita proportionem non habent ad certum aliquod membrum animalium perfectorum. nam ipsa continent membra omnia, quæ seu ad externos motus, seu ad concubitum desiderantur, & sexus etiam differentias habent, quamuis quædam illorum simile non procreent. pediculi enim, quos ad hunc ordinem pertinere existimamus, pariunt lentes: muscæ autem, & pulices pariunt vermiculos, ex quibus nihil amplius generatur. Tota autem illorum species ex putredine seu terræ, seu animalis, seu stirpis proreunditur. Quæ simile procreant, illud immediate non emittunt, sed vel per oua, vt formicæ, & quæ ex imperfectiori ad hunc ordinem perducere diximus, vel per vermiculos, vt apes, vespæ, crabrones, & cetera huiusmodi. Pediculorum, pulicum, ceterorumque immundorum corpora mollia sunt.

Quapropter credendum est, spiritum a nutrimenti humore seiunctum in his valde infirmum esse, horumq. ob id odoratum ad remota deduci non posse. quod etiam coniectare licet ex tardiori illorum motu. Ceterorum corpora continent aliqua duriora, ac adustiora, præsertimq. circa caput, in quibus spiritus ab humore nutrimenti seiunctos puriores reddi existimare debemus, ac ad olfactui deseruiendum aptissimos.

Quamobrem hæc animalia, quæ Insecta appellari solent, acutissime olfaciunt, licet careant arterijs, quæ puriores spiritus seiunctim deferre solent, & sanguine. Hæc non semel, sed pluries in anno nascuntur. coeunt enim, vt dicitur, hiberno tempore, & nata diebus austrinis, ac serenis breui perficiuntur.

*De somno, & vigilia, quæ olfactum primo concomitantur, ac de eorundem causis.*

*Cap. IX.*



**L** FACIENTIBVS animalibus somni, vigiliæq. differentia primo aptantur. nam subtiliores illorum spiritus ob rariorem substantiam facile resoluuntur, nec refarciri possunt ex sola membrorum ab omni motu retractione, vt spiritus, qui a nutrimenti humore non seiunguntur, sed exposcunt præterea, vt caliditas, cuius vi sunt eliciendi,

ciendi, necnon humiditas, a qua effluunt, vehementius contrahantur, ac colligantur. Interim igitur animalem directionem deficere, & olfactum infirmari, ac deuinciri necesse est.

Et hæc quidem pariunt somnum: opposita vero solutio vigiliam. ratio autem, ob quam animalia non olfacientia medentur defatigationi, ac vires colligunt non somno, sed sola ab omni motu vacatione, facile docere nos potest, perfectioribus animalibus dormientibus gustum, tactum, & Naturæ sensum non deuinciri.

Id experimentis etiam confirmari potest. nam puelluli dormientes lac a matrum uberibus sugunt: natu maiores veram tactus voluptatem in somnis experiuntur: omnibusq. animalibus commune est, ex membrorum extensione, ac retractione, atque etiam ex totius corporis agitatione, nunc frigidiora, nunc calidiora, (prout conducit) seu petere, seu declinare. Dormientium etiam non pauci somno non intermisso surgunt, deambulant, & alia plurima agunt, quæ licet ascribenda sint internis somniorum agitationibus, conuincunt tamen manifeste, membra, quæ Naturæ sensui, & tactui primo deseruiunt, somni etiam tempore soluta esse. Hæc vero tunc infirmius exercentur, quoniam abest animalis directio, & sensuum præstantiorum vires (vt in vigilia euenit) nulla adiumenta suppeditant. In somno etiam spiritus omnes colliguntur ad proprium fontem, atque ad intimiora, cuius euidentis signum est exterior animalium dormientium frigiditas. patet autem, spiritibus recedentibus partes exteriores hebetius sentire. Sed ipsius somni, ac oppositæ vigiliæ natura, & causæ aliquanto accuratius consideranda sunt. præcipue vero statuendum erit, in somno animalis directionis defectum, & deuinctionem olfactus, aliorumq. sensuum exteriorum, qui eiusdem spiritus vsum exquirunt, ita copulari, vt alterum ab altero seiunctum, somnum non pariat. quin neque hæc sola sufficere, sed tertium quoddam præterea exquiri, vt scilicet horum utrumque fiat absque ulla offensione eorum, quæ pertinent ad animalis uitam ob internam exhalationem crassioram, quæ puriores spiritus comprimat, seu ob eorundem spirituum resolutionem.

Simplex defectus animalis directionis somnum non parit. nam sæpe animalia, etiam dum uigilant, præsertim autem, dum a defatigationibus quiescunt, nullam animalem directionem exercent.

Simplex sensuum deuinctio somnum non inducit. nam in uigilia etiam profundius contemplantes, horum sensuum exteriorum

usum amittunt, præsertim si ad ecstasim, seu raptum deducantur. Tertium quoque desideratur, quoniam neque animo deficientes, seu epilepsia laborantes, dormire dicimus, quamuis animalis directio, ac sensus somno subiecti deuinciantur. neque enim id illis accidit ex sola spirituum repressione, seu resolutione absque ulla offensione eorum, quæ ad uitam pertinent. nam in illis, qui animo deficient, animalis uirtutis defectui adiungitur compressio uirtutis naturalis, seu vitalis. vitales quippe spiritus, sanguis, ac vegetans uirtus simul contrahuntur, ac infirmantur.

Epileptici vero ideo sensu, ac dirigendi uirtute destituuntur, quoniam colla, ac gutturis uenis intumescensibus anhelitus instrumenta impediuntur.

Sicuti autem hæc somnum non pariunt, ita, dum ex puriorum spirituum repressione, seu resolutione deuinciantur animalis directio, ac puriorum sensuum usus, animal uere dormit. nam illius concoquens uirtus nutrimentum magis inconcoctum aggrediens, illud exhalare cogit. hæc uero exhalatio ad superiora, simulque remotiora perducta, cum ulterius ascendere non possit, inferiora reperit, frigidiorumque membrorum uirtute frigidior, densiorque effecta non tantum perturbat, ac caliginosos reddit spiritus puriores, sensuum organa ministrantes, ac eadem superiora petentes, sed comprimit etiam, ac ad proprium fontem retrudit, ad ipsum uidelicet cor, seu cordi proportionale. Simul igitur sensuum organa his spiritibus destituta proprio muneri efficiuntur inepta, & animalis directio cadit, ac somnus inducitur.

Eadem tunc quoque eueniunt, cum ijdem spiritus ob diuturniorem seu sensuum usum, seu totius animalis defatigationem resoluuntur, vel a corde reuocantur, ut vires deperditæ reparentur. Vehemens etiam contemplatio, & summa aliqua exhilaratio somnum excitare solent. spiritus enim puriores ex uehementiori contemplatione ad unum colliguntur, & a ceteris reuocantur, simulque resoluuntur, quod somno fauet. summa uero exhilaratio, præsertim si accedat externorum visio, seu auditus intensior eosdem spiritus ad euaporationem, ac largiorem efflationem impellit, quæ ad idem faciunt.

Sicuti autem hæc somnum inducunt, ita animalibus dormientibus, calorisque uirtute intimius collecta, ac confirmata, alimenta fortius concoquuntur, spiritusque uerius refarciuntur. quibus recte confectis spiritus puriores, repulsis obsistentibus, iterum diffunduntur, ac ad

ac ad superiora deducti animal ad uigiliam perducunt. nam & sensuum organa replent, & sensibus solutis animalem directionem restituant. Hæc expergiscendi ratio simpliciter naturalis est, ac spontanea. dum uero somnus disrumpitur seu ob aliquam concussionem, seu ob uehementis alicuius sensibilis obiectionem, uigilia uolento non caret. Ratio, ob quam exagitatio somnum expellit, satis aperta est. patet enim, exagitationis uis spiritus collectos, ac quiescentes necessario excitari, ac ad sensuum organa deferri. Ea uero, ob quam uehemens sensibile idem præstat, non parum obscura. cum enim ex somno sensuum organa sentiendi uirtute uere destituuntur, suspicari licet, ea tunc se habere ad sensibilia, haud secus, quam lapides, ideoque nullum sensibile admittere posse, seu infirme, seu fortiter moueat. At sciendum est, animali dormiente deficere quidem fluentem spirituum cursum, superesse tamen circa sensuum organa spirituum quiescentium non parum, haud secus, quam fluminibus ob aquarum defectum cursus suos intermittentibus superest non parum aquæ, quæ collecta in locis humilioribus penitus quiescit. Hi uero spiritus quiescentes licet ob infirmi sensibilis uim non attingantur, nec excitentur, a uehementioris tamen obiecti impulsibus necessario tanguntur, atque ita exagitantur, ut repulsis spiritibus frigidioribus circumpositis perducantur ad spiritus intimiores, qui cordi assistunt, & a corde assidue effluunt. His igitur per aditus utcumque patentes, fortius, ac liberius superiora petentibus, animal expergiscitur. hæc tamen facilius, ac difficilius eueniunt pro maiori, minoriue somni profunditate, quæ ideo magnam latitudinem habet, quoniam spiritus somnum inducentes, plures frigiditatis, ac densitudinis gradus admittunt, atque etiam magis, ac minus abundare solent. Ad idem etiam non parum faciunt variæ animalis dormientis situationes, ac collocationes: nam, dum corpus undequaue quiescit, animal profundius dormit; dum uero corporis pars, seu partes plene a supposito corpore non sustentur, seu non ex æquilibrio, dum corpus suppositum est durum, uel inæquale, minus profunde. Non dissimili ratione, qui supini dormiunt, profundo somno non capiuntur: tunc enim exhalatio crassior, ac frigidior, quæ somnum inducit, non facile perducitur ad capitis anteriora, in quibus sensuum organa constituuntur, ideoque sensus fortius deuincire non potest. Euenit etiam eandem ob causam, ut sic dormientes ut plurimum stertant. nam vapores crassiores constipantur circa posteriora.

steriorem partem capitis, & liberam spirationem amouent. Sæpe etiam hi spiritus inferiores ita comprimunt, vt animal maxime angatur. accidit quoque sic dormientibus, vt, licet profunde non dormiant, difficulter tamen a somno excitentur. spiritus enim, quos in capite quodammodo stagnare diximus, ui obiectorum sensibilium excitari non possunt. nam ad posteriora capitis ex necessitate defleunt, neque facile disrumpunt spiritus crassiores, qui tunc fortius sibi inuicem cohærent. Hæc vero maior, seu minor somni profunditas recte discernitur in animalibus perfectioribus ex differentijs sensuum, qui somno primo subiiciuntur, visus scilicet auditus, & olfactus. nam post intermissionem directionis animalis, quæ somnum præcedit, visus primo deuincitur, mox auditus, postremo olfactus. Itaque, somno irrepente, visibilia fortasse excitare possunt, eodem procedente sonorum strepitus a somno reuocant.

Dum vero somnus maxime profundus est, odorum vis vehementior illum interrumpere potest.

*De auditu, ac de ijs, quæ auditus sensum concomitantur, necnon de animalibus ab eo constitutis.*

*Cap. X.*

**A**UDITVS, qui olfactui proxime adiungitur, versatur circa sonos, ac voces, quæ oriuntur ex corporea percussione, quæque nullum corporeum continentes præter certam motionem aeris perducuntur ad organum pure spiritaliter, & odorum spiritalitatem non parum excellunt. ratio, qua talis organi symbolum ad sonos, & ad voces omnes est constituendum, non parum differt a rationibus, quibus tangibilem, gustabilem, ac odorabilem symbola constituuntur. soni enim ex aeris contractione orti spiritaliter tantum consistunt, omniq. reali substantia carent. quapropter eorum symbolum deduci non potest seu ex compositione, seu ex digestionem æquali, vel inæquali, sed necessario oritur ex aliqua selectione aerei, vel aquei subtilioris. quamuis enim soni absque aere non generentur, ideoq. intra aquæ superficiem oriri non possint, sonorum tamen vis per aquam etiam ad auditum deferri solet, quoniam existens natura mobilis, motuum vehementiorum species admittere potest. aqueum tamen sic selectum piscibus tantum ministrabit: aereum autem animalibus terrestribus, ac volatilibus. Vtrumque seclusum erit, atque ita

ita vndiq. septum, vt sonorum species ab illis receptæ, ac vndiq. detentæ reboent, ac sonos referant non quidem ex aliqua seu repulsionem, seu repetitionem, sicuti in ipsius Echo responsis euenire solet, sed omnino interne, ac spiritaliter.

Tale vero aereum, seu aqueum disiunctum quidem est ab animalis corpore, sed illi omnino contiguum. detinetur enim a quodam neruiculo concauo, cui adiungitur paruus quidam tympanus. Itaque soni in aereo, seu aqueo seclusi reboantes, & ex tympani vi collecti, ab animali spiritaliter percipiuntur, ac optime sentiuntur. De appetitu huic sensui deseruiente nihil dicendum est. nam, quæ ad illius doctrinam desiderantur, colligenda sunt ex his, quæ superius diximus circa exteriorum sensuum affectus in communi.

Exequendi etiam eiusdem sensus, ac appetitus potentia respectu naturæ differre non poterit ab illa, quæ olfactui adhæret, ab eadem tamen respectu modi vtrumque diuersa erit. quod conuenit etiam ceteris sensibus, ac animalibus præstantioribus. quemadmodum enim olfactus primus inter sensus recedit a corporeo contactu, & vere spiritaliter sese exercet, & ob id deficit a perfectioribus sensibus ex solo spiritalitatis gradu, ita etiam illius executiue potentiæ primo conuenit, omnes externos actus aliqua ratione exercere posse, ideoq. deficiet a perfectioribus ex solo operandi modo, qui tamen accidentalem distinctionem non pariet, sed essentialem. nam consequitur sensus essentialiter distinctos.

Operandi autem, seu mouendi modus auditui proprius colligitur (vt apparet) ex aurium directione. quod tamen pro diuersa animalium natura etiam diuersimode præstari poterit. quædam enim animalia, vt sonos aptius percipiant, mouent, ac dirigunt totum corpus, ut puta pisces, & animalia omnia collo carentia. quædam caput inflectunt, ut auium genus omne. quædam, quoniam caput ob magnitudinem non facile mouent, aures etiam ipsas dirigunt. homo uero aures mouere non potest, sed caput tantum mouet. Animalia, quæ ex hac sensitiua uirtute constituuntur, sunt (ni fallimur) crustata omnia, necnon ex mollibus ea, quæ os, seu osseum aliquid interne continent, ut puta sepie, & fulpus. hæc enim quamuis aliquo pacto uideant, inter uidentia tamen non uidentur recte numerari. nam illorum uisus ad colorum perceptionem non perducitur, sed obscurissimum, omninoq. incertum umbrarum tantummodo intuitum exercet, ut ex pluribus coniectare licet. Ad eundem

dem ordinem pertinent Talpa, & serpens quidam paruulus, quem cæcum uocant, ac longe fortasse manifestius. hæc omnia, mollibus exceptis, sexus differentiam admittunt. Talpa uero simile etiam, ac uiuum generat. tota tamen illius species ex putredine oritur. cetera pariunt oua, ex quibus absque ullo incubatu proles educitur. Et testacea quidem uerno, & autumnii tempore oua habere uidentur: sepia uero omnibus anni temporibus.

*De sensu uisus, ac de ijs, quæ uidendi uirtutem concomitantur, necnon de animalibus, quæ ex ea constituuntur. Cap. XI.*

**V**is uersatur circa lucem, & circa colores omnes, qui ex propria spiritualitate deferuntur ad uisus organum nulla corporea seu exhalatione, seu percussione, ex sensibili accepta. quapropter reliquorum externe sensibilibus spiritalem gradum quammaxime superant, & nullo modo sentiri possunt, nisi omnino spiritualiter ad organum deferantur. Ex quibus colligere licet, uisus sensum inter exteriores perfectissimum esse. Symbolum autem, quod in organo respectu suorum obiectorum requiritur, constitui uidetur partim ex concoctionis gradu, partim ex elementi perspicui retentione. nam in generationis uia eousque proceditur ad hoc organum constituendum, quousque nullus adhuc certus color constituatur, sed summa tantummodo ad colorem unumquemque propensio, ac æquilibrium.

Aqueum igitur ita terreo contemperabitur, ut aquei perspicuitas apertissima ad lumen, & colores recipiendos nullatenus perturbetur, sed coerceatur illius transmissio, ne species repellantur ad externa, quemadmodum in speculis euenire solet, sed interne detentæ uisibilia uidendi uirtuti interne obijciant. Et hæc (ut patet) præstantur ab oculis, & ab oculorum pupilla. Aerea uero, seu aquea perspicuitas, quæ tamquam medium, colorum species ad oculos defert, ad talem receptionem, ac delationem apta non sunt, nisi illustrentur, ac perficiantur uirtute luminis. superius quippe constitutum est, inferiora corpora, quæ ex cælestium motuum uirtute proprium quoddam esse adeptæ sunt, ex cælestium luminum uirtute (prout uniuersis conuenit) consummationem recipere. quapropter perspicuitas, quæ ex cælestium motuum uirtute præcipue pendet, luminis uirtute destituta neque tenebrosam naturam exuet, neque uisibiles species

cies recipere, aut uisui ministrare poterit. In uisionis autem consummatione specierum ad oculum delatio manifeste requiritur. nam, si oculi uisua uirtus ad uisibilia extendatur, uisionis fructus constitueretur non in uidente, sed in uisibili, haud secus, quam calefactionis fructus pertineat ad calefactibile, non autem ad calefacientem. impossibile quippe est, id, quod extra se agit, talis actionis fructus immediate in seipso recipere. & hæc quidem ratio ceteris perceptionibus tam perfectioribus, quam imperfectioribus communis est. Neque uero id respectu uisionis in dubium reuocari potest ex eo, quod oculus in tenebris constitutus ad ea respiciens, quæ luminis uirtute clarescunt, illa quamoptime intuetur, cum tamen ipse in luce constitutus ea, quæ tenebris obuoluuntur, non uideat. nam luminis munus est non recipere, seu deferre uisibilia, sed ea, quæ potentia uisibilia sunt, actu uisibilia reddere. hoc autem ab eo recte præstatur, dum illa proprio lumine attingit, ac illustrat. quapropter nullam admirationem afferre debet, uisibilia iam talia actu effecta, etiam per tenebrosam, & species ad oculum emittere, & ab oculo uideri posse. nam hæc tenebrosa medij tantum munia sustinent. Itaque, si illis conferantur, quæ ministrant auditui, aquæ elemento responderent. hoc enim sonorum similiter generationi non deseruit, sed illos tantum recipit, & transmittit. hæc uero transmissio in instanti consummatur haud secus, quam diaphani illustratio, quoniam similiter nulla resistentia inuenitur seu in obiecto, seu in medio recipiente. Si quis autem interroget, quam ratione lux, & lumen uideri possint, respondendum erit, lucem, quatenus reperitur in corpore lucido, illud semper uisibile reddere. impossibile enim est, id, quod potest reddere actu uisibilia ea, quæ potentia uisibilia sunt, seu omnino inuisibile esse, seu alterius uirtute actu uisibile fieri. Et hæc quidem ueritatem continent, siue corpus ex interna uirtute sit luminosum, ut Sol, siue ex uirtute externa, ut Luna, & siue illius lux sit ualde intensa, siue admodum remissa. licet enim lucis maior, seu minor intensio reddat corpus magis, seu minus conspicuum, necnon magis, seu minus efficax ad illuminandum: nihilominus quælibet lux ex propria uirtute actu uisibilis, & actu etiam uidetur, dum distantia non excedit. Itaque illa, quæ intensius lucent, non tantum uidentur absque alterius luminis accessu, sed etiam ex luminum clariorum effusione cetera potentia uisibilia reddunt uisibilia actu. quæ uero lucent minus intense, actu quidem uisibilia sunt, neque

alterius illustrantis exquirunt uirtutem, sed alia, remotioraq. præfertim, actu uisibilia reddere non possunt. horum etiam nonnulla manifeste lucent, ac splendent, ut stellæ alicuius magnitudinis; nonnulla uero quoniam seu minus lucida sunt, seu ob corporis paruitatem minus apparent, nullum splendorem emittunt, sed albedinis speciem tantummodo referunt, ut puta astra constituenta albescentem cæli Zonam, quæ uix lacteæ uocem adeptæ est. ratio autem, ob quam interdiu astrorum aspectus nobis amouetur, sumenda est non ex intensioris lucis uirtute, quæ minus intensas inuisibiles reddat, sed ex luminis abundantia, qua uidentium oculi replentur. rem uere ita se habere certo experimento confirmatur. si quis enim constitutus in profunda aliqua cauea, seu in imo altioris turris intueatur cælum ex superiori parte, huic cetera tenebrosa, & stellæ conspicuæ videbuntur. quod nullo modo fieri posset, si solaris lux astra inuisibilia redderet. præterea astra noctu non minus illuminantur a sole, quam interdiu. quapropter, si solaris lux illarum lucem obtenderet, tam noctu, quam interdiu nos subterfugerent. rationi etiam omnino dissonum est, id, quod est in causa, ut cetera, quæ potentia tantum sunt uisibilia, fiant uisibilia actu, ab illis, uisibilitatem amouere, quæ ex interna ui actu uisibilia sunt. Quod uero attinet ad lucis effusionem, quæ, quatenus alia uisibilia reddere possit, luminis uocem sortita est, dicendum uidetur, eam non primo, sed consequenter uisibilem esse, ex eo scilicet, quod alia actu uisibilia reddit. quapropter, dum nullum uisibile intuemur, luminis vim non percipimus. hoc experiuntur constituti in caueis, seu turribus profundioribus. nam solare lumen interdiu non percipiunt, licet fortasse per fenestram ita ingrediatur, ut egrediatur per fenestram e regione positam absque ulla radiorum refractione. Hæc uero docere nos possunt, lumen esse ex numero eorum, quæ per se quidem operantur, & sunt, sed non in se.

Utrum autem medij, ut est medium, perceptio uidentis sensui uere aptetur, an uirtuti præstantiori, quæ percipit quantitatem, numerum, figuram, motum, ac quietem tamquam propria obiecta, non absque ratione dubitari posset: medium siquidem, ut est medium, distantiam continet, & ad quantitatem pertinere uidetur; at patet, hanc uideri ab animalibus, licet careant sensibus, visu præstantioribus. properant enim ad escas distantes visu perceptas, proximis uero insistant. quod in illis distantia, ac spatiorum perceptionem manifeste

festè conuincit. quapropter (ni fallimur) dicendum erit, distantiam tam sensui præstantiori, quam uisui aptari posse, sed non eadem ratione. Ut est quantitas, seu mensura, uisus limites excedet, & sensui præstantiori est percipienda. ut uisibilium aspectum immutat, uisui tribuenda est. tunc enim illius uisio reipsa non differt ab illorum uisione, quæ primo uisibilia sunt, sed ratione tantum, ex eo scilicet, quod constituentur inter uidentem, & certum uisibile magis remotum. rem ita se habere, ex eo coniectare licet, quoniam, qui unicum tantum uisibile intuentur, illius distantiam non percipiunt, ut puta, si quis per angustum foramen uisibile e regione positum intueatur: tunc siquidem illud, licet ualde remotum, tamquam foraminis ori assistens intuebitur. Quoniam autem idem sæpius uisibilis, ac medij munia sustinet, ut puta dum per aquam, quam aere median te intuemur, lapillos aspiciamus: tunc dicendum, hoc obiectum, ut est uisibile, per se uideri; quatenus uero medij munia sustinet, uideri per accidens, quoniam scilicet illi accidit, esse per se uisibile. In aspectu etiam eorum, quæ per plura media uidentur, facile decipimur, quoniam id, quod uisibile tantum est, ut puta, lapilli, ex medij aspectu, quod etiam ut uisibile obijcitur, afficitur, ac immutatur, neque proprium obiectum pure obijcere potest. linea etiam, quæ ab eo ad oculum tendit, (ut ex prospectiua patet) ob medij mutationem ulterius recte procedere non potest, sed necessario deflectitur seu a centro ad circumferentiam, seu a circumferentia ad centrum.

Executiua potentia uisui, uidentiq. appetitui seruiens, (ut ex superioribus patet) accipienda est ex ratione perfectiori membrorum agitandorum, & circumuoluendorum. hæc satis aperta est in animalibus, quorum præstantior perceptio ex uisu oritur, quem ordinem ingredi uidentur ranæ, ac reliqua, quæ ranarum naturam utrumque referunt. nam uidentis uis in illis manifestissima est, & perfecta deprehenditur. facile etiam coniectatur, talia carere ceteris sentiendi uirtutibus uisu præstantioribus, cum nulla præstantiorum affectuum uis in eis appareat. patet autem, animalia, quæ præstantioribus sensibus prædita sunt, nobilioribus etiam affectibus insigniri, & ex nobilioribus delectari. Et hæc quidem ex dicendis clarius apparebunt.

*De sensus communis differentijs, affectibus, ac exequendi potentijs, necnon de animalibus ab his constitutis.*  
Cap. XII.



**S**ENSVVM exteriorum actus, actuumque differentia sensibiles sunt. quaedam etiam tangibilibus, ac uisibilibus indissolubiler annectuntur, ut puta, quantitas, numerus, figura, motus, & quies, quae neque a uisu, neque a tactu percipi possunt: genere enim a tangibilibus, ac uisibilibus qualitatibus diuersa sunt, & in primo spiritualitatis gradu similiter constituta. Itaque ad eandem potentiam pertinere non possunt. Non dissimili ratione asserendum est, exteriorum sensuum nullum proprios actus, seu priorum actuum differentias percipere, se scilicet sentire, & aliter a calido affici, aliter a dulci, & aliter ab amaro, aliterq. a singulis odoribus, sonorum, colorumq. speciebus. Recte igitur sanciri potest, haec omnia sensui alicui praestantiori demandanda esse. in dubium tamen reuocandum est, an cuncta unico sensui obijciantur, seu potius sensationes, sensationumq. differentia ab uno, ea autem, quae sensibilia communia appellari solent, ab alio sensu percipiantur. conuincimur, posteriorem sententiam amplectendam esse tum ob obiectorum distinctionem genericam, ex qua (ut dictum est) deducitur potentiarum diuersitas, tum etiam quoniam somniantes (ut suo loco patebit) uersantur quidem circa sensibilia communia, sed sensationes non attingunt, ex quo omnis illorum deceptio oritur. idem ualidius confirmari poterit his animaduersionibus, quae pertinent ad horum sensuum actus, & organa. Equidem actus diuersi sunt. nam, dum percipiuntur sensibilia communia, sensus uis dirigitur ad externa, quae percipiuntur non ab oculo, sed per oculum quasi medij partes sustentem. perducuntur enim ad organum magis internum, cuius munus est, species per oculum delatas reddere firmiores, ac magis uiuidas, ut, quae illis communiter copulantur, appareant sentienti uirtuti magis internae. at, dum percipiuntur exteriorum sensuum sensationes, nihil externum attingitur, sed concipiuntur tantummodo actuum interiorum uires, uiriumq. differentia. Tunc igitur organum partes erunt, has uires recipere, ac sentienti uirtuti obijcere. quae omnia a superioribus quam maxime differunt.

Quod uero ad organa pertinet, conspicuum est, in communium sensibilium perceptione requiri uim temperamenti frigidi, cui rari-

tas

tas aliqua annectatur, ne omnino discrepet a temperamento oculi, per quem deferuntur spiritualiter tamquam per medium. in sensationum uero perceptione desideratur temperamentum summe calidum, & summe densum, cui ministrent tamquam deferentes spiritus, quorum uirtute sensus exteriores propria obiecta percipiunt. sicuti enim alia deuentia dari non possunt, ita datis his deuentibus, organi summa caliditas, & summa densitas admittenda est.

Dissimile uero non est, eosdem spiritus, quatenus deferunt animae uim ad organa sensuum particularium, parere sensus particulares, & quatenus copulantur cordi, deferuire sensui communi. his omnibus res ipsa satis aperte consentit. nam perceptio sensibilium communium consummatur in prima, ac inferiori cerebri parte. Sensationum uero differentia percipiuntur uirtute cordis, seu illius, quod cordi proportionem respondet.

Cor, ac cordi proportionale, ut patet, coniungunt mira quadam ratione summam caliditatem, ac densitudinem, ut carnositas aptari possunt. Cerebrum uero longe fortasse admirabilius summam frigiditatem summam raritatem associat. summa cordis densitas terream illius substantiam arguit. eiusdem summa caliditas igneam naturam demonstrat. utriusque consensus, ac copulatio uim omnium qualitatum corporearum, quae a sensibus exterioribus percipi solent, complectuntur, simulq. symbolum illud constituunt, cuius aequilibrium respicit singulas has qualitates, & a singulis recedit, ideoque unamquamq. spiritualiter recipere, ac uirtuti sentiendi obijcere potest.

Summa cerebri frigiditas aquei in terreo excessu demonstrat. summa eiusdem raritas frigiditati consentiens, aereae humiditatis, ac caliditatis uim arguit. horum omnium consensus conuincit, cerebri spiritalem essendi modum, ut consistentibus licet, uere amulari, & specierum summe spiritualium receptioni, ac retentioni aptissimum esse. Itaque cerebrum decentissima organa praebet non tantum huic sensui, quem communem superiorem appellabimus, sed etiam phantasiae, ac ceteris sensibus praestantioribus, non tamen respectu eiusdem partis, sed respectu partium diuersarum, quae varias formationes, ac collocationes obtinere, & subtilioris, ac minus subtilis temperamenti sunt. ex quibus factum est, ut spiritus ad eas deducti pro perfectiori illarum gradu reddantur puriores, fortiores, ac decentiori representandi uirtute praediti. His duobus sensibus, quorum alterum in corde, alterum in cerebri parte inferiori, simulq. anteriori,

anteriori, & crassiori exerceri diximus, commune est, obiectorum corporeorum præsentiam exquirere, neque aliquod absens percipere posse. quapropter medium quodammodo inter interiores, ac exteriores sensus obtinent locum. Illorum etiam utriusque sensus communis vox recte aptari potest, licet non eadem ratione. nam, qui in corde exercetur, ideo communis vocem assumit, quoniam omnium sensuum exteriorum sensationes, & actus cognoscit. qui vero constituitur in cerebro anteriori, ac infimiori, communis dicens est, quoniam sensibilia omnia percipit.

• Prior in somno nullam apparentem sensationem, quæ oriatur seu ex odoratu, seu ex auditu, seu ex visu, exercere potest. nam, ut dictum est, in somno spirituum puriorum cursus interrumpitur, nec per eos sensibilibus species ad cor peruenire possunt. quapropter hic sensus tunc deuincitur non quidem primo ut visus, auditus, & olfactus, sed consequenter.

• Sensus communis, qui est in cerebro, in somno non deuincitur, sicuti neque præstantiores sensus. destituuntur tamen animali directione ob eandem puriorum spirituum interruptionem, ut ceteri sensus omnes.

• Affectus deseruientes his sensibus interioribus versari non poterunt circa obiecta eorundem sensibus interna. nam affectibus omnibus essentialiter conuenit, proprios actus non ad interna, ut sensus, sed ad externa dirigere, cum in horum usu consistat tam proprium, quam totius animalis bonum. Horum autem sensuum obiecta vere interna sunt, licet absque externorum præsentia non attingantur. affectuum tamen, & sensuum obiecta, quatenus realiter, ac omnino conuenire non possint, ex aliqua tamen seu proportione, seu similitudine sibi inuicem ex necessitate respondent, ut affectus sentientibus virtutibus vere deseruire valeant, illisq. decenter adherere. Tales igitur affectus respicient externos motus, quietes, & cetera, quæ horum unicuique adiungi solent. hæc enim externa summe consona sunt spiritalibus sensationum exteriorum motibus, qui cordis virtute percipiuntur, neque vlla ratione discrepant a motibus, motuumq. vacationibus, quas percipit prior cerebri sensus vna cum figura, magnitudine, & numero, quæ ad eosdem motus essentialiter pertinent. cordis tamen uis priori quadam ratione uersari uidentur circa ipsiusmet sentientis motus; cerebri uero affectus insperari alienos motus. Vtriusque commune est, attendere motum, ut

motus

motus est, nulla ratione habita eorum, quæ motum consequuntur, nam & horum sensuum perceptio cessat amota sensatione sensuum exteriorum.

Prioris igitur affectus finis constituetur in externi motus usu libero, neque ulla ex parte perturbato. posterioris uero in libera, nullaq. ex parte perturbata alieni motus sensatione. Huic igitur affectui proprium est, motum, ut est motus, appetere. quod imperfectioribus non conuenit. quamuis enim quidam illorum ad motum impellant, nullus tamen motum appetit, ut est motus, sed quatenus ad eas perducit. Itaque, dum eas sunt prope, non mouentur.

Accidentaliter igitur motus ab illis exoptatur, quoniam scilicet accidit, ut cibi longius distent. at affectus, de quo nunc est sermo, nihil præter motum exquirat, ad quem tamen longe præstantiori ratione impellit, dum præstantioribus affectibus accedentibus illustrior redditur. tunc enim & uolandi, & saliendi motus ad decentissimam consummationem deducit, ad quorum nullum præstantioribus destitutus perducere potest.

Sicuti autem huius affectus uis motum respicit, ut est motus, ita ex motu delectatur, in quo etiam tunc conuiescit, cum nullum ad est impedimentum, neque ulla perturbatio timetur, seu imminet.

Ad harum affectionum pacem horum utrumque desideratur, quoniam se inuicem prouocare uidentur. Itaque alijs psallentibus iuniores prouocantur ad saltationes, & uisa uia aliqua pulcherrima ex solo intuitu non acquiescunt, sed exoptant etiam per illam deambulare, seu currere, summeq. afficiuntur tam ex impedimentis, quæ intuitum amouent, quam ex perturbationibus, quæ motibus aduersentur. Sicuti autem horum affectuum oblectatio ea purior est, quæ exteriorum sensuum affectibus conuenit, ita iure optimo digniorem denominationem obtinuit. illi enim exhilarationis, seu delectationis potius, quam uoluptatis uoces uidentur aptari.

Idem discrimen conuenit appetendi modis. Itaque horum affectuum propensio neque irruptionem, neque summam peruicaciam retinere solet, sed uere omnem moram abominatur, & eam, licet minimam, uix ferre potest. quod tamen imperfectiori magis est proprium.

Exequendi uirtutes his affectibus deseruientes, illis motibus ministrabunt, qui a talibus affectibus expectantur. his respectu aliquorum animalium nulla externa instrumenta aptantur. quidam pin-

narum,



narum, quidam quattuor pedum, adiumenta exposcunt. serpentes siquidem, quorum plurimi ad hunc ordinem pertinere uidentur, pedibus, ac pinnis carent. hi tamen proprium motum decentissime exercere possunt. nam illorum corpus oblongum ita deflectunt, ut duobus sinibus, altero a dextera, altero a sinistra confectis, alijsq. duobus inchoatis, hisq. assidue commutatis, velocissime procedere soleant. consistunt enim quattuor notis, quæ pedum munia obeunt. Pisces, quorum pars maxima ad eundem ordinem (ut existimamus) deducenda est, pinnas habent, quæ ut in pluribus, sunt quattuor. in anguillis autem, & in alijs, quorum motus est tardior, duæ tantum. his adiungitur cauda, qua utuntur quasi gubernaculo ad incessuum firmiorem directionem. Mures, & cetera animalia terrestria, quæ murium naturam retinent, vel parum excedunt, habent quattuor pedes. hæc his sensibus manifeste sunt prædita, & perfectioribus destituta.

Primum confirmatur ex ludis, qui motu, circumagitationibus, cursitationibusq. varijs, a muribus, a piscibus, & a serpentibus exerceri solent. Secundum ex eorundem ortu tute (ni fallimur) coniectatur. nam, cum animalium quædã semper generentur ex putri materia, quædam ex concubitu semper oriantur, & quædam utramque rationem admittant, ita tamen, ut prima exordia sumantur ex putridine materie: rationi consonum est, horum vnumquodque certos formarum gradus arguere. Itaque cum satis apertum sit, ea, quæ semper generantur ex putri materia, tactus, seu gustus virtutes non excedere, illa, quæ semper generantur ex concubitu, perfecta appellari posse, & phantasiæ sensu insigniri: assentiendum uidetur, animalia, quorum exordia sumuntur a putri materia, his vere imperfectiora esse, ideoque destitui ea sentiendi virtute, qua perfectiora carere non possunt, ipsa scilicet phantasia. Neque vero dubitationem afferre debet ratio accepta seu a partu viui, cui somniandi virtus censetur adiungi, seu a nidorum constitutione, quasi in ea vis phantasiæ insit. nam somniandi vis tunc tantummodo adest parientibus viuum animal, cum talis ortus illis quoque necessario conuenit, neque ex putri materia generari possunt. Nidorum vero constitutio nihil concludit, tum quoniam talis nidi certa forma carent, tum etiam, quoniam apes, & alia imperfectiora, quæ visu, ac auditu carent, sibi sedes constituunt, & plura huiusmodi agunt, quæ communis Naturæ instinctui necessario ascribenda sunt. iam enim constitutum est, hunc ea ratione con-

comitari

comitari imperfectiora, quæ perfectorum sensuum, ac ipsius rationis vim æmulentur. Secernendi igitur erunt ab hoc animalium ordine pisces, qui absque concubitu non generantur. nam phantasia etiam præditi sunt. pisces vero, quos in hunc ordinem asciscendos existimamus, non admittunt differentiam sexus. quod aliquam admirationem fortasse afferre posset, cum huiusmodi differentia in ceteris longe imperfectioribus reperiantur, nisi recte censeretur, id oriri ex acumine aquarum huius ordinis, & marinarum præsertim. nam tale acumen masculi munia sustinet. hanc ob causam carent membro genitali, & testibus. quod tamen omnibus animalibus ouiparis, quæ non incubant, nec pedes habent, commune est. asseritur etiam, inter animalia, quæ perfectiorem ordinem ingrediuntur, aliqua femininum sexum tantummodo continere, hæcque vento spirante concipere, ideoque subactanea appellari. Quamuis autem Natura constitutum sit, ut in quibusdam nulla sexus differentia appareat, quædam utrumque sexum contineant, quædam femininum tantum; nullam tamen ex solius masculini sexus virtute propagationem protendere possunt. mari enim essentialiter conuenit, semen iniicere, ideoque illi impossibile est, absque femina generationem complere. Pisces huius ordinis dum generantur ex propagatione, oriuntur ex ouis, & quamcelerrime perficiuntur. pariunt autem ut plurimum semel in anno. pars maior mensibus Martio, Aprili, ac Maio. aliqui Autumni tempore, ut puta Salpa, Sargus, Torpedo, Spatina, & alij nonnulli. quidam Hieme vigente, ut Magilis, & Apis. dantur etiam nonnulli, qui pariunt bis in anno, ut Lupus, Scorpio, Sargus, Sardæ, & saxatiles. Mulus vero tertium partum adiungit. Inter cartilaginea etiam Quatila bis parit. ex Mustellorum autem genere, quæ Stellata vocantur, bis in mense videntur parere. quod tamen ideo euenit, quoniam illorum oua simul non perficiuntur. his, ac ceteris animalibus omnibus, quæ neque ex partu viua oriuntur, neque ex ouo per incubatum, commune est, nulla parentum cura educari, sed solius Naturæ moderamine perfici. Mures, ac cetera, quæ ad eundem ordinem deduci possunt, summe fecunda sunt. nam in utero facile formantur, & quamcitissime, ideoque & plures filios pariunt, & sæpius, neque certum generandi tempus exquirunt. idem conuenit lepori, cuniculo, & ceteris huiusmodi animalibus, quæ media censerentur inter hunc, & præstantiorem animalium ordinem.

Ccc

Dx

*De phantasia sensu, deq. illius appetitu, ac exequendi virtute, necnon de animalibus, quæ ab illis constituuntur. Cap. XIII.*



**R**OST sensus communes ad perfectiora procedentibus occurrit phantasia sensus. hic inter sensus absolute corporea respicientes summum dignitatis obtinet locum. nam, obiectis externis omnino remotis, illorum species retinet, easdem varie disiungere, componere, ac immutare potest, simulq. nouas formas, ac imagines obijcere. quod summam respectu eorum, quæ sunt absolute corporea, potestatem constituit.

Spiritus phantasia vim afferentes, magnam depurationem exposcunt, eam scilicet quæ deducitur non tantum ex instrumenti temperamento puriori, sed exposcit præterea depurationem, ac constitutionem sæpius repetitas, vt spiritus redditi summe puri, ac fortes, longe firmiores, ac ad singula obijcienda apti, ac firmi inueniantur: hoc sensuum perfecte interiorum spiritibus vere tribuitur. primo enim depurantur in organis sensuum exteriorum, postmodum exacuuntur ab organo sensus communis in cerebro constituti. demum ab ipsorum sensuum perfecte interiorum organis plenius, ac plenius depurantur, ac illustrantur. Itaque ex perfectissimi organi virtute summam consummationem adipiscentes intellectualis virtutis actus excitant, ac concomitantur, quo nihil diuinius ex communi Naturæ ordine a corporeis expeti potest. Et hæc in solo homine locum habent. Ipsa vero phantasia ideo fortasse sensibilibus species retentionem, ac internam repetitionem, & immutationem primo exercere potest, quoniam cerebri ventriculi illi deseruientes constituuntur in anteriori capitis parte; insistentesq. ventriculis sensus communis attingunt partem capitis superiorem. Sicuti igitur sensibiles species ad supremum delatæ necessario constipantur, colliguntur, ac longe firmiorem mansionem adipiscuntur, ita animæ vis, animali animalem directionem libere exercente, eas libere inuuetur siue ex toto, siue ex parte, seu ut associantur, seu vt diuiduntur. Obiectum affectus phantasia deseruientis necessario externum est, & internis phantasia perceptionibus, ac motibus proportionale. diximus enim sensuum interiorum affectus externa respicere, quatenus interiorum naturam referunt. talia sunt corporea omnia, quatenus diuidi, copulari, fecerni, commisceri, seu alia ratione ex-

terne,

terne, seu interne immutari possunt. Eiusdem igitur appetitus finis, seu scopus erit, certas copulationes, disiunctiones, ac immutationes, prout lubet, seu inducere, seu amouere. Exhilaratio, & tristitia sumendæ erunt ex libera earundem prosecutione, seu declinatione: Quies ex consummatione horum, prout expetuntur, præsertim si ruinæ nullus sit timor; Angor ex eorundem ruina, seu opposita copulatione, præsertim si nulla corrigendi sit spes. Hæc vero exhilaratio neque voluptas, neque animi exhilaratio dicenda erit, sed delectationis vocem proprii ratione recipiet.

Prosequendi modus huic affectioni proprius (vt videtur) sumendus est ex magna promptitudine, ac perseuerantia in prosecutione eorum, quæ incepta sunt, cui animi etiam anxietas, & sollicitudo accedant. hæc vero anxietas, ac sollicitudo ideo huic affectui est propria, quoniam ea, quæ externe agenda sunt, assiduum phantasia cognoscentis vsu exposcunt. singula namq. ex internæ conceptionis imagine moderari debemus. Spiritus igitur huic cognitioni deseruientes a corde ad phantasia organum hac ex parte necessario tollendi sunt, & in eodem organo colligendi. at appetitus, cui sentientis virtutis organum commune est, quiq. ad externa propensus, eisdem spiritus ad proprium fontem, simulq. ad externa repellit. motus siquidem ad externa ibi inchoandus est, vbi desinit motus ad interna, & sensus perceptio consummatur. Quamuis igitur etiam absque vlla perturbatione spiritus ab affectu quandoque repelli possint, nihilominus, nisi summa temperantia adhibeatur, hæc spirituum attractiones, ac repulsionem animum ad anxietatem, & sollicitudinem deducere solent. nam affectus ad externa impellens, sensuiq. interne colligenti obtemperans, ea ratione proprii muneris curam gerit, vt sensus iussiones quodammodo extorqueat. quod (vt videtur) nihil aliud est, quam anxietatem, ac sollicitudinem afferre.

Quod attinet ad exequendi virtutem huic affectioni deseruientem, ex dictis colligere licet, illius munus esse, corporeorum copulationes, disiunctionesq. actu perficere. Itaque pro animalium natura illius organum diuersum erit. nam quædam his incumbunt ore, quædam pedibus, quædam manu, externorum etiam auxilio fortasse assumpto, quod homini propriissimum est. In ipsis vero animalibus phantasia præditis non pauca ea ratione perficiuntur, vt ex præstantiorum sensuum adiectione parum incrementi videantur admittere. huiusmodi sunt motus, (seu alis, ac volatu, seu pedibus,

Ccc ij incesu,

incessu, ac saltu exerceantur) & generandi ratio. Volatui ministrant duæ alæ, quibus adduntur totidem pedes, vt incessus terrestris exerceri possit, atque natatio. ijdem volatui quoque vsui sunt. nam ad posteriorem partem deducti, volatus directionem reddunt faciliorem, licet id caudæ præcipue conueniat. has partes aues omnes phantasia præditæ obtinere, excepta auicula, quæ pedibus caret, ideoq. apes appellata est.

Incessus, ac saltationes ab his animalibus exercentur quattuor pedibus. omnia enim quadrupedia sunt, neque terrestria solum, sed ea etiam, quæ, cum sub aquis præcipue degant, ad emergentes terras accedunt. ab his homo solus excipitur, qui sicuti ob intellectuales virtutis vim excellit cuncta animalia, ita in alijs prærogatiua aliqua insignitus est, & singulariter est bipes, atque ea ratione, vt, licet illius crura respectu situs, posteriora animalium crura videantur imitari, nihilominus ex inflexione imitantur anteriora. quod auibus, quæ bipedes sunt, nullo modo conuenit. auium enim pedes quadrupedum posteriores pedes ( quantum ad inflexionem attinet ) imitantur: alæ quippe anterioribus pedibus proportionem respondent. at hominis brachia, & manus quamuis, dum homo currit, seu vehementius motui incumbit, non parum adiumenti conferant, & in natatione sint necessariae, illis tamen aptantur munia longe præstantiora, artium scilicet vsus, & ceterorum plurimorum, ideoque per accidens omnino motui inserviunt. Quod ad generandi rationem attinet, hæc animalia ex solo concubitu generari videntur: semper simile pariunt, siue immediate, siue ex ouo per incubatum; & filiorum sollicitudine per aliquod tempus summe afficiuntur. Masculis eorum, quæ immediate simile, ac viuum pariunt, semper testes, ac membrum genitale tribuuntur. quod etiam inter ouipara incubantia structionibus euenit. ceteræ aues incubantes testes tantum habent, & interne. Animalia phantasia prædita, ac perfectiora, vt par est, difficilius formari possunt. aues tamen aliquanto facilius, quam viuipara. in vtroque etiam ordine plures differentiae dantur, quarum causæ sunt maior, ac minor animalis magnitudo, perfectiorque, ac imperfectior formatio, ac temperamentum. ad idem etiam facit sexuum discrimen. masculus enim, licet perfectior, facilius generatur, quam femina. nam internus illius calor acutior celerius concoquit, & celerius opus perficit.

Inter aues passeræ, & aliæ auiculæ similis magnitudinis incubant

per

per duas hebdomadas, & attingunt tertiam. nam decima quinta die ouis egredi solent. Quæ mediam magnitudinem sortitæ sunt, vt puta, coruus, gallina, accipitres, columbi, diebus vt plurimum viginti duobus: complent enim tres hebdomadas, & attingunt quartam. Maiores, vt aquilæ, & anseres, & ceteræ, quæ his magnitudine videntur pares, complent quattuor hebdomadas, & attingunt quintam: incubant quippe diebus viginti octo.

Aues omnes maioris, ac minoris magnitudinis vt plurimum semel in anno parere solent, & veris tempore. Inter maiores tamen gallinæ, quas Indicas vocant, & quæ domesticæ sunt, sæpius pariunt. Inter minores hirundo, & merula bis partus edunt: prior vero merulæ partus ob frigus ( prima namq. inter aues parit ) frequentissime deperit. Aues mediæ magnitudinis, quatenus sunt domesticæ, sæpius in anno pariunt, vt gallinæ, & columbæ, quæ quam maxime feraces sunt: singulis enim mensibus parere solent, præsertim si loca sint aprica, & cibus abundant. quatenus vero non sunt domesticæ, vt plurimum semel in anno pariunt. illæ tamen excipiuntur, quæ transuolare, ac regionem mutare solent: hæc namq. sæpius fetificant.

Inter animalia viuipara, quæ semper oriuntur ex concubitu, vrsa, quæ filios admodum informes, ac plures parit, triginta tantum diebus, vt dicitur, fert vterum: canes autem, lupi, & feles diebus sexaginta tribus. hæc etiam plura pariunt.

Sues, quæ similiter plures filios pariunt, per menses quattuor vterum gerunt: oues, & capræ mensibus quinq. hæc vnum pariunt, quandoq. duos. Hæc omnia animalia bis in anno parere possunt, quod sæpius etiam euenit. Ceruæ mensibus octo. hæc similiter vnum vt plurimum pariunt, duos vero quandoque. Boues nouem mensibus vterum ferunt, decimo pariunt, vnum vt plurimum edunt, quandoq. binos. Idem homini conuenit. mulier tamen, ( licet rarissime ) binarium numerum excedit. Delphinus quoque per menses decem vterum fert. Equæ, & asinæ, quæ vnum pariunt, mensibus vndecim grauidæ sunt, duodecimo pariunt. equæ tamen gestatio breuior videtur. Cameli mensibus duodecim secundum aliquos; alij dicunt decem tantummodo. Elephantes per biennium: quidam tamen spatium hoc diminuunt, quidam vero ad triennium perducunt. & harum quidem sententiarum diuersitas ex eo processit, quoniam horum animalium coitus non patet.

Animalia

Animalia phantasia insignita, memoria autem, ac ceteris præstantioribus destituta, ( vt videtur ) sunt anseres, anates, & volucres plures, necnon ipsæ oues. horum animalium phantasia satis aperta est, nam somniare solent, quod phantasiæ sensum conuincit; & numquam generantur ex putribus. quod idem demonstrat. hæc vero ad memoriæ sensum non perducitur, ex eo coniectare licet, quoniam ut plurimum gregatilia sunt, & si forte ab alijs segregentur, ad propria loca reuerti nesciunt; quæ stoliditatem conuincunt. Idem circa transmigrantes sentiendum videtur: arguitur enim his certam potius aeris temperiem, quam proprias sedes cordi esse. eandem sententiam confirmat prompta eorum imitatio, quæ agitur ab alijs eiusdem speciei. nam vnica anser, vel oue incedente reliquæ omnes seu anseres, seu oues illam quam stupidissime sequuntur. Neque vero ab hac sententia recedendum est ob nonnullas eorundem animalium operationes, quæ memoriæ videntur arguere: ex superioribus namq. admonemur, animalia plura agere ex folius Naturæ communis instinctu. Nouimus etiam, formicas, & apes, quæ non tantum memoriæ, phantasiæ, sensuq. communi carent, sed uisu etiã ac auditu, longe admirabiliora agerent.

Ipsa etiam methodus diuidendi, ac rerum species constituendi conuincit, aliqua animalia admittenda esse, quæ phantasia sint prædita, & memoria destituta. nam species ad speciem se habet, sicuti numerus ad numerum. quapropter perfectiores generabilium, ac corruptibilium species vnico sentiendi gradu adiuncto, inuicem distinguuntur, haud secus, quam numerus ex unitatis adiectione distinguatur a seipso, & nouam essendi formam adipiscatur.

*De ijs, quæ ad pleniorẽ dictorum animalium doctrinam præterea explicanda sunt, & primo de Insomnijs. Cap. XIII.*



ANIMALIBVS, quæ a phantasiæ sensu constituuntur, primo conuenit somniare. eadem ex maris, & feminæ concubitu concipiuntur, ac seu per oua, seu in matris utero oriuntur uiua, ac parentibus cognata. Igitur ut horum doctrina sit plenior, somniorum rationes pro viribus explicabimus. aliqua etiam adijciemus, quæ utcumque demonstrare possunt principia, ac formationem fetus in materno utero constituti, necnon partes, ex quibus constant animalia perfectiora.

Et

Et hæc quidem nos facile perducere poterunt ad conceptum eorum, quæ pertinent ad auium generationem ex ouo per incubatum, quam etiam antiquiores diligentius demonstrare conati sunt.

Vt somniorum rationes plenius attingi possint, præcipue statuedum videtur, rerum sensibilibus species plures in phantasia retineri, hasq. animali dormiente sæpe ab illa deferri ad sensuum exteriorum organa, quæ in somno ob adhæsiõnem spirituum frigidiorum a parte exteriori clausa, ac constipata reperiuntur, a parte vero interiori, ac calidiori aperta, ac libera. Itaque respectu phantasiæ speculorum munia exercere possunt, purioribus præsertim spiritibus hærentibus, medijsq. partibus sustinentibus. Ipsa igitur phantasia omni animali directione tunc destituta, excitatur ab his tamquam a veris, ac realibus sensationibus, sicq. decepta ad proprium imaginandi actum vere perducitur. Excitat igitur, ac format alias sensibilibus imagines, quæ receptis magis consentiunt. his vero ad sensuum organa similiter delatis, ac ad eandem phantasiam tamquam a speculis rursus perductis, phantasiæ motus vehementior, ac firmior redditur, somniaq. pluribus rationibus firmantur, & extenduntur, præsertim si, ut par est, huiusmodi simulacra delectabile quid, seu contristabile complectantur, & ad prosecutionem, seu declinationem impellant. tunc enim dũ plurima imperantur, & apparenter aguntur, consequenti quadã ratione plurima simulacra formantur, quæ visiones diutius protrahere possunt, ac pluribus rationibus deflectere. nam & vigilantes dum certum aliquod fortius imaginantur, ad plura alia, quæ huic annecti possunt, seu possent, absque vlla electione, seu directione phantasiam deflectunt. Ea, quæ mouent dormientium sensus, in sensuum exteriorum organa, ut suspicari quis posset, non detinentur: hoc enim admissio, semper eandem perceptionem inducerent, ideoq. dormientes semper somniarent, neque illi, qui aliquando visus habuere, & cæci sunt, de coloribus somniare possent. quorum vnumquodque apertam falsitatem continet. Quærentibus autem, cur vna potius, quam alia species a phantasia transmitti soleat ad sensuum organa: respondendum erit, eas imagines præcipue excitari, quæ in ipsa phantasia firmiores, ac fortiores sunt. Quapropter circa ea somniare solemus, quæ vigilantes recentius tractauimus, necnon circa ea, quæ maxime nobis cordi sunt. quæuis enim vel minima horum delineatio ita phantasiam excitat, ut totam rei, ac personæ imaginem sibi ipsi formet, ac alia plurima sibi obijciat,

obijciat, prout affectio vrget. ad idem conducunt variæ sensibilibium naturæ, ac imprimendi vires. ex his euenit, vt imagines, quæ ad visum pertinent, facilius excitentur, quam illæ, quæ ad auditum, seu ad tactum pertinent. hæc vero excedunt vim illorum, quæ mouent seu gustum, seu odoratum. Visibilibium vis oritur tam ex natura visibilibium, quibus essentialiter conuenit perfectissimam obiectionem admittere, ideoq. depingi possunt, quod ceterorum nulli datum est: quam ex imprimendi modo, nam vehementer afficere solent.

Soni, quantum ad imaginum obiectionem attinet, secundum locum obtinere. quantum vero ad afficiendi modum, tangibilibium plurima primas partes adepta sunt. Igitur vt in pluribus somnia incipiunt ab aliqua imagine visibilibium, & numquam ab his recedunt. nonnulla a tangibili initium sumunt. aliqua ab auditu, paucissima a gustu, nulla ab odoratu. odorum enim imagines, seu species infirme recipiuntur, ideoque somnia rarissime ad odores extenduntur. quod si ad eos perducantur, animal statim expergiscitur. nam, sicuti somnus olfactui primo conuenit, & illius deuinctio somni profunditatem arguit, ita illius excitatio facilius ad vigiliam reuocare potest. Simulacrorum, quæ somnijs prima exordia præbent, aliæ etiam rationes colligi possunt ex corporis dispositione, ac statu. nam phantasia præest non tantum exterioribus sensibus, sed etiam imperfectissimo Naturæ sensui, ideoque percipit ea, quæ hunc sensum mouent, haud secus, quam ea, quæ sensuum exteriorum organis utcumque obijciuntur. hinc animal dormiens si prematur aliqua corporali necessitate, phantasia obijcit horum simulacra, sensibilemque talium tum affectionum, tum actuum comprehensionem apparenter inducit. eandem ob causam illi, quibus dulce flegma a capite per dentes distillat, somniant, se mel degustare: colericis ignea forma, ac uis obijcitur, & flegmaticis aquea. Imagines uero a phantasia ad sensuum organa extensæ, & a sensuum organis ad eandem phantasiam reuertentes, quammaxime immutari solent tam in accessu ad organa, quam in reuersione ad phantasiam, sæpe etiam adaugeri, diminui, dirumpi, ac copulari: animales namque spiritus, a quibus recipiuntur, & reflectuntur, non omnino quiescunt, sed ob frigidiorum, crassiorumque spirituum irruptiones sæpius exagitantur, ac perturbantur. Itaque id his imaginibus accidit, quod imaginibus ab aqua receptis euenire solet, si aqua aliquo modo moueatur. hinc ortum ducunt simulacra inusitata, nouamque speciem.

ciem assidue recipientia, quæ somniantibus obijci solent. nonnumquam tamen, licet simulacra quammaxime immutentur, somnians hæc tamquam eiusdem rei propria inspicit. quod eo facilius euenit, quoniam, quamuis somnians memoria præditus sit, illius tamen uis in somno est summe infirma. Itaque senes sæpe se, tamquam iuuenes iuventur, ac vt iuuenes agunt: numquam tamen videtur euenire, vt iuuenis somniet, se senem esse: eademque deceptio accidit circa personam, munus, ac reliqua omnia, tum respectu sui, tum respectu aliorum, & aliæ quamplurimæ, quas diligentius enumerare, simul & inutile, & impossibile est. Silentio autem demandandum non erit, somnia, ac somniorum modos, semper signa esse aliquid, quod inest in dormientis seu anima, seu corpore. Qua autem ratione somnia aliquando contineant causam, accidentalem tamen, eorum, quæ a somniantibus sunt agenda, seu patienda: quandoque etiam deseruire possunt prælagijs, ac prænotionibus futurorum, ac aliorum, quæ sunt ignota; nunc inquirendum non est. talia enim omnibus somniantibus euenire non possunt, sed homini tantum, qui intellectuali lumine decoratur.

*De causis deceptionis, quæ in somnijs conuenit, & de ijs, quæ in somno re ipsa exerceri possunt.*  
Cap. XV.



OMNIORVM doctrina exposcit, vt demonstramus, cur in somno phantasia decipiatur, & apparentem sensationem non vt apparentem, sed ut veram, ac realem, respiciat. ad id præstandum nos satis paratos reddunt ea, quæ superius circa somni causas enarrata sunt. docent siquidem, in somno sensus communis, qui in corde est, vsum semper amoueri. Cum igitur animalia virtute illius percipere possint, se re ipsa sentire, satis apertum est, hoc sensu in vinculis constituto, & a ceterorum sensuum societate remoto, animali impossibile esse discernere, vtum perceptio sit recta, ac realis, seu non recta, & apparens: quin potius phantasiam necessario colligere, ac intueri, quæ a sensuum exteriorum organis ad se deferuntur, quacumque ratione percipiuntur, tamquam uere sensibilibiter percepta. dum uero somniantes utcumque percipiunt, se somniantes, nec plene assentiuntur internis uisibus, seu non somniantes, sed re ipsa aliquid uidentes, audientes, aliterue sentientes arbitrantur, se somniantes:

niare: cursus quidem spirituum a corde ad caput fluentium est ualde infirmatus ac attenuatus, sed non omnino disruptus. super sunt enim riuuli aliqui tenuiores, quibus spiritus, qui in capite sunt, his, quæ a corde effluunt, adhuc copulantur. Itaque, sicuti tunc hic sensus communis utcumque viget, ita somnus non omnino irrepit. Ideo autem horum utrumque, licet quammaxime differant, eidem causæ ascribitur, quoniam tenuissimi spirituum riuuli adhuc decurrentes quandoque tendunt ad capitis posteriora, quandoque ad anteriora, ideoque iudicandi vis aliquando est magis libera, ut euenit somniati, qui percipit se somniare: aliquando magis deuincta, quod conuenit dormitanti, dum ea, quæ vere percipit, ascribit somnijs.

Somniantes non tantum plurima ex phantasiæ vi præsentia, ac re ipsa sensata intueri solent, sed etiam non raro imaginantur, se ab his seu voluptatem, seu mæstitiam consequi, nec non eadem seu prosequi, amplexarique, seu fugere, ac repellere, & ex harum propensionum ut alia externe & agere, & pati. hæc omnia phantasiæ comparata magis externa sunt, ideoque ut plurimum apparenter fiunt: quibusdam tamen accidit, ut re ipsa seu membra moueant, seu uoces quasdam emittant, seu, si homines sint, prolixius loquantur, surgant, & alia plura agant. quorum ratio deducenda est ex his, quæ diximus circa somnum. Idem dormientes si præstantioribus uirtutibus decorentur, perducuntur uel re ipsa, uel apparenter ad alios actus, qui phantasticorum dignitatem excedunt, & magis interni sunt. nam homines somniantes nonnumquam coniectant, cogitant, ratiocinantur, demonstrant, ac plura concludunt. & hæc quidem aguntur sæpe apparenter, & ex solius memoriæ actu, quo nonnumquam falsa, neque umquam percepta, tamquam præcognita admittuntur: quandoque tamen re ipsa, quod imperfectioribus non euenit. Phantasiæ uero deceptio non simplex, sed multiplex est, ut puta dum aliquis somniat, se ad lectum accedere cubandi gratia, somno corripit, somniare, de his somnijs sententiam ferre, uidelicet uel uere esse somnia, uel nullo modo somnia esse, sed euentus uerissimos, & plura alia supertexere, quæ non paruam admirationem afferre possunt. Quacumque autem ratione hi præstantiores, ac magis interni actus exercentur, re ipsa quidem exercentur, sed raro absque deceptione. phantasia enim innititur falsis sensationibus; ceteræ uero uirtutes magis interne his phantasiæ obiectionibus. Deficit etiam animalis directio, & spiritus parcissime suppeditantur.

Præterea,

Præterea, (ut iam diximus) memoria in somno summe infirma redditur, quoniam illius organum constitutum est in posteriori capitis parte, quæ crassiorum, ac frigidiorum spirituum irruptionibus primo obijcitur. quandoque tamen acutiorum, ac fortiorum spirituum vis ob talia impedimenta transiens, si diuinius aliqua irradiatio accedat, ad maximarum rerum conceptum perducere poterit, ut postmodum demonstrabimus.

*De principijs, ac constitutione fetus animalium perfectorum in materno utero.*  
Cap. XVI.



N horum animalium generatione femina non tantum utrum præbet, in quo recipiatur, detineatur, ac foueatur semen masculinum, quod præstantiori quadam ratione spiritali uirtute insignitur, sed etiam proprijs feminis uirtutem adiungit, & conceptum animal certis humoribus nutrit. id satis apertum redditur ex maris, ac feminae coitu, qui feminum emissionem præcedit, & ex natura, dispositio- neque membrorum, quibus animal certa serie constituendum est. Coitus masculi, ac feminae cōsensum exposcunt, neque absque certa feminae propensione, ac præparatione fecundi sunt. membra uero, quæ præcipue in animali generando desiderantur, manifeste deducuntur ad duas series, quæ duorum principiorum uirtutem conuincunt, coeuntium tamen, ac concurrentium. nam ea ratione sibi inuicem adhærent, consentiuntque, ut uideantur maris, ac feminae amplexus non tantum æmulari, sed ad summam consummationem perducere. eosdem amplexus ab utriusque parentis feminibus, prout licet, exerceri credendum est, & illorum unumquodque ita proprium opus exercere, ut numquam alterius seu adiumentis, seu ministerio destituatur. membra, quæ masculino semini præcipue ascribuntur, (ut uidetur) sunt cor, epar, uenæ, arteriæ, pulmo, trachea, bucca, cerebrum, nerui, nec non ossa, cartilagine, musculi, & tendones, demumque omnia instrumenta motus, & sensus, nec non illorum, ac membrorum consensus. Feminino semini tribuendus erit uentriculus, intestina, gula, & lingua, quæ tamen tamquam utrique seriei communis censenda est. hæc membra feminina miram quadam ratione circumspiciuntur, ac sustinentur a masculinis, ut munia intimiora, ac magis necessaria illis propria firmiter exercere

D d d ij possint

possint ad commodum totius corporis, uirtute tamen masculinorum, a quibus etiam alimenta externe colligenda sunt. Ideo autem censendum est, cor, & quæ cordi annectuntur, masculino semini ascribenda esse, uentriculum uero, & quæ a uentriculo prodeunt, feminino, quoniam, si ad inuicem referantur masculi, & feminæ temperamenta, horum membrorum temperamenta manifeste referunt. masculi enim temperamentū inuenietur adustum ob igneæ caliditatis, & terreæ siccitatis excessum, quod cordi similiter conuenit: feminæ autem molle ob maiorem uim aereæ caliditatis, & aqueæ humiditatis, quæ a uentriculi natura aliena non sunt. hinc colligere licet, eosdem excessus in utroque semine uirtute contineri, & illorum unumquodque his generâdis incumbere, quæ proprio temperamento sunt congrua. Neque uero his minus est assentiendum, quoniam cerebrum, cuius generatio cordi tribuenda est, sit frigidum, & humidum. nam igneæ caliditatis vis pro subiectorum, ac concurrentium natura omnes pene temperamentorum differentias inducere potest. at horum principia intimiora accuratius examinanda sunt. dicimus igitur, tam masculinum, quam femininum semen quinque præcipua complecti, licet non eadem ratione, uidelicet uirtutem formatiuam, quæ membrorum unicuique, ac toto animali, prout conuenit, propriam formam tribuere possit: internam dispositionem, ac propensionem, quæ informatiuæ uirtuti passiuè consentiat: caliditatem absque intermissione agentem: humidum caliditati consentiens, eandemq. nutriens; & exhalationem, quæ calidi in humidum agentis uim consequitur.

Formatiua uirtus masculino semini præcipue conuenit. nam Naturæ communis vis in illo contrahitur non tantum ex ea parte, qua diuinam potius, quam cælestem uirtutem iniicit, sed ex ea etiam, qua præstantioris, ac diuiniore uirtutis exordijs ministrat. nouimus enim ex primæ scientiæ demonstrationibus, communi Naturæ uirtutem non sufficere in constitutione perfectiorum animalium, quæ semper ex semine generantur, ideoq. horum prima a Deo necessario incepisse ea lege, ut ex utriusq. parentum concubitu, eiusdem communis Naturæ uirtute accedente, naturam semel acceptam extenderent. hæc masculini seminis formatiua uirtus animalis generandi animæ proportionem respondet, procedenteque generationis cursu ita perficitur, ut animali iam constituto uere illius sit forma, quod tamen in homine non euenit: in eo enim (ut alibi demonstra-

tum.

tum est) intellectus respicit corporeas formas substantiales ea ratione, qua ab ipsis accidentium formæ respiciuntur; & respectu illius Esse, quo constituitur homo, solus sustinet informandi munus.

Dispositio, ac propensio uirtutis formatiuæ vim amplexans, in feminino semine præcipue uiget. hoc enim ita se habet ad uirile semen, ut corpus ad animam. quamobrem eiusdem feminini seminis formatiua uirtus cælestem potius, quam diuinam communis Naturæ vim contrahet, & quæ magis sunt corporea, subministrabit. Non dissimili proportione caliditas, & humiditas, nec non exhalatio, quæ calidi in humidum agentis uim consequitur, erunt utriusque semini communes. Itaque caliditas masculino, humiditas feminino magis aptatur. exhalatio etiam masculino tamquam efficienti, & feminino tamquam subiectæ materiæ magis conueniet. hæc tria, caliditas scilicet, humiditas, & exhalatio triplicem rationem admittunt tam in animalis generatione, quam in ipso animali iam constituto, uidelicet ut manet, ut diffunditur, & ut reficitur.

Seminalis caliditas in animali, ut manens, nihil aliud est, quam calor naturalis, atque innatus; ut diffunditur, est calor naturalis delatus, ac extensus per totum corpus; ut reficitur, est idem calor naturalis, quatenus attrahit humidum apte præparatum ad sui nutrimentum.

Seminalis humiditas in animali, ut manens, est radicale humidum animalis; ut diffunditur, humidum substantiale singularum partium; ut reficitur, eiusdem radicalis humidi vis ex alio humido sibi conuenienti se ipsam reficiens.

Seminalis exhalatio in animali, ut manens, est idem naturalis, atque innatus calor, quatenus est spirituum omnium fons; ut diffunditur, eos spiritus complectitur, qui singula animalis membra uiuificant, ac replent; ut reficitur, nihil aliud erit, quam idem naturalis, ac innatus calor, quatenus humidum decenter dispositum iterum concoquens, spirituum omnium fomitem in se ipso confirmat.

Generationis totius exordia pendent a formatiua uirtute masculini seminis, quæ proprii caloris ministerio utitur. huic assistit aptitudo feminini seminis, quod proprium calorem excitat, & eundem masculino calori obijcit exacuendum.

Masculini seminis caliditas primo uirtute potius, quam actu ignea, formatiuæ uirtuti ministrans, se ipsam colligit, interneque constipat, simulq. intra humidiora sibi adhærentia certam sedem constituit,

constituit,

constituit, quæ cordis munia sustineat. Feminini vero feminis caliditas infirmior, in humidum agens, vesiculam educit, cui ventriculi partes demandari possint. his sic constitutis virtus tam masculina, quam feminina, incepta concorditer prosequuntur. cordis nempe vis viscosa circumposita dissoluit, hisq. magis remota petentibus, constituuntur nonnullæ membranæ, quæ totam feminalem materiam ambiunt, neque patiuntur, internum calorem ulterius egredi. harum membranarum sunt plures ordines. nam consolidans caloris interni vis sæpius repetita, remotioribus iam constitutis, internas exorditur, ac perficit. Minores communi nomine membranæ dicuntur: maiores secundarum nomen adeptæ sunt. hæ vero magis externæ sunt, ideoq. feminæ matrici omnino adhærent, simulq. ab ea nutrimentum recipiunt, & iccirco demittere possunt, ac reipsa demittunt ad sibi proxima humorem quendam, qui ad fetus constitutionem utcumque pertinet, quiq. non permittit utilitatis, ac spiritus, quibus est præditus, seu fetum secundis omnino adhærere, seu membranas, ac secundas sibi inuicem copulari. procedente vero huius humoris delapsu, qui a calido consolidatur, extenduntur ex eodem materno utero ad secundas, parvæ quædam venæ, ac arteriæ, quæ sanguinem, ac spiritus ad easdem deferunt, quæque humoribus coeuntibus demum concurrunt, perforantq. ipsas membranas ex ea parte, qua sunt infirmiores, ac minus cohærentes ob humorem eiusdem materni uteri, qui ad inferiora assidue confluit. membranis perforatis maternus humor per easdem venas, ac arterias iam coniunctas perducitur ad fetum, cui nutrimenta vberiora suppeditant. Credendum tamen est, hæc tunc adimpleri, cum humor a membranis inclusus, cordis vi partim ad inferiora defluit, & partim exhalat ad superiora, ac membrorum formationi eiusdem viribus perficiendæ materiam aptissimam suggerit. Ex defluxu iaciuntur initia epatis, simulq. venulæ, ac arteriæ, quibus epas ventriculo colligatur. oriuntur etiam vena quædam, & arteria, quarum vnaquæque ventriculo adhærens deducitur ad matris uterum per idem membranarum foramen. nam tam fetus, quam materni uteri humores ad eandem partem necessario defluunt, concurruntque. Itaque venæ etiam, ac arteriæ hinc inde exortæ, in vnum coeunt, & communem decursum adipiscuntur, qui ab animali nato decusus umbilicum parit. Tunc vero maternorum spirituum, ac sanguinum maior copia repellit fetus spiritus, fluxusq. debiliores,

cosq.

eosq. retrocedere cogit. quod fetui maximum commodum affert. nam illius calor iam vehementius feruens depascit humorem proximorem, appetitq. adiumenta, ac nutrimenta externa, quæ non dissimili ratione ventriculo etiam sunt necessaria, epate præsertim calefaciente, illiusq. humidiora sugente. huiusmodi autem suppetijs cordi, ac toto fetui delatis, tam cor, quam ventriculus proprijs operis consummationem libere prosequuntur. cordi nempe flatus, ac spiritus, maternorum spirituum impulsu reiecti a parte interiori, qua prius gradiebantur, fortius concentrantur, illiq. intimius adhærent, quo tantæ caliditatis vim iam ægre sustinente, eandemque ad ventriculum vehementius transmittente, formatiua virtus constituit in corde quasdam cellulas, seu ventriculos, simulq. ventriculo vnicuique orificium externum adiungit, vt cor suimet amplificationem, constrictionem, necnon attractionem, ac expulsionem facile, ac libere exercere possit tam ad caloris interni suffocationem vitandam, vitalesq. spiritus resarciendos, quam ad humidiora, quibus ipsum cor, & cetera nutriuntur, attrahenda.

Quoniam autem hæc humida post attractionem erant primo concoquenda, postmodum vero distinguenda, ac transmittenda, cor tres ventriculos obtinuit, medium, sinistrum, ac dexterum. Medium attractionis munus obtinuit. sic enim attracta tam ad sinistram, quam ad dexteram partem facilius, ac commodius transmitti poterunt. Idem, orificium suum obtinuit in parte inferiori: calido enim proprium est petere superiora, & humidum sibi suppositum attrahere: ventriculo sinistro expellendi subtiliora, ac rariora, dextero vero expellendi crassiora. vterque orificium etiam externum fortitus est. Itaque illorum etiam vterque utcumque attrahit, non quidem humida, ac densiora, quæ aquea, ac terrea complectuntur, sed aerea magis, quæ postmodum uberius suppeditantur, ministrantibus epate, pulmone, & alijs, quæ a cordis uirtute prodeunt, quæque cordis calorem moderari possunt, suffocationi obistere, & spiritus adaugere. Itaque, sicuti tota substantia cordis est sedes caloris masculini naturalis, ac innati, ita illius uentriculus medius, & attrahens, sedes, ac fomes humidi radicalis censerit debet. Sinister expellens rariora est sedes, ac fomes spirituum; & dexter expellens crassiora, sedes, ac fomes nutrimentorum. Iam igitur corde sic seipsum contrahente, & expandente, simulq. attrahente, & expellente, exercentur humidorum concoctio, & expulsio tam eorum, quæ

sunt.



sunt magis pura, ac spiritus uim maximam complectuntur, quam crassiorum. singulis autem exhalatio necessario adiungitur, quæ (vt postmodum demonstrabitur) non parum momenti affert ad animalis constitutionem. Non dissimili ratione ventriculus duo orificia sibi ipsi struit, alterum inferius, per quod nutrimenta emitti possint, alterum superius, per quod recipiantur alimenta ab eo concoquenda. Quoniam autem tam cordi, quam ventriculo conuenit, propriam uim extendere ad aliorum membrorum formationem tam ex parte superiori, quam ex parte inferiori, haud secus, quam plantarum seminibus, quæ dum terræ circumpositæ humore imbibito summe turgent, a parte inferiori radices emittunt, & a parte superiori germinant, speculandum nunc est, quanam serie hæc ab illorum vnoquoque præstari possint. Exordio igitur accepto ab his, quæ oriuntur a corde, tamquam a nobilioribus, dicimus, digestionem interna a corde confecta, crassiora ex summa caliditatis vi rubea emitti, nam sanguinis formam iam consecuta sunt. huius densior pars defertur ad conuexum ventriculi, qui ex parte dextra subijcitur, & totius animalis nutrimento deseruire debet, paulatimq. condensatur ex ventriculi suppositi substantia frigidiori. Itaque, prout hinc, atque inde delabitur, format, seu perficit ipsum epar prius fortasse inchoatum. Sanguinis vero pars rarior eousque libere fluit, donec, ad angustiora, atque etiam ad remotiora, ac frigidiora perducta, multipliciter condensetur, constituens carnosa, & alia, quæ animali deseruiunt. Sanguis autem a summa caliditate natus neque absque spirandi virtute oritur, neque a spiritu disungi potest. quod tamen in animalibus perfectioribus ea ratione adimpletur, vt sanguis, & spiritus non omnino commisceantur, sed tantummodo ex aliqua partæ.

Quapropter vterque propriam sibi viam parat, & ambæ proprias etiam uoces obtinere: illa enim, quæ plus sanguinis, quam spiritus defert, ac dextero cordis ventriculo præcipue ministrat, Vena appellatur; quæ vero continet plus spiritus, quam sanguinis, & sinistro ventriculo aptatur, dicitur Arteria. harum vnaquæque a corde recedens, vna excepta, quæ sursum tendit, ad sinistram conuertitur, ob impulsus maternorum spirituum, postmodumq. in partes discinditur, vt vnicuique corporis membro nutrimentum, & vitam impartiantur. sicuti enim spiritus sanguini tribuit, vt sit nutrimentum vitale, ita sanguis euaporans, dat spiritui, ut firmiter consistat, & for-

tius operetur. Arteria autem maior, spiritus ad sinistram defle-ctens, dicitur Aorti; vena vero illi adhærens dicitur Vena magna.

Quæ ob cordis caliditatem fluunt, ac spirant, hac ratione, spirituum uirtute accedente, propria munia prosequuntur. exhalantia uero deseruiunt constitutionibus pulmonis, ac ceterorum membrorum superiorum, præsertimq. ipsius cerebri. nam, dum illorum crassiora in sublime feruntur, recedunt aliquantulum a caloris uis, incipiunt sibi ipsis cohærere, inducuntq. pulmones, quorum substantia ob id est spongiosa, ac ualde leuis. hi uero licet ex nulla interna uirtute motum inchoare possint, mouentur tamen, indefinenterq. rolluntur ac decidunt, quoniam excedens cordis caliditas non satis remittitur ex sola illius contractione, & expulsionem. Percipiens igitur una cum membris circumpositis uehementioris caloris incommoda, uis illius sensus, quem Naturæ sensum appellandum diximus, eademq. abhorrens ob eiusdem sensus appetitum, excitat exequendi uirtutem eisdem sensui, & affectui deseruientem, atque ita exercet, ut, dum membra circumposita se ipsa extendunt, ac retrahunt, simul pulmones adhærentes extollant, ac relaxent, illorum præsertim raritate uix obsistentæ.

Tunc uero inducitur necessario externus aer per aditus, de quibus postmodum dicendum erit, ea tamen lege, vt pulmonibus, ex proprio pondere iterum delabentibus, breui expellatur. Hinc igitur effluxere perfectiorum animalium spirationes, ac expirationes, quibus indefinenter repetitis cor, & alia circumposita, sine intermissione refrigerantur, simulq. obuiam iterum animalis suffocationi, quæ caloris uis diutius interclusa necessario induceret. spirationum tamen, ac expirationum motus, cordis motum non adæquant. nam caliditas ex vnico cordis pulsu prodiens, nulla adhuc incommoda inducit, cū præsertim aeris frigidioris nuper inducti uis adhuc uigat.

Eousque igitur inspiratio differtur, donec cordis pulsibus repetitis caliditas incommodi sensum pariat. id uero nulla certa lege, definiendum est. nam inspirationes, ac expirationes frequentius, seu intermissius exerceri solent, prout cordis caliditas est intensior, seu minus intensa, atque ob id etiam ipsum cor frequentius pulsat.

Pulmonibus has agitationes exercentibus spiritus petens superiora, trachæ constitutionem exquirat, ac consequatur. nam (ut ex constitutis colligere licet) neque materia deest, neque uirtus efficiens. Non dissimili ratione aereū exhalationis uis per tracheam eleuatum,

oris, seu buccæ expansionem quasi terminum certum requirit: ad cuius constitutionem uentriculi etiam uirtus alia ex parte enixe tendit. hæc enim sicuti ab inferiori parte intestina firmat, ita ex parte superiori gulam, seu merim producit. ex quo euenit, ut tam cordis, quam uentriculi virtutes in animalis ore, gutture, & lingua plenius copulentur. Lingua siquidem, & guttur deseruiunt cordi respectu uocum eorum munere emittendarum: respectu uero saporum, ac nutrimentorum uentriculo ministrant. Sicuti autem feminali uirtute primos, ac imperfectiores actus exercente, media, quæ ad centrum uergunt, quammaxime calefiunt, ita extrema, quæ magis a centro recedunt, ex necessitate frigescent. id in illis partibus præcipue locum habet, in quibus frigiditas materni uteri circumpositam caliditatem refugiens, seipsam colligit. tunc nempe summe intenditur, & ossium constitutioni deseruit. Fetus igitur, qui in utero sphericam figuram uidetur æmulari, sepioretur unde quaque ossibus, nisi quædam mollitiem ex necessitate retinerent, ob summam circumpositi uteri humiditatem. hæc tamen ossa semper obteguntur musculis seu tenuioribus, seu pinguioribus pro diuersitate situum, quibus infrigidans uirtus intensius, seu minus intense aptatur. Capitis igitur superioris os, quod uocant craneum, non carne, sed cute tantummodo tegitur, crassiori tamen. locus quippe, in quo formatur, utero ualde est proximus, & a calefacientibus maxime distat. quod tamen intelligendum est præcipue respectu partis posterioris, cuius os durissimum est. pars uero anterior, superiorque, dum fetus in utero detinetur, a posterioris partis duritie longe recedit, præsertim in homine. nam ad infirmiora, ac humidiora declinat. Eisdem efficientibus ascribendum est, quod cranei ossibus alia etiam ossa circumquaque adijciuntur, quæ sphericam similiter quodam pacto figuram obijciunt. horum tamen inferior pars ea ratione consolidatur, ut per certa foramina pateat aditus his, quæ assidue sursum feruntur uirtute cordis. horum uero temperamentum necessario rarum est. Itaque ossibus undiq. circumclusa, delataq. ad ipsum craneum, frigescent, ac condensentur necesse est. Ad inferiora igitur more ceræ liquefcentis delabentia, cerebri uentriculos formant, qui tamen ob innatam humiditatem, ac caliditatem, non ut cera durefcent, sed propriam mollitiem retinent. Interim tamen dum per quædam alia foramina rursus ad inferiora defluunt, caloris uirtute, quæ in inferioribus magis uiget, ita exiccantur, ut neruorum formam

nam paulatim recipiant, & ad consummationem perducant, dum peruenientes uel ad carnea, uel ad alterius complexionis membra, proprio decursui finem imponunt: tunc enim a calido perfecte concoquantur. quidam tamen, quoniam mollioribus copulantur, molliores sunt, & sensui præcipue inseruiunt. reliqui durioribus annectuntur, & motui ministrant. præter hæc neruorum munia, illis præterea propriissimum est, perfectissime copulare omnes animalis partes tam dissimilares, quam similes. quemadmodum enim illorum materia a capite defluens delabitur ad unamquamque corporis partem, ita ad neruorum formam perducta singula singulis ita annectit, ut capiti præcipue subijciantur. Silentio autem demanandum non est, spiritus ab eodem corde profilientes moueri sursum, deorsum, & ad latera, cordis dirigentis uirtute haud secus, quam pedes, qui ob eandem directionem indistincte ad diuersa deflectuntur, atque etiam circumuoluuntur. Accedit etiam naturalis propensio spirituum. puriores enim, ac leuiore, superiora sua sponte petunt. hi uirtutes sentientes, ac mouentes pariunt, & exercent, ideoque animales spiritus appellati sunt. Illi, qui neque ad summam puritatem adhuc sunt perducti, neque impuriores adhuc effecti, donec uersantur circa cor, quod mediam regionem occupat, dicuntur uitales. Impuriores, ac crassiores petunt infimiora, & naturalium denominationem sortiti sunt, ex eo fortasse, quoniam ea uitæ munia exercent, quæ plantis communia sunt, quæque, si comparantur uitæ, quæ conuenit animali, ut est animal, continetq. tam pulsandi, & attrahendi, quam inspirandi, & respirandi uim, a uitæ dignitate recedunt. quod ex eo etiam apertius conspici potest, quoniam uentriculi concoctio, quæ plantarum concoctione est longe præstantior, duplicem præterea concoctionem admittit. ea namque, quæ semel a uentriculo concocta sunt, a crassiori, sicciori, & superfluitate seiuncta, in epate acuratus concoquuntur, reiectaq. parte humidiori, ac magis aquea tertiam concoctionem exposcunt, quæ in corde consummatur, & ipsa sic cōcocta uere uitalia reddit. cor enim est instrumentum uniuersale, ac primum. Itaque illi præcipue conuenit, tam hanc præstantiorem uiuendi rationem exercere, quam cetera membra, ac ipsos spiritus eadem uiuos, ac uitales efficere.



# CONTEMPLATIONIS QUARTAE,

## Pars Quarta:

Quæ versatur circa præstantiores brutorum animalium sensus, quæ illos consequuntur, & ab illis constituuntur: circa sensum homini proprium: circa humanæ naturæ virtutes, ac partes: necnon circa ea, quæ præterea desiderantur ad consummationem huius scientiæ.



*De necessitate quorundam sensuum, qui phantasiæ dignitatem transcendunt, ac in specie de Memoria, memoriæ appetitu, ac exequendi virtute, necnon de animalibus ab ea constitutis. Cap. I.*



NATURALIUM formarum gradus eousq. extendi debent, donec ad summum perfectionis perducti, intellectuali naturæ associantur.

Quapropter, sicuti virtuti perfectissimæ corporeum operandi modum non transcendentem adduntur sentientes virtutes, quas hactenus perlostrauimus, quarum perfectissima corporea omnia spiritaliter percipere potest, ita huic accedant necesse est sensus longe præstantiores, qui corporeorum etiam perceptiones certis quibusdam gradibus depurare possint, ut horum præstantissimus, Deo optimo conueniente, tanto munere decoretur. huiusmodi est cogitandi virtus, hominum naturæ propria, cui duo sensus imperfectiores, brutis quibusdam communes, præcedere debent, Memoria scilicet & extimatiua. Memoria, de qua uti imperfectiori primo dicendum est, absque sensuum imperfectiorum concursu nihil concipit, illisq. vacantibus nihil obijcit: illius enim partes sunt, concepta  
ita

ita retinere, ut rerum singularitate tantummodo accepta, facile reijci possint quæcumque illis necessario quidem, sed accidentaliter accedunt, ut puta, locus, situs, habitus, societas, solitudo, & siquid aliud est tale. hæc vero perceptiones, phantasiæ, ac sensibus imperfectioribus proprios actus rursus circa eadem exercentibus, non tantum illorum actus longe faciliores, ac firmiores reddunt, sed etiam in causa sunt, ut ipsa memoria talia tamquam prius concepta, ac reuenta animaduertat, licet non eisdem accidentibus circumscripta. hæc vero perceptio priori consona, dum exercetur absque vlla reflexione ad priorem actum, dicitur commemoratio: dum vero continet reflexionem ad actum priorem, dicitur rememoratio, seu reminiscentia, quæ homini tantummodo conuenit. circa huius sensus organum admonuisse sufficet, cerebri, seu cerebelli ventriculum in posteriori capitis parte constitutum, illi propriissime ministrare. ibi enim omnium perceptionum collectio, ac detentio longe facilius exerceri potest. Memoriæ appetitus respiciet externa, quæ his internis perceptionibus proportionem respondent. Versabitur igitur circa illa, quæ recte seponi possunt, moxq. non absque aliquo imperfectiorum sensuum bono, seu voluptate depromi, ideoque priori quadam ratione bona vtilia appellari solent. illorum nempe bonitas oritur non ex rerum natura, sed ex solo usu. In brutis animalibus talis appetitus satis infirmus est, quoniam illorum memoria similiter est infirma: destituitur siquidem vi rationis, quæ ad illius consummationem essentialiter pertinere videtur. Ex eo quoque, colligere licet, bona vtilia memoriæ appetitui recte aptari, quoniam illorum collectio, repositio, ac depromptio exerceri non possunt amoto memoriæ usu. accedit etiam, ut illi, quorum perceptio memorabilium ordinem parum excedit, nisi ab imperfectioribus bonis capiantur, sint bonorum vtilium appetentiores. eiusdem appetitus finis, seu scopus erit, talia copiose seponere, atque eadem ad proprium commodum absque illorum defectu proferre. quapropter, si hæc actu adimpleantur, absintq. non tantum impedimenta, perturbationes, ac corruptionis, seu ruinæ suspicio, sed etiam fraudis, seu furti timor, hæc affectio vere conuiescet, illamq. voluptatem experietur, quæ animi quies, prout necessaria, ac vtilia respicit, recte appellari potest. porro modus, quo ad propositum finem tendit, ac proprium actum exercet, non ex irruptione, nec ex moræ impatientia, neque ex sola assiduitate, ac perseuerantia, & animi sollicitu-

sollicitudine deducendus erit, sed ex plurimum frustrationum, tum detentionum patienti perpessione. Eidem etiam propriissimum videtur esse non tantum occulte, ac secrete proprium finem prosequi, sed etiam omnem illius adeptionem celare. qua in re a phantasiæ affectu non parum differt. hæc siquidem licet ante propositi consummationem secretioribus delectetur, post consummationem tamen omnia omnibus nota, atque aperta esse ut in pluribus exoptat. Exequendi potentia huic affectui deseruiens, ac eiusdem potentia organa, facile possunt animaduerti. executiua enim virtutis munia sunt, ea perficere, quæ affectus exoptat: huicq. ea membra ministrare constat, quæ hæc actu præstant. hæc tamen pro animalium diuersorum natura diuersa erunt, simulq. perfectiora, seu imperfectiora. Inter animalia, quæ memoria quidem pollent, sed præstantioribus cognoscendi virtutibus carent, capreorum genus omne, fues, ac alia fortasse plurima connumeranda videntur. horum memoria conuincitur, quoniam a grege similibus sæpe recedunt, & solitarie pro singulorum natura satis confidenter morantur. horum tamen memoria ob rationis defectum aliquanto infirmior censei potest. Eadem vero animalia sensu præstantiori destitui ex eo coniectare licet, quoniam præstantior sensus amicitiam, & inimicitiam respicit. hæc vero animalia amicitiam, ac inimicitiam, quatenus huiusmodi, non attendunt, sed in illis ratio omnium amicitia exercenda, tum inimicitia suscipienda accipitur ex bonis vtilibus, aut aliter delectantibus, seu opitulantibus. quod affectionibus omnibus aliquo pacto commune est: omnes enim delectabilia afferentibus concordant, auferentibus autem aduersantur.

*De Aestimatiua, deque illius tum affectione, tum executiua virtute, necnon de animalibus ab ea constitutis. Cap. II.*



**S**ENSUS interior, qui memoriam dignitate præstat, ac Aestimatiua nomen obtinuit, corporeorum spiritalia species ita depurat, ut in illis percipere possit spiritalia, quæ imperfectiores sensus non attingunt. nam ex quadam seu collectione, seu existimatione concipienda sunt ratione ab ea non dissimili, qua legentes ex visibilibus litterarum characteribus oculorum ministerio perducuntur ad conceptum vocum inuisibilium. huiusmodi sunt illæ amicitia, ac inimicitia, quæ

quæ exerceri solent non respectu totius speciei indeterminate, ob certam specierum sympathiam, seu antipathiam, aptanturq. non tantum sentientibus imperfectioribus, sed ipsis etiam insensatis, seu ob perceptionem illorum, quæ discursu aliquo sunt attingenda, exposcuntq. discurrendi vim, quæ homini, ut est homo, conuenit, sed inducuntur, & retinentur per certos corporeos motus, ac voces, ad quæ amicitia, seu inimicitia impellere solent, & amicitiam, seu inimicitiam similiter prouocant. Illius organum ex cerebri ventriculo mediã partem obtinente constitui credendum est. appetitus vero huic sensui proprius respiciet tamquam obiecta propria, animalia, quatenus hæc amicitia, ac inimicitia signa tum alijs dare, tum ab alijs recipere possunt. ea enim, quæ Aestimatiua sensus interior attingit, ac percipit, Aestimatiua appetitus exterius prosequitur, seu refugit.

Quoniam vero horum signorum quædam amicitiam, quædam inimicitiam arguunt, huius affectionis non vnicus, sed plures fines admittendi erunt, qui tamen sibi inuicem deseruiant. inimicæ siquidem propensionis finis, seu scopus erit inimici conculcatio, aut certe perterrefactio vsque ad manifesti timoris signa: amicæ autem, seipsam per motus, ac voces externe ita diffundere, ut amicum animal hæc amicitia signa recipiens, similibus signis, vel etiam clarioribus respondeat, & sæpe præueniat.

Et hic quidem amicitia finis priori præstantior, tamquam vltimus constituetur: ideo enim inimici perterrentur, ac reiiciuntur, ut libere, atque omnino tute amicis frui liceat. Itaque huius affectus quies deducenda est ex ea amicorum fruitione, in qua inimicis omnibus perterrefactis, ac repulsis, amici manifesta amicitia signa & dant, & recipiunt. aberit igitur ab hac quiete suspicio omnis non tantum fraudis, sed etiam violentæ cuiusque inuasionis. delectatio vero, quæ talem pacem concomitatur, exultationis nomine proprio ri significato (ni fallimur) proferri poterit. Ex his colligere licet, huic affectui primo conuenire, ut illius affectio, ac affectionis actus ex propria natura appetibiles sint. quod nulli imperfectiorum aptatur. neque enim aliquis illorum actus, primi appetibilis naturam continet. ex quo factum est, ut huius affectus vis facile percipiatur, & percepta pariat vehementem impressionem, ac ad similem affectum, actusq. quodam modo impellat. hæc tamen longe vehementiora erunt, si his purioris amicitia, ac inimicitia impulsibus accedat.

dat impetus phantasticæ affectionis, tactus voluptati consentientis. huic affectui videtur proprium, semper in aperto, ac manifesto versari, neque aliquid in occulto moliri. quod tamen illi magis, ac minus conuenit, prout magis, seu minus intenditur, magisque, seu minus ab alijs affectionibus seiungitur.

Exequendi vero potentia huic affectui deseruiens, illa erit, quæ talia exterius exercere potest. Quamuis autem his actibus totum animalis corpus aliqua ratione deseruire possit, eos tamen plenius sustinent facies, ac vocum organa, necnon partes, quæ motui, & actionibus ministrare solent.

Animalia vero, quæ ab æstimatorum sensu constituuntur, erunt equi, boues, cameli, elephantés, leones, felles, simiæ, & huiusmodi reliqua, canes tamen (vt videtur) præcipue. hi enim non tantum, vt alia, quæ enumerauimus, delectantur amicitia, aliquando etiam inimicitia, absque vlllo accessu alterius vel commodi, vel voluptatis, sed sæpe etiam amicitia signa blanditijs exposcunt, hisq. non obtentis quammaxime contristantur, & mærent.

*De cogitativa, deq. intellectus humani ad humanum corpus copulatione, tum respectu essentia, tum respectu intellectiōnis. Cap. III.*



**S**MMAM sensitiuarum uirtutum cōsummationem Cogitativa constituit. hæc quippe omnium ordinum particularia disiunctim percipit, atque etiam eorundem copulationes, diuisiones, oppositiones, similitudines, proportionés, dependentias, uirtutes, ac reliquas relationes omnes, necnon comoda, incommoda, beneficia, maleficia vna cum difficultatibus, facilitatibus, impossibilitatibus, necessitatibus ita cognoscit, vt ex vnius perceptione ad illorum etiam conceptum perducatur, quæ sensum non mouent, nec fortasse mouere possunt. huic igitur copulatur uirtus intellectiua imperfectioris gradus. quoniam inter ea, quæ corpoream naturam aliqua ratione retinent, nihil perfectius, nihilq. admirabilius inueniri potest. hæc uero copulatio ea ratione perficitur, vt intellectus vis extendatur etiam ad alias sentiendi uirtutes, & totius subiecti corporis reddatur forma, eueniatq. ob id, vt intellectus, qui (vt in prima scientia demonstratum est) ex primæ suæ creationis statu (vt communi rerum ordini conuenit) in se quidem operatur, sed non per se, proprio muneri incumbat,

incumbat, & interni sensus longe præstantiorem operandi modum adipiscantur. id uero cogitandi uirtuti præcipue conuenit. nam, cū percipiat particularia vniuscuiusque ordinis, eisdemq. pro vniuscuiusque natura plura ex ipso facto, & experientia adiungat, necessario ad id deducitur, vt percipere cupiat, an eadem ceteris omnibus eiusdem ordinis indiuiduis conueniant, atque etiam, quænam sit huius conuenientia causa. quorum neutrum adipisci potest absque intellectus lumine, qui uere vniuersalia, ac essentialia percipit. Quapropter, nisi intellectiua uirtus cogitatiuam perficeret, illius vis magna ex parte uana, atque inutilis redderetur. quod etiam ipsi intellectui ex communi rerum ordine eueniret, nisi ex prima sui constitutione humano corpori increaretur.

Asserentes autem, intellectus, ac cogitatiuæ copulationem pendere ex solis irradiationibus, seu illustrationibus, quæ ab intellectiua natura effluunt, & a cogitatiua recipiuntur, a ueritatis tramite quam maxime distant. hoc enim posito, sequeretur, vel hominem nihil intelligere, uel corporea etiam omnia intelligere. nam si sola intellectiualis illustratio ea, quæ intelligendi uirtute interius carent, ad intelligendi actum perducere potest, fatendum est, omnia intelligere. diuini enim intellectus uis, a quo omnia pendent, omnia etiam illustrat. Si uero talis illustratio non sufficit, dato homine intelligendi uirtute interius destitui, homo nihil intelligeret, sicuti neque saxa, & cetera, quæ uidenti uirtute carent, nihil uident, licet illustrentur solari luce. His accedunt, quæ in prima scientia demonstrata sunt de humani intellectus natura, de illius creatione in corpore, ac de corporeorum, & incorporeorum nexu. quorum unumquodque hanc assertionem manifeste destruit, & conuincit realem copulationem intellectus, ac humani corporis sentiendi uirtute præditi. eadem etiam demonstrare possunt, quam ratione homo intelligat. nemo enim dissentire potest, eandem proportionem dari inter essentiam, & essentiam, & inter actum, & actum. Sicuti igitur data cogitandi uirtute consequitur, Deo uolente, intellectus increatio, ita etiam eadem cogitatiua rem certam, prout sibi conuenit, percipientem, statim diuinæ ueritatis lumine intellectus ad idem intelligendum simili ratione illustratur, ipseq. homo intelligit, clarius tamen, seu obscurius, pro pleniori, seu minus perfecta sensuum perceptione. Cogitatiuæ organum constituit cerebri uentriculus medius ex parte superiori, ac puriori.

Intellectui vero nullum organum aptandum est. nam, cum sit forma corporis humani virtute sensitiva præditi, illa mediante copulatur corpori, & corporeis organis vtitur, sed nullo tamquam sibi proprio. nam omnibus æqualiter insistit, licet illius vis in præstantioribus illustrius splendeat.

*De causis determinationum, & indeterminationum, quæ simplicibus conceptionibus aptantur. de obiectis Cogitatiuæ proprijs, respectu modi, gradus, & naturæ; ac de perceptionibus, quæ pluribus cognoscentibus ascribenda sunt. Cap. IIII.*

**D**ETERMINATIONES vero, ac indeterminationes, quæ (ut in logicis dictum est) aptantur simplicibus particularium perceptionibus, consequuntur cogitandi virtutem, prout proprium actum exercet, vel seiunctim, vel assumpto vsu sensuum inferiorum, puriorum, seu impuriorum. versatur enim circa particularia, quatenus numerabilia sunt, singulorumq. unitatem attingit, non ut sensus communis, qui singularitatis, ac multitudinis vim confuse omnino concipit, sed ea ratione, vt singula vere possit numerare, & omnes unitatis modos attingere. quatenus igitur associatur imperfectissimo Naturæ sensui, percipitque, exempli gratia, sitim, quam ego nunc patior, illius obiectum sicuti est summe corporeum, ita summe contractum erit. nam mea sitis non tantum a nullo alio sentiri potest, sed neque a meipso, nisi semel. dum enim protrahitur, semper mutatur, & solam prioris similitudinem retinere potest. Quapropter vnum sentiendi actum admittit, & ob summam determinationem signum *Iste* ita requirit, vt illud diutius retinere non possit. Quatenus cogitativa associatur sensibus exterioribus, percipitque, exempli gratia, paginam, quam nunc manu teneo, seu video, obiecti vnitas aliquanto purior erit, ideoque pluries, & a pluribus sentiri potest. semper tamen obijcietur adiuncto signo *Iste*. nam, quæcumque actu tanguntur, gustantur, odorantur, ac videntur, quatenus perseverant, coarctantur loco, tempore, ac ceteris circumstantijs. Simili ratione ex sensus communis vsu obiecta admittet idem signum *Iste*, sed respectu solius loci, ac temporis: ex phantasie ui admittunt signum, *Ille* vel *Illi*: ex memoriæ accessu subduntur determinationi ex proprio nomine, ac simplicem rei singularitatem obijciunt:

obijciunt: ex usu æstimatiuæ assumunt condicionis signa, quæ pluribus aptari solent. At, dum cogitativa seiunctim exercetur, obiecta, sola particularitate retenta, erunt omnino indeterminata, ut puta, dum hæc uirtus respicit non dolorem capitis, quo nunc perturbor, non hunc hominem, quem nunc tango, seu video, non hominem in hoc cubiculo existentem, non illum, qui me iter facientem amice hospitatus est, non Socratem, seu Platonem, non hominem mihi amicum, sed hominem, cuius existentia ad nullum certum subiectum contrahitur, neque ex aliqua condicione signatur. hæc perceptio ideo priori quadam ratione Cogitatiuæ virtuti est propria, quoniam non tantum ex cognoscendi modo illi conuenit, sed etiam ex rei cognitæ gradu, quem inferiores virtutes nulla ratione attingunt. Sciendum tamen est, eandem cogitativam plura præterea percipere, quæ ex nullo seu modo, seu gradu ab imperfectioribus cognosci possunt, ideoque illi propria sunt non tantum ratione modi, & gradus, sed etiam ex rei cognitæ natura. talia videntur esse materia prima, formæ omnes substantiales, prout singulis insunt, præcipue vero ipsæ humanæ animæ. neque enim horum aliquod ab inferioribus virtutibus cognoscentibus aliqua ratione percipitur. hæc tamen ex aliorum sensibilibium copulatione, seu disiunctione determinate etiam, ac indeterminate respici possunt. unusquisque enim libere attendit suam animam, istius, vel illius hominis animam, Socratis animam, & amici animam, & ipsam humanam animam omnino indeterminate.

Tunc igitur obiecta cogitatiuæ omnibus rationibus propria erunt, cum hæc, quæ ex Naturæ ordine illi sunt propria, percipiuntur omnino indeterminate, & respectu Naturæ non vniuersalis, & quatenus est communicabilis, (nam hæc rationi sunt propria) sed communiter, & quatenus est actu communicata. Sicuti autem cogitativa, dum associatur imperfectioribus cognoscendi virtutibus, deflectitur ad magis corporea, ita, quatenus copulatur intellectui, illius viregitur non tantum ad vniuersalia, ac ad omnium sensibilibium naturas, essentiasque, sed etiam ad mentem ipsam sibi inhærentem, necnon ad intellectus in se manentes, ac ad ipsum Deum Opt. Max. Et hæc quidem certas etiam rationes obijciunt eorum, quæ circa propositionum, ac discursuum differentias, vsusq. præcipuos in eisdem logicis demonstrata sunt. patet siquidem, propositiones omnes essentielles, ac necessarias, quæ omnino abstracte concipiuntur,

Fff ij suntq.

suntq. uel per se notæ, uel demonstrabiles, intellectui ascribendas esse. Experimenta, quæ respiciuntur non abstracte, sed absque ulla temporum differentia, & inductione firmari solent, deberi simplici cogitatiuæ: coniecturas, quæ futura, ac remota respiciunt, probabiliq. syllogismo innituntur, cogitatiuæ, ut adhæret æstimated: historicas perceptiones, quæ præterita respiciunt, & sensuum certitudini innituntur, cogitatiuæ, ut adhæret memoriæ: comprehensiones, quæ circa præsentia ut passibilia uersari solent, & perspicaciæ uia de deceptione tutæ redduntur, cogitatiuæ, ut adhæret phantasiæ.

Cognitionum etiam extensiones, directiones, obiectiones, excitationes, & cognoscendi modi pluribus similiter virtutibus simul ascribendi erunt. perceptio enim scientifica contracta ad particularia certa, aliqua ratione determinata tribuenda est tam rationi, a qua extenditur, quam cogitatiuæ, & sensui interiori, ad quem perducitur. Idem, easdemq. ob causas sentiendū est, circa directiones, obiectiones, excitationes, ac cognoscendi modos. directiones tamen, & extensiones semper a perfectioribus virtutibus oriuntur, tenduntq. ad minus perfectas obiectiones, ac excitationes. cognoscendi modi e contra. imperfectiores enim perfectioribus obiecta obijciunt, ac easdem excitant, cum ab illis neque excitentur, neque propria obiecta recipiant, licet ad illa dirigantur. historicus etiam cognoscendi modus, in quo nulla ratio exquiritur, præstantioribus etiam perceptionibus aptari poterit, cum historica, ut historica, nullum præstantiorem modum admittant. dum vero imperfectiores virtutes extendunt propriam vim ad confirmationem eorum, quæ præstantioribus sunt propria, quatenus primo loco exercentur, afferent simplicem dispositionem ad præstantiora: quatenus sequuntur, non pertinent ad veritatis confirmationem: sed pariunt veritatis perceptæ plenioris inhumanationem. nam ea, quæ exēpli gratia demonstratiue probata sunt, si confirmentur inductionibus, experimentis, coniecturis, exemplis, ac similitudinibus, omnem animæ partem utcumque replent. Ipsius vero intellectus vis interius attingit cogitatiuam, æstimatediam, memoriā, ac phantasiā. nam præstantiori quadam ratione spiritales sunt. Sensum autem communem, sensus exteriores, ac imperfectissimum Naturæ sensum attingit non interius, sed exterius, accepto usu sensuum interiorum, & phantasiæ præferentiam. hæc enim respectu huius ordinis præstantioris in ascensu occurrit prima, & in descensu postrema. Quapropter, sicuti minist-

rio

rio imperfectiorum sensuum externa omnia percipit, & præstantioribus obijcit, ita præstantiorum omnium vim colligit, eandemq. ad imperfectiorum sensuum directiones transmittit. Easdem ob causas sensus interiores, ac perfectiores, interno perceptionum habitu decorari possunt, quod imperfectioribus negatum est. nam amoris sensibilibus nihil cognoscunt.

*De primis humanæ animæ perceptionibus, ex quibus deducitur vis humanæ industriæ.*  
Cap. V.



ED acuratius perscrutandum est, quibus nam initijs, & quam serie humanus intellectus, qui (ut ex prima scientia nouimus) in prima sui creatione destitutus est omni intellectuali idea, ac intelligibili, simulq. humanus sensus excitentur, ac roborentur ad decentissimos usus humanæ industriæ. id ut recte fiat, accipiendum est, singula solius Naturæ vi impelli ad proprium opus, ideoq. hominum unumquemque eadem Natura dirigente, ac duce, omnia circumspicere, ac pro viribus experiri. hinc deducuntur perceptiones, seu comprehensiones, quæ primæ, ac confusæ appellari solent. nam carent omni ordine, ac distinctione. hæc uerissimæ, ac certissimæ sunt. nam ob simplicitatem neque ex opposito oppugnari possunt, neque falsitatem interius admittere, & primis, purissimisq. ueritatis diuinæ irradiationibus confirmantur, pendentq. ab eisdem, quæ ad omnia pro singulorum captu extendi solent. Quamuis autem hæc primæ perceptiones tam respectu ueritatis, quam respectu certitudinis, perfectissimæ sint, conuincanturq. ob id intellectualis hominis naturæ, ac diuinæ ueritatis irradiationes: præstantiorem tamen perfectionem admittunt, ordinem scilicet, ac distinctionem, quibus destituuntur. quod corporeæ uirtutis, ipsius scilicet cogitatiuæ, concursus demonstrat. eadem signis, ac uocibus certis exterius proferri, ac exprimi possunt. quod eundem concursus arguit. uoces enim significantes, quatenus ueritates exprimunt, intellectualem naturam sapiunt. quatenus uero id sonis, ac uocibus præstant, sunt corporeæ, & a corpore pendent. Diuinæ uero ueritatis irradiationes mentibus nostris iniectæ, ad confirmationem ueritatum simplicium, ac indemonstrabilium, uerbis exprimi non possunt, quoniam nihil corporeum continent. Itaque perfectissimæ sunt, nec tantum respectu

respectu veritatis, ac certitudinis vt confusæ perceptiones, sed absolute, nam vltiorem perfectionem non admittunt. Ex his intueri licet, quam sint firma, simulq. admirabilia humanæ industriæ, humanarumq. artium principia, ac elementa, confusæ quippe perceptiones in proprio gradu perfectæ, sed præstantiorum perfectionum capaces, quatenus perfectionem admittunt ad humanam industriam constituendam, fundamenti partes sustinere possunt. quatenus autem ex proprio gradu perfectæ sunt, has partes perfectissime sustinent, humanamq. industriam respectu fundamenti ad veram perfectionem deduci posse demonstrant. quod altera harum condicionum ablata, exhiberi non posset. Ipsæ vero diuinæ veritatis irradiationes, quibus confusarum veritas, ac certitudo ascribenda est, quatenus nullam perfectionem admittunt, efficientis causæ munia exercere possunt. quatenus sunt perfectæ, hoc quam rectissime præstant, ideoq. non tantum primas nostras apprehensiones ad decentissimam perfectionem deducere possunt, sed præstantiores etiam superaddere ad totius humanæ scientiæ, ac industriæ consummationem. quod illis nequaquam datum esset, si aliqua harum condicionum deesset. nam, quod imperfectum, & primum est, quatenus imperfectum, neque seipsum perficere, neque propria munia perfecte exercere potest: quatenus vero est primum, aliena vi non perficitur. nam principia, cuiuscumque sint ordinis, ab alijs eiusdem ordinis pendere non possunt.

Perfectiones autem, quæ addendæ sunt confusis perceptionibus iam respectu veritatis, ac certitudinis perfectis, sunt plures, inter quas primum locum sibi vindicant facilitas, ac promptitudo. plura namq. vere, ac certe percipiuntur, quæ neque facile, neque prompte occurrunt, sed cum aliqua hæsitatione ad vsum deduci solent. his accedet decens earundem perceptionum associatio, ex qua prima veritatum determinatio deducenda est. patet enim ex talium obiectione internam hominis vim ad illarum seu veritatem, seu falsitatem attingendam dirigi, ac reliquis prætermisissis, his tantummodo incumbere.

Tunc vero animæ humanæ impulsus, qui respectu cogitatiuæ omnino stupide exercentur, exposcunt clariora veritatis lumina, vt tute asseri possit, hæc esse seu per se nota, ac euidentia, seu non per se nota, sed probatione indigere. hæc autem clariora veritatis lumina, quibus anima redditur ita firma, vt quam tutissime discernere possit,

possit, quænam sint per se nota, & quænam aliqua indigeant probatione, inexplicabilia similiter sunt, seu certe ad inexplicabilia magna ex parte deduci possunt. si enim vniuscuiusque iudicij principia exprimi possent, singula eandem censuram semper expolcerent, resq. procederet ad infinitum. Euenit igitur, vt humanarum cognitionum aliquæ illam etiam perfectionem adipiscantur, qua euidentes appellari possint. at, quoniam id non conuenit vnicuique, sed quamplurimæ pluribus rationibus, ac medijs firmandæ sunt, ipsa humana anima necessario perducitur ad actum ordinis tertij, in quo certos conatus, certa q. experimenta exercet, vt circa ambigua recte affirmare, seu negare possit. Et hi quidem actus, discursuum nomen obtinere. Inter hos admittendi sunt quidam discursus certi, ac faciles, quibus anima eadem ratione assentiatur, qua assentitur propositionibus per se notis. neque enim cognitionum modi aut ad infinitum deduci, aut conuenienti certitudine, perfectioneq. carere possunt. hi vero ad pauca, ac faciliora, vim habent, simulq. quod summe optandum erat, ad dijudicandos ceteros discursus, qui circa difficiliora exercendi sunt. Id dum actu præstari potest, iam animæ nostræ actio, veræ, ac formatæ industriæ rationem admittit, & a naturali operandi modo omnino recedit. nam circa ea versatur. quorum ratio vndequaque explicabilis est.

Quibus autem impellentibus, & quam sollicitudine hominum industria iam ad propriam formam deducta, diuinæ veritatis luminibus non deficientibus, seipsam perficere possit, & debeat, alio contemplationis vsu cognoscendum est. hæc tamen vt cumque percepimus ex his, quæ habentur in nostrarum Contemplationum exordio, & in alijs, quæ hactenus speculati sumus. cetera ex actuum humanorum directrice philosophia deducenda sunt.

*De præfagijs, prænotionibusq. multiplicibus, quæ ab homine exerceri possunt.*  
Cap. VI.



**E**A, quæ ab hominum natura, communiori ratione cognosci possunt, sufficienter, ni fallimur, explicata sunt. nunc nonnulla proponenda erunt, quæ pertinent ad eiusdem vim præfagiendi, ac prænotandi, seu vaticinandi. Accipimus, Deo omnia præsentia, atque aperta esse: arcanorum plurima abstractis intellectibus communicari: cælestium.



cælestium sphaerarum vnamquamq. diuina virtute repleti, certoque abstractorum intelligibilium ordini proportione aliqua respondere. accipimus etiam, illustrationes abstractorum intelligibilium, ipsiusq. Dei Opt. Max. perducere ad humanam animam superiora respicientem: influxus autem, ac virtutes corporum cælestium tangere corporea omnia, præstantioresq. hominum sensus, atque etiam vtrumque immutare. his sic acceptis, deduci videtur, hominem futura, & cetera occulta, aliquo pacto præfagire, ac prænoscere posse, taliumq. præfagiorum, ac prænotionum causas efficientes esse Deum Opt. Max. atque intellectus abstractos, necnon cælestia corpora: recipientes uero, hominis intellectum, ac hominis phantasiam vna eum alijs tum perfectioribus, tum imperfectioribus sentiendi virtutibus. Intellectus Deo, atque abstractis substantijs primo subijciuntur: phantasia vero, ac reliqua eiusdem ordinis, cælestibus influxibus. sicuti enim cælestium corporum vis humanam mentem immediate attingere non potest, ita abstracti intellectus, nisi fortasse noua aliqua ratione exercentur, sensus primo attingere credendum non est. vtraque tamen vis humanam animam vere attingit. nam hominis anima vere est vna, ideoque, quacumque ex parte attingatur, tota excitatur, tuncq. singulæ illius virtutes diriguntur ad propria. phantasia siquidem imaginem aliquam concipiente, consequenti ratione memoria similia prius percepta in medium adducit: æstimatiua circa eadē coniectatur: cogitatiua ex experimentis discurret: ipsaq. demum mens contemplatur uniuersalia, eisdem consona.

Contra etiam dum animæ motus incipit ab intellectu, inferiores virtutes eiusdem motus vim percipientes intuentur, prout unicuique conuenit, quæ ad rem faciunt, ac ea menti subijciunt. Quod si anima utraque ex parte simul attingatur, & ad idem moueatur, illius perceptio erit longe uelocior, ac firmior. Et id quidem sæpe euenire credendum est, non semper tamen. nam in prima scientia demonstratum est, Deum Opt. Max. agere non ex Naturæ necessitate, sed omnino libere, naturamq. abstractorum intellectuum talem esse, ut ex recto, seu deprauato propriæ libertatis usu possint & ad Deum conuerti, & a Deo auerti. Abstractorum igitur attractus ad tres præcipuos ordines deducendi erunt. Primus eos complectitur, qui cælestibus influxionibus omnino sunt consoni, neque continent singulare aliquod ob certam Dei seu reuelationem, seu permissionem. Secundus eos, qui Deo Opt. permittente oriri possent ab intelle-

ab intellectibus deprauatis, ac a Deo auersis. Tertius eos, quos exercet Deus Opt. Max. seu immediate, seu per intellectus sibi adhærentes, ad præstantiora quædam dona hominibus elargienda.

Horum vnumquodque exerceri potest vehementius, ac remissius, continetq. priori quadam ratione extensionem seu potentiam, seu sapientiæ, seu bonitatis, pro diuersa intellectuum abstractorum virtute. eadem etiam ascribi poterunt animæ, phantasiæq. recipienti. nam purior anima longe facilius admittit cælorum influxus, ac abstractorum intellectuum illustrationes: impurior vero difficilius. vitiorum namque perturbationibus exagitata alienas impressiones non admittit, puriores præsertim. Idem illis euenire credendum est, quorum animales spiritus ex naturali temperamento crassiores sunt, quiq. etiam eandem ob causam raro, vel numquam somnari solent. Non dissimili ratione quidam homines subijciuntur sapius his intellectuum abstractorum illustrationibus; nonnulli excitantur potius ob solos cælorum influxus; aliqui præfagiunt tantum; (nam cælorum vis attingit magis externas animæ virtutes, mouentes scilicet seu appetentes, non autem cognoscentes. ideoque, qui præfagiunt, non intuentur aliquam certam imaginem rei euenturæ, sed ex vehementi aliqua fiducia ex interno motu concepta impelluntur ad aliquid seu prædicendum, seu fortiter agendum) quidam auspiciantur. nam cognoscentes etiam illorum virtutes tanguntur quibusdam sensibilibus medianibus, quæ certum aliquod demonstrare, ac prænuntiare videntur, seu obscurius, seu minus obscure. Aliqui prænoscent rationibus longe firmioribus, ac clarioribus, quamuis nonnumquam in somno tales actus experiri soleant, cum præfagientes, & auspiciantes semper in vigilia illuminentur.

Præstantiores vero prænoscenti rationes similiter plures gradus admittunt, recteque, ni fallimur, ad senarium numerum deduci poterunt, qui tamen duplandus erit, prout ea, quæ occurrunt, obijciuntur seu dormientibus, seu etiam vigilantibus, sed interius summe quiescentibus, quod animam puriorem arguit. Primus exercetur per imagines, ac simulacra obscuriora, & aliquanto confusa, quæ tamen aliquid indicare videntur. Secundus exercetur per simulacra optime disposita, ac valde clara. quæ etiam longe facilius interpretantur. Tertius obijcit simplicem intuitum futurorum, seu occultorum: ea enim ratione interius pingit res futuras, seu occultas,

vt nullam interpretationem exquirant. hi tres prænoscenti gradus; qui tam in somno, quam in vigilia, sensibus quiescentibus, ac interiorius contractis exerceri possunt, versantur circa communiora, ac simpliciter humana. Reliqui, qui ob eandem causam duplandi sunt, singulare, ac diuinum aliquod continere videntur. quartus enim obijcere solet aliquem admonentem, seu docentem, ita tamen, vt admonitiones, seu doctrinæ apertæ non sint, sed parabolas; ac simulacra contineant, quæ interpretationem requirunt. Quintus in eo tantummodo a quarto differt, quoniam imagines clariores continet, ideoque faciliorem interpretationem admittit. Sextas manifeste proponit rerum magnarum, ac diuinarum imagines, hominum videlicet insignium, seu Angelorum, qui aperte doceant, seu futura, & occulta pronuntient.

Silentio autem demandandum non est, euenire nonnumquam, vt illi, quibus obijciuntur visiones, vaticinia continentes, careant interpretandi virtute. e contra, dantur alij, qui nihil horum intueri solent, sed interpretandi munere decorantur. quibusdam tamen vtrumque conceditur. Inter illos etiam, qui in vigilia constituti talia experiuntur, quidam, nisi sensus diutius retrahant, nihil vident. in quibusdam autem vaticinandi vis ita excellit, ut ex breui tantummodo sensuum contractione, ac repressione perducantur ad visiones.

*De humani intellectus, ac cogitatiuæ affectu, affectusq. partibus, deq. trium superiorum obiectis, finibus, conquiescendi rationibus, ac appetendi modis. Cap. VII.*

**A**FFECTIIONIS cogitatiuæ deseruentis dignitas, ac officium ex cogitatiuæ dignitate, ac muneribus colligenda sunt. Quemadmodum igitur humani intellectus vis, cogitandi virtuti præcipue adhæret, ita intellectualis affectio, quæ voluntatis nomine insigniri solet, infigitur cogitatiuæ affectioni, (quam humanam denominabimus) simulq. omnes illius actus concomitatur. hi vero necessario extenduntur ad omnia tam sensibilia, quam intelligibilia, quatenus affectionem excitare possunt. nam vnicuique cognoscendi modo certa appetendi ratio conuenit, haud secus, quam vnicuique cognoscenti virtuti propria appetendi virtus adhæreat. Intelligibilia sunt ipse  
humanus

humanus intellectus, & quæ ab illo scientifice percipiuntur: abstracti intellectus, & quæ ab illis referri possunt; & Deus Opt. Max. & quæ a Deo reuelantur. Sensibilia autem distinguenda sunt ex sentientium virtutum ordinibus. quapropter illorum quædam respiciuntur solitarie ab humano affectu, quædam non solitarie, sed concomitantibus affectibus sensuum imperfectiorum, qui duorum ordinum sunt. quidam enim interiorius admittunt humanæ affectionis vim, vt illi, qui ministrant æstimatiuæ, memoriæ, ac phantasiæ. quidam vero non interiorius, sed exteriorius tantum, cuiusmodi sunt affectus sensus communis, sensuum exteriorum, & imperfectissimi sensus. phantasiæ vero affectus postremus recipiet voluntatis impulsus, sicuti phantasiæ sensus rationis vim vltimo loco admittit, similique ratione, phantasiæ appetitu certum aliquod prosequente appetitus sensuum imperfectiorum, prout vnicuique conuenit, ad idem ferrentur, sicuti phantasiæ sensu certum aliquod concipiente, sensus imperfectiores deflectuntur ad ea, quæ his consona sunt. hæc tamen obsequia ab imperfectissimo Naturæ sensu non raro negari solent, non quia ex propria vi phantasiæ affectui aduersari aut velit, aut possit, sed quoniam longe firmioribus legibus deuincitur, quæ non patiuntur eum a famis, sitis, dolorisue sensu omnino recedere, sed ipsam potius phantasiam ad eadem vt in pluribus coercere solet. Affectiones igitur, quæ humanarum vocem decenter sustinent, ad septenarium numerum recte, ni fallimur, deduci poterunt, tres videlicet, qui intelligibilia intuentur, quique uoluntati primo, humanæ vero affectioni consequenter ascribendi sunt, ideoque superiores appellari poterunt. & quattuor, qui humanæ affectioni primo, uoluntati vero consequenter videntur aptari. horum tres dicendi erunt inferiores, quoniam imperfectiorum uirtutum associationem exposcunt. quartus uero est simpliciter humanus, constituiturq. medius inter superiores, ac inferiores. Obiecta, fines, conquiescendi rationes, ac appetendi modi, trium affectuum ordinis inferioris facile deducuntur, ex his, quæ superius demonstrata sunt circa affectus phantasiæ, memoriæ, ac æstimatiuæ, ut aptantur brutis animalibus. hi enim ut humani sunt, ex eo tantummodo differunt ab affectibus brutorum, quoniam ex accessu tam rationis, ac cognitionis, quam voluntatis, ac humanæ affectionis longe præstantiorem statum adipiscuntur. Nostra igitur contemplatio dirigenda erit ad obiecta, fines, conquiescendi rationes, & appetendi modos, trium affectuum  
Ggg ij præstan-

præstantiorum, & illius, qui simpliciter est humanus, accepto exordio ab his, quæ aptantur affectui omnium præstantissimo. hic versatur circa Deum Opt. Max. tamquam circa proprium obiectum. Illius finis sumendus non est ex aliquo hominis Deum amantis bono, seu oblectamento: neque enim Naturæ ordini consonum est, ut imperfectum perfectissimum respiciens, illud ad proprium commodum dirigat: non ex ipsius Dei bono, nam Dei bonum summum est, ideoque neque augmentum admittit, neque diminutionem patitur: non ex aliqua congratulatione, quæ ob summam Dei felicitatem ab homine exerceatur. nam congratulatio numquam finis partes admittit, sed quandoque finis adeptionem, quandoque affectus actum simpliciter concomitatur. Itaque, licet huic affectui vere inesse possit non ob nouam adeptionem, nam Dei bonum nouum non est, sed quoniam dirigitur ad illud, quod est summe beatum; illius tamen finis non est. relinquitur igitur, talem finem accipiendum esse vel ex adhæsiōe, vnioneue, qua diligens dilecto quamartissime coniungi, ac copulari potest, vel ex ipsiusmet amoris actu. qui eiusmodi est, ut adhæsiōem appetens, ea aliqua ratione fruatur, vel etiam ex vtroque. nam, si attendatur vltimus finis, asserendum erit, hunc nihil aliud esse, quam Deo adhærere.

Sin autem respiciatur finis, qui conuenit hominibus, dum corruptibilibus corporibus adhuc vtuntur, sentiendum potius erit, ipsiusmet amoris actum finis partes decentissime sustinere. Et hæc quidem summe consona sunt admirabili Dei prouidentia, ac Naturæ ordini. cum enim neque vnio, neque diuisio, quatenus ab homine vtrumque pendet, absque aliqua affectione dari possint, decuit, ut simplicissima, ac nobilissima hominum affectio ex proprii actus usu ad finem tenderet, recteq. ob id etiam seipsam, tamquam eiusdem sui actus finem interim respicere posset. Conquiescendi igitur ratio deducenda erit ex huius actus usu perenni. tunc enim affectio vnaquæque summe conquiescit, dum in eo persistit, quod primo exoptat. Modus vero, quo præstantissima hæc affectio exerceri solet, deducendus fortasse erit ex constanti sui amabilis intuitu, & ex huius amoris amore, simulq. ex perenni eiusdem intensiōe. sed rimendum est, ne horum doctrina nostræ huius contemplationis limites transcendat. nam plenior talium explicatio longe firmioris, ac præstantioris luminis vim exposcit.

Secunda affectio ordinis superioris versatur circa Angelos, ac bea-

tas

tas animas. illius finis rationibus iam constitutis accipiendus erit non ex bono hominis, seu ex ipsorum Angelorum, qui summa beatitudine quamturissime fruuntur, non ex congratulatione ob bonum ab ipsis Angelis adeptum, sed ex certa quadam associatione, quam inferior respectu superiorum, ac digniorum assequi potest. hæc nempe, licet non inducat internam copulationem, ac adhæsiōnem, quæ Deum tantummodo respicit, eam tamen vnionem perficit, quæ ab horum ordinum creaturis admitti potest, homine præsertim hoc in statu constituto. neque enim ambigendum est, quin harum associationum rationes in perfectiori animæ nostræ statu, longe præstantiorem gradum sint adepturæ. interim tamen ex quocumque huius societatis usu hic affectus summe conquiescit. nam eo fruitur, quod prosequitur. Modus vero, quo idem affectus proprium prosecutionis actum exercet, ni fallimur, colligendus erit ex contemplationis ui, quæ talem actum associat, & tam horum spirituum, quam dictæ societatis præstantiam assidue intuendam obijcit. appetitus enim proprium prosequens bonum, semper sui ordinis perceptionem exercet, atque ex illius adiectione firmatur, ac roboratur. Affectio humana tertia eiusdem ordinis superioris respicit animæ partem superiorem corpori adhuc adhærentem. illius finis constituendus quidem est ex aliqua vnione, sed non ut in duabus præstantioribus amantis, & amati. superior enim & inferior animæ partes, vel vnum, atque idem sunt, vel essentialiter copulantur, neque ex noua affectus prosecutione sunt annectendæ. hæc igitur unio attendenda erit respectu perfectionis, quæ rationi deest, & ab ea summe expetenda est. Itaque affectus, qui circa illam sese exercet, si Naturæ sequatur vim, nihil rectius illi optare potest, quam propria perfectionis adeptionem. euenitq. ob id, ut omnes homines scire desiderent. Conquiescendi igitur ratio constituetur ex certo, ac pleniori veritatis intuitu. appetendi vero modus contemplationis perseverantiam exquiret. nam, sicuti veritatis perceptio sapientiæ amori pacem aliquam affert, ita sapientiæ amor ad contemplandum impellit.

De

*De affectus simpliciter humani obiecto, sine, conuiescendi ratione,  
& appetendi modo. Cap. VIII.*



**A**FFECTIO, quam ut ab alijs seiunctam simpliciter humanam appellandam, ac quartum dignitatis locum obtinere diximus, versatur circa cogitativæ obiecta propriissima, præcipue vero circa humanas animas corporibus adhuc copulatas, seu circa homines, quatenus homines sunt, ita tamen, ut singulos homines intueatur. Quid autem ab illa hominibus, quos omnino indeterminate respicit, optetur, ac tamquam proprium bonum exoptatur, tribus animaduersis, recte, ni fallimur, attingemus. Primum est, hoc bonum necessario sensibile esse. Secundum ab ipsa tantummodo cogitativa cognosci, ac sentiri. Tertium, illud vnicum esse, neque essentialiter distinguere posse.

Requiritur, ut sit sensibile, quoniam aptatur parti animæ, quæ si in seipsa consideretur, uere & sensitivam exercet virtutem, & sensibilis est. requiritur, ut percipiatur ab ipsa tantum cogitativa, non autem ab alijs virtutibus sentientibus. nam cogitativa tantum propriam animæ humanæ singularitatem attingit, ideoque ipsi etiam tantummodo illius proprium bonum percipere datum est. requiritur, ut sit vnius naturæ, quoniam hæc animæ humanæ pars, vnica ratione respicitur, quatenus scilicet est humana. Itaque illius bonum, siue paucis, siue pluribus, siue omnibus hominibus insit, vnicam rationem ex necessitate retinet. his sic acceptis, colligere licet, humanum bonum sumendum esse ex ipso actu eiusdem simplicis affectionis humanæ, neque aliud censei posse, quam ipse usus humanæ affectionis, quæ dum versatur circa homines, quatenus homines sunt, ex propriissimo sui actu nihil aliud illis exoptat, quam ut singuli eandem humanam affectionem exercentes, eandem omnibus similiter optent. Talis humanarum affectionum usus, atque extensio vere sensibilis est, & a sola cogitativa sentitur. eadem etiam vnius, ac eiusdem naturæ est, licet a pluribus exercentur, & ad plurimos extendatur. illius enim termini semper eiusdem penitus naturæ sunt, siue in paucis, siue in multis, siue in omnibus hominibus reperiatur.

Quamuis autem etiam cogitativæ perceptio sensibilis sit, ac a sola cogitativa similiter sentiri possit, ipsa tamen cogitatio ad plurima essentialiter

essentialiter extendi solet, quæ illam a seipsa non parum diuersam reddunt. Itaque sustinere non potest locum illius boni, quod humana affectio respicit. præterea cogitationis finis est cognitio, quæ respicit non bonum, sed verum, cuius perceptio, quatenus sentientibus virtutibus primo aptatur, ex se expetibilis non est, sed ex eo tantummodo, quod vel scientificis virtutibus, vel actionibus deseruit. rerum enim experientia ceteris longe præstantior, inutilis, ac uana est, nisi dirigatur seu ad scientiæ, seu ad actionis usus. ceteræ versantur circa sensibilia certa, ac determinata, quæ infinita censentur, neque minima quædam illorum pars ab aliquo homine cognosci potest. quapropter, si horum perceptio ex sui natura, ac simpliciter expetibilis esset, nullus hominum proprium bonum assequi posset. Humana vero affectio eo pacto desideratur, ut & aliarum, & ipsius appetentis bonum in ea præcipue constituatur. reliqua enim imperfectiora ex huius virtute pendent, ideoque, quatenus diligantur, ex eo præcipue diliguntur, quoniam huic seu consentiunt, seu ministrant. Itaque decentissime humanitatis, seu humanæ caritatis vocem consecuta est. nam respicit, & amplexatur omnes homines, ac hominum vnumquemque, prout homines sunt. huic siquidem tribuendum est, ut homines, hominem numquam alias visum respicientes, humanitatem erga illum exercere velint. ex quo clare testatum reddunt, se diligere omnes homines, quatenus sunt homines: humanæ quippe affectionis, ac humanæ cognitionis ordines commutari videntur. in cognitione enim determinatorum perceptio dirigit ad perceptionem indeterminatorum. in humanæ autem affectionis actu, indeterminatorum amor ad determinatorum dilectionem nos cogit. patet siquidem, eum, qui erga homines omnes indeterminate, ac quatenus sunt homines, humane non afficitur, certum hominem repente oblatum humane non prosequi, neque ab eodem eandem humanitatem optare. ratio, ob quam hæc affectio conuiescit, deducenda est non ex aliqua interna obiectorum adhesionem, ut imperfectissimo Naturæ appetitui conuenit; non ex libera obiectorum sensatione, quod sensuum exteriorum affectibus proprium est; non ex obiectorum usu non perturbato, ut sensus communis affectus; non ex certa obiectorum immutatione completa, & firmata, ut phantasiæ affectui euenit; non ex priorum bonorum a fraude tutatione, ut memoriæ affectus; non ex eorundem ab omni uiolentia defensione, ut affectus æstimatorum: sed ex longè.

longe præstantiori ratione, quæ eandem proportionem ad alias habet, quæ datur inter hunc, & alios affectus imperfectiores. hæc autem est priorum bonorum, prout illis conuenire potest, status indeficiens. Itaque homini satis non est, collegisse frumentum ad diurnum, uel etiam ad annum uictum, huncq. munijse ab omni fraude, ac uiolentia, sed agrum præterea exquirat, qui singulis annis ex noua segete triticum ad uictum necessarium abundanter suppeditet. Tunc igitur humana affectio uere, ac plene conquiescet, cum conspiciet humanæ caritatis usum, & cetera, quæ illi annectuntur, eidemq. præfunt, ita confirmata, ut nulla illorum deficiencia recte timeri possit. Hæc uero quies terrenæ felicitatis uoce decentissime decoranda erit: complectitur enim uim indolentiæ, uoluptatis, exhilarationis, delectationis, relaxationis, ac exultationis, & harum unamquamque ad decentem consummationem perducit. Sciendum tamen est, quod, sicuti cogitativa ad scientificam perceptionem, & cognitionum omnium consummationem, proprijs quidem uiribus uidetur dirigi, sed hæc proprijs uiribus adipisci non potest. nam ad scientificam perceptionem requiritur uis intellectus, ad perceptionum uero consummationem desiderantur abstractorum intellectuum allocutiones, ac diuinæ reuelationes: ita affectio simpliciter humana humanam quidem felicitatem ex propriæ uirtutis impulsu exoptare potest, sed eam nullo pacto attingere absque concursu rationalis appetitus, neque uere assequi absque accessu duarum affectionum, quæ in præstantiori ordine priores constituuntur. has igitur ob causas, atque etiam, quoniam unusquisque appetitus cognoscentem uirtutem, cui adhæret, excitare solet, ac debet, appetendi modus, huic proprius sumendus erit ex assidua cogitatione, ac meditatione, atque ex ea præcipue, quæ uersatur circa huius affectionis finem, media, ac modos, qui ad finis adeptionem conferre possunt. Itaque amota meditatione, & inquisitione finis, mediomm, ac modorum ad finem deducetium, humanæ affectionis actus simul amouetur. hoc autem imperfectiorum affectionum humanarum nulli essentialiter conuenit. licet enim illarum bona certis quibusdam medijs, ac modis prosequi soleant, horum tamen perceptio, ac prosecutio ex humanæ affectionis, seu cogitationis accessu tantummodo pender. quo si destituantur, brutali ratione, ac stupide exercebuntur.

Recte igitur ipsa humana affectio, quæ omnem stupiditatem expellit,

pellit, industriæ, ac consilij radix, & fons appellari poterit, cum præferim a uehementiori cogitandi actu seiungi non possint actus rationis, ac intellectus, seu imperfectiorum sensuum, quatenus propositis deseruiunt. Exequendi potentia huic affectui ministrans, atque etiam ceteris præstantioribus, erit ipsa fermocinandi uis. hæc enim non dissimili ratione uersatur circa omnia, & ad omnes homines extenditur, non tantum præsentibus, sed absentibus, ac futuris, dum scriptis exercetur: quin ad Deum ipsum Opt. Max. ac ad Angelos perducitur potest. Hæc cognoscendi, appetendi, ac exequendi uirtutes, hominum speciem tantummodo constituunt, nam inter corporeas perfectissimæ sunt. Summus uero perfectionis gradus sicuti est unicus, ita unicam speciem parit, neque pluribus specie distinctis aptari potest.

*Quousque, & quo pacto ea, quæ homini interna sunt, humane rationi subesse, ac præesse possint.* Cap. IX.



RECURRIMVS corporum generabilium, ac corruptibilium species omnes, singularumq. proprietates, ac partes scrutati sumus.

Igitur, ut nostra hæc contemplatio, uti conuenit, consummetur, demonstrandum est, quam ratione, & quousq. corpora, ac corporea omnia, hominiq. tam interna, quam externa, humanæ rationi seu ex Naturæ ordine subijci, seu præter Naturam præesse possint, simulq. aperiendum, quibusnam ex causis humani arbitrij exercendi campus ea ratione hominibus pateat, ut ab eo uniuersi seu corporei, seu intelligibilis ordo, ac pulchritudo perturbari, seu dehonestari non possint. his autem recte perceptis, simul ea omnia patere poterunt, quæ præterea ab hac contemplatione expeti debent circa corporum bonum per hominem, & in homine ab illis adipiscendum, necnon quam ratione ipsa sibi inuicem seu consentiant, seu aduersentur.

Exordiamur ab internis. nam per hæc, externa moderanda sunt. Præcipue autem statuendum est, ab homine, seu in homine tres præcipuas directiones exerceri posse, rationalem scilicet, quæ pro obiectorum differentijs quandoq. mentalis, quandoq. simpliciter discursiua appellari posset: sensitiuam superiorem, & sensitiuam inferiorem, quæ fortasse in directionem animalem, seu cordis, & in natura-

turalem iterum distinguenda est. Rationalis directio continet impulsus intellectus, seu mentis, quæ ex eo tantummodo spirituum corporeorum usum exposcit, quoniam sentientes, & appetentes virtutes illius vi dirigendæ, talium spirituum vim requirunt, neque absque decenti cogitativæ accessu proprium dirigendi actum exercet. Directio sensitiva superior, æstimativæ, memoriæ, phantasiæ, & sensus communis superioris, ut appetunt, vim effundit, utiturque ministerio spirituum puriorum, quatenus per sensuum organa præstantiorem depurationem sunt consecuti, & rationis vim longe promptius concipere solent. Directio sensitiva inferior pendet à sensu communi, ac a ceteris sensibus imperfectioribus, quorum aliqui crassioribus, ac impurioribus spiritibus innituntur, pariuntque proprii ratione Naturæ directionem, ut Naturæ sensus, tactus, & gustus: aliqui exposcunt usum spirituum puriorum, licet non summe depuratorum, ut olfactus, auditus, visus, sensus communis inferior, ac illorum affectus, ex quibus animalis, seu cordis directio effluunt. Rationalis directio ex Naturæ dispositione ceteris omnibus præest. nam perfectissima est, & intelligendi virtuti aptatur, quæ cum sit propriissima hominis forma, omnium humanorum actuum moderationem, ac directionem exercere debet, ea tamen ratione, ut imperfectiores directiones non repellantur: quandoque etiam illis primæ partes libere concedantur, dum scilicet seu ob ætatis defectum, seu alias ob causas directio rationalis exerceri non potest. diuina siquidem prouidentia constitutum est, ut, directionibus præstantioribus deficientibus, imperfectiores, prout unicuique conuenit, munus moderandi sustineant. Itaque, dum homine dormiente cessant directio naturalis, sensitiva superior, & sensitiva inferior, quatenus animalem, seu cordis directionem exercet, sola Naturæ directio proprio muneri insistit, & præstantiorum omnium vicem utcumque sustinet. In vigilia etiam non dissimili ratione præstantioribus deficientibus, imperfectiores regiminis curam assument. Rationi vero proprio muneri insistenti, imperfectiora eo promptius, ac facilius obtemperant, quo sunt puriora, ac perfectiora. nam, sicuti diuinam Naturæ vim perfectius referunt, ita propensiora reperiuntur in obsequij exhibitione, quam corporea omnia ex communi rerum dispositione præstantiori hominis parti præstare debent. Cogitativa igitur inter corporea perfectissima rationis directioni, si adsit, promptissime obtemperare poterit, ac reipsa obtemperabit.

temperabit. illi enim ea omnia insunt, quæ obtemperandi actum quammaxime tutum, ac facilem reddunt, summa scilicet præparatio, ac propensio ad proprium actum, summa in agendo ab omni impedimento securitas, & summa indeterminatio in eiusdem actus usu. Neque vero in dubium reuocare licet, an hæc cogitativæ vere aptentur. nam vnusquisque experiri potest, cogitandi actum paratissimum esse, illum nulla impedimenta recipere, ideoque hominem vigilantem, ac nihil penitus cogitantem dari, seu impossibile, seu certe rarissimum est. Indeterminatio vero ideo cogitativæ conuenit, quoniam bonum, quod ab illius affectu respicitur, absque rationis usu, neque assequi, neque attingi potest. Itaque, dum proprium bonum non concipit, paratissimus cogitandi actus redditur omnino indeterminatus, ac ad obtemperandum summe propensus. Et hæc quidem experimento facile admodum confirmantur. nam, rationis directione deficiente, hominis cogitatio promptissime obsequitur cuiuscumque imperfectioris affectus imperio, ac iussionibus. Quod vero attinet ad imperfectiorum virtutum obtemperantiam, non dissimili ratione asserendum est, eas eo magis, seu minus rationali directioni resistere, quo magis seu minus a cogitativæ perfectione recedunt, amota præsertim affectuum perturbatione. nam, sicuti affectu quiescente spirituum vis semper ad magis interna dirigitur, ac cogitationi, rationique non parum fauet: ita affectibus ad actum vehementius deductis, omnis spirituum vis ad externa conuertitur, neque cogitativæ, seu rationi debita ministeria præbet. Itaque imperfectiores appetitus præter Naturæ ordinem illis aduersantur, ac præsumunt. Siquis autem rem totam accuratius animaduertat, facile percipere poterit, potentias, ac sensus imperfectiores duabus rationibus cogitativæ, ac rationi præesse. Prima est, dum cogitationis vim rationis directionibus destitutam, ad proprios usus deflectunt. Secunda, dum illarum actus comprimunt, ac extinguunt. primum conuenit virtutibus præstantioribus, æstimativæ scilicet memoriæ, phantasiæ, ac illarum affectionibus. his enim ut homini aptantur proprium est, rationis, ac cogitativæ vim interius admittere. Quæ propter, dum ratio, ac cogitatio vacant, eas facile diuertunt, & in proprijs obtinendis, illis tamquam ministris utuntur. Secundum sensibus imperfectioribus præcipue tribuendum est, dum ex vehementiori impulsu conuertunt ad inferiora non obsistentem phantasiæ vim, ac a superioribus omnino diuertunt. in utroque tamen

internas redargutiones non paucas adiungi necesse est. Deo enim totius Naturæ auctori præcipue curæ fuit, vt naturalis ordinis, nec non communis harmoniæ, ac decentiæ ratio ex communi rerum dispositione, quæ nobis indefinenter obijcitur, nostris animis infigeretur, neque latere nos posset, quid his consonum, vel dissonum sit, nec non quid a nobis, prout conuenit, interius sit amplexandum, seu declinandum. has igitur ob causas homines dum his mentis illustrationibus aduersantur, conscientiæ internæ stimulis vehementioribus exagitantur, in talium aggressionibus, ac perpetracionibus animi horrorem experiuntur, animaduertuntque, proprii corporis membra solitam obedientiam detrectare. Ex eisdem etiam effluunt erubescencia, dolor, ac pœnitentia quædam naturalis prauorum actuum: recte vero actorum gaudium, ac gratissima commemoratio.

*Qua ratione affectus imperfectiores, qui primo vigent in pueris, ac iuuen-  
culis non intercludant aditum perfectioribus, sed impellant  
potius ad illorum usus. Cap. X.*



**Q**VAMVIS autem imperfectiores animi affectus in pueris, ac iuueniculis ex Naturæ lege primo excitari soleant, ob id tamen non obsistitur excitationi, dominatuique affectuum præstantiorum, ac ipsius rationis. nam eiusdem Naturæ diuina vis hæc incommoda summe declinat, curatque, vt, nisi hominis culpa accedat, imperfectiora ad perfectiora impellant, præsertimque ad decentem rationis usum. etenim ætate procedente, qua præstantiorum virtutum conceditur usus, anima imperfectiora fastidians, atque etiam respectu perfectiorum ex Naturæ lege paruipendens, perfectiora auidius amplexatur. Infantes igitur dum in genitricis matrice detinentur, percipiunt sola oblectamenta imperfectissimi sensus, ac appetitus. Matris uterum egressi, per aliquod breue tempus præstantioribus sensibus ob nimiam humiditatem adhuc impeditis delectantur primo solo tactu, postea uero etiam gustu, quibus vehementius ducuntur. Iidem narium, aurium, atque oculorum usum recipientes maxima cum attentione, & delectatione odores hauriunt, atque illis, quæ auribus, oculisque gratiora sunt, diligenter intendunt.

Simili etiam ratione, dum sensus communis vis soluitur, simulque in illorum membra aliquantulum consolidantur, locorum præ-  
terea

terea mutationes appetunt, circumferrique exoptant, atque hæc tamquam perfectiora imperfectioribus præferunt. Phantasiæ uero usu accepto imaginibus delectantur, constructiones, prout ætati illi conuenit, aggrediuntur, atque in his ita detinentur, vt sæpe diutius neque loca mutant, neque aliud præterea exposcant.

Dum memoriæ accedit facultas, curam gerunt rerum suarum, reponunt plura, ac a fraude tutantur, hocque illis gratissimum est.

Ætate aliquantulum procedente, acceptoque usu æstimatorum virtutis delectantur sodalibus, laudumque, ac reprehensionum vim ita percipiunt, ut pro laudis adeptione, ac pro reprehensionis fuga, omnia sufferre velint. Post sodalium amorem præclaræ indolis adolescentibus, ea exquirunt gaudia, quæ obsequia, liberamque elargitionem concomitantur. Quapropter maioribus deseruiunt, ipsi obsequia libenter recipiunt, prompte donant, ac indigentibus præcipue, licet numquam alias visis. quod ipsius caritatis, ac cogitatorum iam maturescentis vim manifeste arguit. Post hæc ob firmiorem rationis vim adolescentibus contemplationibus delectantur, breuique ad id deueniunt, vt vehementissimo sapientiæ amore flagrent, & ex solo philosophiæ nomine sæpius experiantur motus quosdam inexplicabiles animi, ac spirituum omnes corporis partes percurrerent.

Et hæc quidem morum immutationes ex eo etiam Naturæ ordini adhærere demonstrantur, quoniam sensuum actus ab exterioribus incipiens ad interiora magis tendit, neque ex Naturæ lege desistit, donec ipsam rationem, quæ suprema est, attingat, & excitet. hoc autem motu sic consummato primam affectionem ex eadem Naturæ lege ita exerceri conuenit, ut primo circa perfectiora versetur, deducaturque gradatim ad inferiora lumine, & auxilio præstantiorum. Iidem uero sapientiæ amatores, ipsius sapientiæ semina aliquando attingentes adeo delectantur, vt, cetera omnia spernentes, hanc unam sibi a Deo concedi summis votis exposcant. quicumque uero ad summum sapientiæ amorem non deducuntur, circa imperfectiora detineri solent, ea tamen ratione, vt, nisi a Naturæ legibus stulte recedere velint, maioribus, ac sapientioribus sibi obtemperandum esse non dubitent. Dei autem Opt. Max. cultus, ex quo præcipua, ac summa hominum bona pendent, infigitur omnibus hominibus, ac omni pene hominum ætati. vehemens quippe diuinæ bonitatis vis, ac summa diuinæ ueritatis lux etiam imperfectiora attingunt.

Quoniam autem hic Naturæ ordo ex hominum libera electione  
perturbari

perturbari poterat, ac ut in pluribus perturbatur, Natura constitutum est, ut imperfectiores animæ nostræ virtutes, quæ ob vehementiores impulsus, maioremq. priorum actuum determinationem, rationis vim sæpius perturbare possunt, ob faciliorem defatigationem, ac saturitatem facilius remittantur. tunc siquidem rationis ut libere circa cogitativam versante, non tantum contra imperfectiorum virtutum rebelles impulsus munimina parari possunt, sed easdem etiam ita comprimere, ut omnino spernantur, cum præsertim præstantioribus animæ virtutibus, quæ ad parendum aptiores, ac paratiores sunt, rationi certo ordine consentientibus, rationis vires assidue adaugeantur, rebellium autem infirmentur, ac debilitentur. Et hæc quidem ad animi sanitatem restituendam, ægritudinesq. repellendas non parum conducunt. Siquis autem obijciat eam peruiaciam, quam imperfectiores animi virtutes exercent, contra leges rationis sedulo imperantis, etiam dum nulla adhuc praua consuetudo obsecordiam inducta est; ut videtur, respondendum erit, hanc Naturæ legibus vere contrariam esse, ideoque non Naturæ, (quam sibi ipsi aduersari impossibile est) sed alteri alicui esse ascribendam. hanc vero causam humanæ rationis uis inquirere quidem potest, ac debet, sed non inuenire. nam longe præstantiorem illuminationem exposcit. vnusquisque tamen audiens, talia humanæ Naturæ deordinationem concomitari, hancq. ex primi hominis culpa ortam esse, his assentiri cogitur. nam in nullum alium creaturarum ordinem hæc transferri possunt, ac longe minus in Deum Opt. Max. eiusdem hominis factorem.

*De obedientia, ac inobedientia, quas externa homini præstant, ac de naturali hominis sociabilitate.*

*Cap. XI.*

**R**ATIO obedientiæ, ac inobedientiæ, quæ ab externis homini præstari possunt, ac debent, deducenda est ex his, quæ superius dicta sunt circa internorum obedientias, ac inobedientias. nam his internis proportione respondere videntur; homo quippe externus internam cogitandi virtutem vtrumque refert, animalia bruta æstimatoriam, plantæ memoriam, mixta imperfecta sensus communes, elemente sensus exteriores, materia communissima, atque ipsa cælestia corpora imperfectissimum Naturæ sensum. Itaque, sicuti hic imperfectis-

simus

simus sensus parum admodum rationi subijcitur, sed solius Naturæ legibus obtemperare videtur, ita materia prima, ac cælestia corpora humanæ industriæ vim nulla ratione recipiunt, nisi forte quatenus earum plantarum formas sæpe admittunt, ac inducunt, quæ ab homine terræ demandatæ sunt, & ceteris similibus consentiunt. Sicuti sensus exteriores, sensusq. communes rationi quidem obtemperant, sed illius vim externe tantummodo admittunt, ideoque cessante actu superioris directionis libere omnino exerceri solent, ita quattuor elementa, ac mixta imperfecta humanæ artis vim externe tantum, ac ex parte aliqua recipere possunt. dum enim illorum situs, ac qualitates vtrumque immutantur, retinent interius naturales propensiones, & his, quæ ab arte sunt, indefinenter aduersantur, tandemque, (nisi noua artis vis accedat) repulsis ad priorem statum reuertuntur. Sicuti phantasia interius quidem admittit rationis vim, sed non facile perducitur ad conceptum alicuius, quod omnino corporeum non sit, ita mixta perfecta hominum voluntati subsunt, non respectu naturæ, quæ abique corruptione mutari non potest, sed respectu figuræ, ac internarum dispositionum, quæ non parum laboris exposcunt.

Sicuti memoria longe promptius, ac vberius rationi deseruit, & ex occasione minimi alicuius plurima obijcit, ita plantæ rationis, ac humanæ artis imperio prompte consentiunt, & ex particulæ alicuius adiectione, seu etiam ex solius nutrimenti mutatione ex propriæ virtutis usu plurimum immutantur.

Sicuti æstimatoria longe facilius, ac præstantius rationi ministrat, ita animalia hominis nutibus, seu blandimentis repetitis, sæpeq. nullo corporis usu accedente, ex feris domestica fiunt, mutataq. Naturæ propensione pluribus rationibus illi deseruiunt. Demum, sicuti cogitativa rationi decentissime ministrat, ac paret, ita homo hominis dirigentis vim facillime concipit, ac, si lubet, sequitur. nam, nullo actu præcedente, nullo contactu intercedente, sed ex sola verborum prolatione, eorundemq. perceptione, consequitur obedientia, quæ sæpe ad plurimos actus, actuumq. repetitiones inducit. hæc tamen obedientia difficilior censeretur potest, quoniam hominum vnusquisque propriæ rationis directionibus inservire debet, ideoque alteri homini ex Naturæ lege non subijcitur, sed ex propriæ liberratis usu. Naturæ tamé curæ fuit, ut, qui ob ætatem rationis munere non funguntur, parentibus subijciantur, qui ob summam in filios caritatem.



ritatem illorum bonum proprio bono præferre solent. Hinc colligere licet, homines natura sociales esse: neque enim illi, quibus cetera omnia imperfectiora deseruiunt, a se inuicem disiungi possunt. Qua autem ratione hominum societas, imperandi, ac obtemperandi munia exposcat ad commune imperantium, ac obtemperantium bonum, in præsentia perscrutandum non est. hæc enim alterius contemplationis sunt.

*Hominum actus pertinere ad vniuersum corporeum, ac intellectuale. de fato, de contingentia, de casu, de fortuna, de humanis actionibus, fruitionibus, ac factionibus, de diuina providentia, ac coniuentia. Cap. XII.*



**ONSUMMATIO** vero humanæ potestatis, cuius limites hæcenus demonstrati sunt, dum rationis directio vtcumque exerceri potest, continet necessario rectum, seu non rectum humanæ libertatis usum. nouimus enim mentem hominis formam esse, cui libertas quidem essentialiter conuenit, sed ea ratione, vt ignorare non possit, hænc ex diuinæ veritatis irradiationibus, quibus assidue illustratur, moderandam esse. has igitur, vt decet, respiciens, eisdemq. obtemperans, propria libertate rectissime vtitur: eas autem non attendens, ab illisq. recedens, non recte, sed deprauate. Hinc colligere licet, hos hominum actus ea ratione versari posse circa corpora, quæ vniuersi corporei censentur partes, vt simul incorporea attingant, quæ pertinent ad vniuersum intelligibile. nam non tantum homo operans intellectu naturali natura est præditus, & diuinis, alijsq. abstractorum intellectuum illustrationibus consentit, seu aduersatur, atque ad Deum ipsum Opt. Max. necnon ad beatos spiritus recte, ac non recte conuertitur, sed etiam erga ceteros homines, qui intellectu similiter decorantur, decenter, seu indecenter afficitur. Itaq. vtrumque ordinem ingrediuntur. diuina tamen sollicitudine factum est, vt hominis potestas respectu illorum, quæ pariunt vniuersi tam corporei, quam intelligibilis, communem dispositionem, ordinem, ac pulchritudinem, sit summe infirma, ac omnino nulla. quod enim ad corporea attinet, cælorum virtutes ita constitutæ, ac dispositæ sunt, vt ea tantummodo contingentia, ac humano arbitrio subijciantur, quæ ad vniuersi statum, ac decorem non conducunt: cetera

vero

verò ex necessitate eueniant: eorundemq. contingentium certa perseverantia, & certæ quædam successiones vtcumque necessariae censeri possint. Simili ratione, quin potius longe præstantiori, Deus Opt. Max. vniuerso intelligibili assistens, ea tantummodo humanæ, ac aliorum spirituum libertati concedit, quæ vniuersi intelligibilis cursum, pulchritudinemq. inenarrabilem, ac incomprehensibilem perturbare non possunt. quæ vero ad illam pertinent, nulla ex parte immutari permittit, sed elicit potius non pauca ex his deprauatis libertatis vsibus, quæ eandem vniuersi intelligibilis pulchritudinem clariorem, ac illustriorem efficiunt. Cælorum virtus quatenus certum corporum omnium cursum inducit, conseruatque, fati nomine explicari poterit. nam fatum nihil aliud est, quam Naturæ vis proprium opus circa naturalia seu omnino necessario, seu certis quibusdam suppositis, ineuitabiliter perficiens. Eadem vero virtus ex ea parte, qua contingenti consentit, certa voce proferræ non potest. nam vere nihil certum inducit, sed ea tantummodo parit, a quibus contingentia oriri possunt siue ex certa agentis, patientisue intentione, vt quæ ab homine voluntarie aguntur, & patiuntur, siue præter agentis, & patientis intentionem, cum aliquo tamen illorum bono, seu malo, & fortunæ, seu casui ascribi solent. Casus vero, & fortuna inter se differre videntur. nam casus illis aptatur, in quibus neque agens, neque patiens admittit vsus intentionis. fortuna vero versatur circa illa, quorum agens, seu patiens intentionis vsus recipit, licet ea tunc non vtatur. Itaque, quæ sunt voluntarie, accidentaliter distinguuntur ab his, quæ fortunæ ferruntur acceptæ: quandoq. etiam concurrunt. nam repugnans non est, idem respectu agentis esse voluntarium, & respectu patientis fortuitum, seu econtra. Eorum vero, quæ voluntarie ab homine fiunt, quædam actionis, quædam fruitionis, seu vsus, & quædam factionis vocibus exprimi solent. Singulis commune est, hominis libertatem, ac potestatem ex certa aliqua intentione dirigere. Sed actioni videtur proprium, respicere aliam naturam liberam, ac in ea terminari. fruitio intuetur externa, siue libera, siue non libera, ipsaq. dirigit ad eiusdem operantis commodum, ac bonum. Vsus ex eo tantum differt a fruitione, quoniam fruitio non ob aliud, vsus vero ob aliud exercetur. factio versatur circa non libera, quæ agens propria uirtute mouet, seu immutat. euenit tamen, ut in eodem factio, & actio associantur, fortasseq. ipsa fruitio.

Iii

Sollicitudo,

Sollicitudo, qua Deus Opt. Max. uniuersi intelligibilis pulchritudinem, ac consummationem firmissimam reddit, diuinæ prouidentia nomen obtinuit. nam singulas illius partes ea ratione ad finem dirigit, ut simul obuiantibus omnibus obsistat.

Cetera, quæ ad liberis naturas pertinent, neque diuinæ prouidentia consummationem perturbare possunt, ex eo tantummodo Deo ascribenda sunt, quoniam ipso coniuente, ac permittente eueniunt, pariuntq. clariorem, splendidioremq. eiusdem consummationis aspectum. singula enim diuinæ prouidentia utcumque deseruiunt, neque hæc tantum, quæ a voluntate pendent seu recta, seu deprauata, sed etiam cetera omnia, seu fato, seu casui, seu fortunæ ascribenda sunt.

Ipsa vero diuina prouidentia hominum intendit bonum, cui corpora omnia ministrare voluit. Id satis testatum reddunt eadem hæc corpora. nam, dum seipsa homini indefinenter obijciunt, sermones quodammodo, ac voces acutissimas videntur emittere, quibus hominum animis conantur infigere summam Dei potentiam, in tot, ac tantis creandis, conseruandis, ac moderandis, summam Dei sapientiam in singulis disponendis, excitandis, ac dirigendis, simulq. conuincunt summam Dei bonitatem, qua per hæc omnia, ac longe præstantiora media studet hominem fouere, oblectare, atque allicere. Optandum, & orandum est, ne seu his sermonibus firdi assistamus, seu talia percipientes a gratiarum actionibus, decentibusq. obsequijs deficiamus.



## CONTEMPLATIONIS QVINTAE,

Quæ humanorum actuum directricem philosophiam constituit,

### Pars Prima:

In qua ea explicantur, quæ ad voluntatis actus recte instituendos conducunt; simulq. demonstrantur omnium moralium virtutum, ac vitiorum fundamenta, species, differentia, causæ, progressus, ac fructus.



*De necessitate huius scientiæ, muneribus, ac partibus.*

Cap. I.



**I**N homine, ut nouimus, natura corporea, & intellectualis associantur. illi ob id propriissimum videtur esse, contemplationi, & actioni ea ratione incumbere, ut in vtriusque vsu vtriusque concursum adhibeat. Contemplatio tamen, ut longe dignior, sibi præest, simulq. actionem adiunctam ita honestat, ut ex solo hoc ministerio ab omni culpa tuta ut plurimum censei possit. Actio vero a contemplationis dignitate deficiens, absque decenti contemplationis moderamine ad propriam consummationem numquam perducitur. Quod si contemplationis vi dirigente, eam assequatur, hominem ad id deducet, ut illis fruatur, quæ contemplatio cognoscenda proponit. neque enim in dubium reuocandum est, an homines actionibus sapienter, ac prout conuenit incumbentes, Deo Opt. Max. adhæreant, beatis Angelis associantur, sibi decentissime præsent, & dum se ad ceterorum hominum bonum liberaliter effundunt, omnibus hominibus, prout decet, summo cum singulorum bono mereantur frui. Et priora quidem summe expetenda, Deo Opt. annuente,

in vniuscuiusque potestate collocata sunt. Postremum ex plurimum inficitia, seu prauitate vtroumque perturbari potest, & solet. Tunc tamen bonis rectitudinis fructus adaugetur potius, quam auferatur.

Quemadmodum autem ipsa contemplatio recte seu exordiri, seu proficere, seu consummari non potest, nisi accuratius prænoscantur scientiæ modi, rationes, ac dispositiones, ita, nisi concipiantur ea, quæ humanos actus instituere, ac moderari debent, hominum industria in his præstandis, ac obtinendis omnino deficiet. Id ne eueniat, perpendis his, quæ seu in prima, seu in naturali scientia enarrata sunt circa hominis naturam, ac partes, colligenda nunc erunt, quæ has agendorum rationes obijcere possunt, pariuntq. humanorum actuum directricem philosophiam. Hæc vero trium ordinum sunt. quædam enim respiciunt internos affectuum motus, ac volendi actus, simulq. ad animi rectitudinem consequendam dirigunt. quædam intuentur internas, rerum externarum, comprehensiones, internis affectuum motibus congruas, voluntatisq. rectitudini pleniorum perfectionem adiungunt. quædam intuentur humanos actus recte voluntatis, rectarumq. comprehensionum vim pro illarum gradu, re ipsa contrahentes, ac pro rerum statu externe effundentes. Atque dum perducuntur ad actum dirigunt, non tantum ad rectitudinem voluntatis, & ad pleniorum perfectionem, sed etiam ad utriusque fructus, prout conuenit, extendendos, ac colligendos.

His omnibus (quæ præsentem contemplationem in tres partes similiter partientur) recte perceptis, nihil præterea expetendum erit ad decentem humanorum actuum directionem. agendi enim facultas, seu potestas, quæ aliquando desideratur præter rectam agendi voluntatem, ac præter plenam conceptionem illorum, quæ conducunt ad actionis propositæ consummationem, deducenda est ab ipsa actione, quatenus decentibus comprehensionibus assistentibus, rectæ voluntati obtemperat. in ea enim hæ facultates, ac potestates continentur virtute. Quapropter, sicuti impossibile est, hominem libertatis usum actu exercentem, respectu cuiuscumque actus, agendi potestate destitui, ita satis apertum est, facultatum, potestatumq. extensiones, ac incrementa, dum possibile sunt, deducenda esse ex recto antiquioris potestatis usu: quod si in agentis potestate nullo modo constituentur, actionis omissionem recte actionis uim ob-

finerz.

De

*De affectuum, ex quibus actio omnis oritur, distinctione, ac naturali dispositione, necnon de rationibus, quibus illorum unusquisque communi concordia, seu discordia, simulq. humano bono, seu malo fauent. Cap. II.*



**A**CTIO omnis, quæ nunc attendenda est, seu etiam actionis defectus, oritur ex alicuius interni appetitus impulsu, seu remissione. Ipsi uero appetitus, ut naturalis scientia docet, ad tres præcipuos ordines deduci possunt. Ad primum ordinem pertinent appetitus sensitiui magis corporei. ad secundum appetitus sensitiui magis spirituales. ad tertium appetitus rationales. Inter magis corporeos imperfectissimus est appetitus deseruiens naturæ sensus, qui famis, sitis, ac doloris incommoda abhorret, & indolentiam, ac vitæ perfectuerantiam appetit. sequuntur appetitus sensuum exteriorum, qui propria obiecta, prout voluptatem, seu dolorem afferunt, libere seu sentire, seu non sentire exoptant, & corporis sanitatem summe exquirunt. Tertium locum obtinent appetitus vtriusque sensus communis, qui ex motuum usu, ac perceptione delectantur, seu contristantur, & ut corporis robur exoptant, ita corporis imbecillitatem abhorrent. Inter sensitiuos magis spirituales primus occurrit phantasiæ appetitus, qui ex varijs rerum immutationibus summe delectatur, & in singulis exercendis, ac fruendis commoditatem profecquitur. sequitur memoriæ appetitus, qui diuitias appetit, & paupertatem abhorret. tertius est appetitus æstimatoriæ, qui in amicitia, ac inimicitia usu versatur, ideoq. honores, obsequia, ac cetera, quæ ad idem faciunt, appetere solet, & opposita refugere. In rationalium affectuum ordine ille erit primus, qui cogitatiuæ adhæret, & humanus simpliciter appellari potest, cuius obiecta sunt homines, quatenus sunt homines. Finis vero, communis humanitatis, seu humanæ caritatis usus. huic accedunt tres affectus superiores, ille scilicet, qui respicit humanam mentem corpori adhuc copulatam, & sapienciam profecquitur; ille, qui beatos spiritus intuetur, & beatorum spirituum societatem desiderat; & affectuum omnium præstantissimus, qui Deum Opt. Max. inspicit, ac Deo adhæret, Deumq. diligere, summe exoptat. Ex Naturæ autem dispositione appetitus sensitiui magis corporei subijciuntur moderamini sensitiuorum magis spiritualium, ac illius præcipue, qui phantasiam concomitatur. Ipsi

vero

vero sensitiui magis spiritalis subijci debent imperio appetituum rationalium, ita tamen, vt perfectiores, cuiuscumque ordinis sint, eorum etiam curam gerant, quæ ab imperfectioribus decenter expectanda sunt. Neque vero suspicandum est, seu imperfectiores, dum perfectioribus subijciuntur, violentum aliquod experiri, seu perfectiores, dum ad imperfectiorum bona declinant, aliquod ingratum pati. nam ex his potius illorum vnusquisque id assequitur, quod maxime intendit. omnibus siquidem commune est, appetentem summa benevolentia prosequi, atque ea ratione, vt dilectionem hanc non possint exueræ.

Neque vero hæc sententia in dubium reuocanda est, quoniam affectus, qui Deum, beatos spiritus, ac homines indeterminate respiciunt, diligunt primo non ipsum appetentem, sed externa, quæ respiciunt. nam, quemadmodum hominis partes dum hominis, cuius sunt partes, appetunt bona, simul proprium prosequuntur bonum, ita etiam hominum vnusquisque, dum summo amore prosequitur hominum multitudinem, cuius ipse est pars, necnon Deum Opt. a quo omnia pendent, & beatos spiritus, ex quorum societate quammaxime illustrari potest, optimam seipsum diligendi rationem exercet. nam seipsum in Deo, in beatis Spiritibus, ac in hominum multitudine summe diligit. quod etiam partibus euenit, dum illarum dilectio intendit totius hominis bonum, in quo singulæ conquiescunt, & optime degunt. Sicuti autem mutuae affectionum imperfectiorum, ac perfectiorum obedientiæ, ac sollicitudines totius hominis bonum sic intendentes, singulos affectus ad id perducunt, quod singulis summe prodest, ita illorum vnusquisque quammaxime læditur, dum, communi hac dilectione reiecta, rationaliumque moderamine deficiente, vel omnes torpent, vel singuli ex propriorum bonorum, malorumue obiectionibus, ea cæce vel prosequuntur, seu fugiunt, vel etiam (quod longe detestabilius est) rapiuntur ex sola propriæ delectationis, seu contristationis perceptione.

Communis torpor affectuum omnium concordiam inducere videtur, quoniam nulla dissidia parit, sed ablata directione, ac prosecutione concordia dari non potest. hic igitur non tantum amouet omne hominis bonum, sed ea etiam comprimit, quæ hominis bono ministrare possunt. Cæcæ propriorum obiectionum prosecutiones, seu declinationes licet ea expetant, quæ vere prosequi debent, & vere fugienda repellant, communem tamen copulationem dirumpunt,

rumpunt, & certa discordiarum semina pariunt. Ea vero prosequendi ratio, quæ ex oblectantium, seu contristantium impulsibus, ac retractionibus deduci solet, ideo summe detestabilis est, quoniam non tantum internam diuisionem inducit, & communem consensum repellit, sed imperfectioribus digniores partes ex necessitate concedit. nam Natura constitutum est, vt imperfectiora bona, maxima voluptate afficiant, & mala imperfectiora summos vt plurimum dolores afferant. Perfectissima vero bona econtra, raro admodum voluptatis, seu oblectamenti afferant sensum, sicuti etiam maxima, maximeque uitanda mala, sæpe nullam contristationem inducunt. Quapropter oblectantium, contristantiumque impulsibus absolute obtemperantes, bona imperfectiora præstantioribus semper præferunt, & dum minima declinant mala, malis maximis subijciuntur. Idem etiam ex eo reprehendendi sunt, quoniam, dum oblectantium, ac contristantium sequuntur impulsus, simulque in ipso actu oblectante conquiescunt, his, quæ ex Naturæ ordine medijs sustinent partes, finis tribuunt dignitatem, Ideoque neque suimet, neque externorum bono deseruiunt, sed totius humani boni initia tollunt, atque, ea prosequendi ratione, quæ hominum naturæ propriissima est, omnino reiecta, illi, quæ brutis conuenit, penitus inhærent.

Idem ad communem etiam torporem vt plurimum delabi solent: nam voluptatibus defatigati, actione vnquamque refugiunt.

Neque uero ob hæc, Natura incusanda est, ex cuius dispositione euenit, ut minora bona maxime delectent, minoraque mala maxime contristent, sed potius summa illius prouidentia miris laudibus est prosequenda. nam bona imperfectiora homini sunt necessaria, ideoque ab homine rationem nondum exercente, voluptatis, dolorisque viribus amplexari, vitariue poterant. Perfectiora autem bona, ac opposita mala, quæ attinent ad hominis perfectionem, non ob voluptatis illecebras, neque ex contristantium fuga, sed ipsa sola ratione duce expectanda, ac uitanda erant. ita enim homines ad bonorum præstantiorum amorem prouocantur, & vehementius impelluntur ad Industriæ vsum, quo talia sunt paranda, seu declinanda.

*De affectuum aptitudine ad certos mores admittendos, quibus moralium virtutum, seu vitiorum nomen aptatur, ac de communiori, atque adhuc inconsummata virtute, illiusq. causis, & partibus. Cap. III.*

**N**TERNAE concordiae, ac discordiae principia, nec non totius humani boni, ac oppositorum malorum semina ita explicata sint.

Nunc perscrutemur, quam serie, ac quibus directionibus harum vitium vnaquæque firmari, roborari, ac extendi, seu etiam contrahi, infirmari, ac labefactari possit. his enim recte perceptis, satis (ni fallimur) parati erimus tum ad recta prosequenda, tum ad opposita declinanda.

Præcipue autem accipiendum est, affectuum vnicuique proprias cognoscendi virtutes, proprias exequendi potentias, ac actus externos aptari, horumq. vnumquodque sibi inuicem fauere. Ideoque, cognitione vigente, affectum excitari, ac per affectum, externum actum produci, affectus uisum cognoscentem expurgari, ac exequentem uirtutem prouocari, similiq. ratione externum actum affectum, ac sensum pulsare, & excitare: euenireq. ob id, dum seu ex rationis impulsu, seu ex rationis defectu, certi actus frequentius reperiuntur, seu diutius intermittuntur, ut affectuum vnicuique certas dispositiones, ac habitus adipiscatur, seu etiam iam adeptis dispositionibus, ac habitibus expolietur.

Hi vero habitus, prout seu rationi sunt consoni, seu a ratione discordant, virtutum, seu vitiorum nomen decentissime consecuti sunt. nam, dum homines ad propria munia exercenda vel recte, vel perperam impellunt, essentialem rerum virtutem, ac essentiam æmulari videntur, cum præsertim horum nullum absque maximo eiusdem hominis seu bono, seu malo euenire possit. Dicuntur tamen virtutes, seu vitia non naturalia, sed moralia, quoniam non a Natura, sed ex actuum frequentatione conformantur, ac certos quosdam mores inducunt.

Moralium vero virtutum semen tunc constitui manifestum est, cum dilectio, quam affectus omnes ex Naturæ ordine erga ipsum appetentem exercere solent, ea ratione instituitur, ut, affectuum torpore repulso, libere præsit reliquis illorum impulsibus, quorum prior (ut dictum est) ducitur ex simplici bonorum, seu malorum obiectione,

ctione, posterior vero ex voluptatis, & doloris sensu. tunc siquidem quattuor morum habitus inducuntur, communiores tamen, neque adhuc consummati, qui simul collecti constituunt primam moralem virtutem communem, atque adhuc imperfectam. Prior habitus oritur ex ipsius communis dilectionis confirmatione, quatenus omnem desidiæ expellit, hominemq. ad propriorum munerum functionem propensum, perseverantemq. reddit. Ethic quidem habitus, Iustitiæ nomine recte proferri poterit, communioris tamen, & quæ rectum tantum agendi propositum inducat.

Secundus habitus ab eadem communi dilectione deducitur, quatenus ex animaduersionis solertia, moderatur eam prosequendi rationem, quæ ex sola obiectorum comprehensione exerceri solet. Quapropter Prudentia appellari potest, licet communior sit, neque adhuc absoluta. exercet siquidem cogitationis, & rationis vires, ut quam diligentissime caueatur, ne ipse prosequens aliquod detrimentum recipiat.

Tertius, & quartus animi habitus deducuntur ab eadem communi dilectione, quatenus contra aliam omnino detestandam appetendi rationem inuehitur. Hi igitur animi affectus ad id deducuntur, ut illorum vnicuique, ob ipsius prosequentis commodum, non tantum propria voluptate carere, sed oppositis etiam incommodis subijci velit. Et hi quidem habitus communioris fortitudinis, communiorisq. Temperantiæ nomine proferendi erunt. nam, sicuti Iustitiæ partes propriissimæ sunt, proprio muneri intendere, Prudentiæ singula ad decentissimum operantis lucrum examinare, ita Fortitudini conuenit, recta proposita conseruare, omnem prosequendi defectum repellere, simulq. molestiam afferentia sustinere: Temperantiæ vero, indecentes affectuum actus cohibere, simulq. oblectantia, ac diuertentia paruipendere.

Hi quattuor habitus virtutem pariunt, quoniam animum ad agendum perfecte paratum reddunt, quod virtuti propriissime conuenit. Itaque illorum nullus a ceteris seiunctus, virtutis nomen mereri potest, quoniam recta intentio, absque Prudentia, absque Fortitudine, & absque Temperantia operationem non parit, Prudentia absque recta Intentione, absque Fortitudine, absque Temperantia animum ad agendum sufficienter paratum non reddit, idemq. Fortitudini, ac Temperantiæ euenit, si a ceteris seiungantur. His igitur quattuor habitibus communioribus recte conceptis, anima

ipsa, prona, ac parata inuenietur, ad singula recte prosequenda, atque agenda, licet communiore adhuc ratione. Horum habituum, qui simul coniuncti communiorem virtutem pariunt, atque illius sunt partes, tres versantur circa animi affectus. Iustitia scilicet, Fortitudo, & Temperantia, quarum etiam vnaquæque ob id est omnino moralis. Quarta vero, ipsa scilicet communior Prudentia, duplicem quodammodo naturam complectitur. nam ex ea parte, qua singula perpendenda esse cognoscit, rationis vim exercet, eamque in inferiores animæ potentias, atque in ipsos præcipue affectus immitit. Ideoque cognitionis potius, quam affectuum habitus censeripotest.

Ex ea vero parte, qua recte perpenſa amplexatur, atque ipsos affectus rationi subiicit, affectus exercent necesse est. Ideoque moralium habituum naturam retinet.

Si quis autem horum vtrumque recte perpenderit, facile, ni fallimur, assentietur, ex cognitionis actu eam Prudentiæ partem constitui, quæ masculina, ac dextera recte appellari posset: huius enim munia sunt, primo certum aliquod, vel certa aliqua eligibilia constitutere, quæ finis dignitatem obtineant: postmodum vero cetera omnia suppeditare, quæ ad finis adeptionem conducunt. Ex proposito autem ea amplexandi, ac prosequendi, quæ recte examinata sunt, quodque affectum rationi subiicit, aliam Prudentiæ partem induci, quæ sinistra, seu feminina dicenda est.

*De duobus vitijs communiorebus, altero omissionis, altero perpetrati-  
nis, quæ communi virtuti opponuntur, ac de illorum cau-  
sis, & partibus. Cap. IIII.*

**Q**UAMADMODUM communior virtus, singulaque illius partes, oriuntur ex affectuum impulsu, Naturæ ordini consono, ita ex indecentibus eorundem impulsibus, duo communissima vitia constituuntur, quæ, licet in eodem simul copulari non possint, nihilominus in pluribus constituta, se inuicem exacuere solent. Primum oritur ex communi affectu omnium secordia, & priuatiue potius, quam positiue communiore virtuti opponitur: quatenus enim nihil intarat, Iniustitiam priuatiue continet; quatenus meditationem comprimit, Imprudentiam; quatenus neque ex incommodis, neque ex delectatione

statione expurgiscitur, falsas, ac omnino deprauatas Fortitudinem, ac Temperantiam parit. quarum prior, Animi infirmitas, posterior vero Temperantiæ peruersio appellari potest.

Secundum deducitur ex eo impulsu, qui ex obiectorum oblatione excitari solet, accedente tamen alio impulsu, qui sola oblectamenta exquirat, & sola contristantia refugit. Hoc non priuatiue, sed positiue, communiore virtuti aduersatur. nam, dum animum pronum reddit non ad bonum, sed ad delectabile prosequendum, & ad declinandum non malum, sed molestum tantum, totius iniustitiæ semina parit: dum singula rimatur, vt prauè expetitis adhaereat, Astutiam concipit, quæ Prudentiæ positiue opponitur. Eisdem ex fontibus effluunt Obstinatio, quæ positiue Fortitudinem destruit, ac Intemperantia, quæ eisdem rationibus Temperantiam eliminat: anima siquidem oblectantibus insistens, & Astutiam fouens, non tantum obstinate expetita prosequitur, sed eisdem etiam omnino intemperanter inhæret. Sicuti autem vitium, quod communi virtuti priuatiue oppositum, ac Omissionis recte appellari potest, homines iniurijs omnibus obnoxios reddit, ita vitium, quod eidem positiue aduersatur, homines in aliorum iniuriam facile propensos efficit. Hæc vero vitia ideo se inuicem fouent, & nutriunt, quoniam, sicuti perpetratio tunc quammaxime grassatur, cum illius iniustitia stupide sustinetur, ita iniuriæ stupida tolerantia, iniuriarum repetitionem videtur exposcere. Vitij prioris, quod omissionem inducit, partes omnes morales sunt. posterioris vero astutia distinguenda est in dexteram, seu masculinam, quæ cognoscendi habitum continet, & in sinistram; ac femininam, quæ omnino moralis est. Et hæc quidem his consona sunt, quæ circa prudentiam communiorem constituta sunt.

*De rationibus, quibus tam obiecta, quam bona, ac mala ab affectibus respici possunt, de quibus eorundem bonorum, ac malorum differentijs. Cap. V.*



**D**E FINITA virtute communiore, quæ ceterarum est semen, elaborandum nunc est, vt virtutum omnium ortus, ac munia quamtutissime nobis occurrant, ac illius præcipue, quæ totam huius feminis virtutem colligens, cordis naturam imitatur, ac virtus optima appellanda erit. Id vt recte fiat, quattuor, quæ ad rem summe faciunt,

prius explicanda sunt, videlicet quibusnam rationibus affectus propria obiecta, bona, ac mala respicere soleant: quoniam sint obiectorum, bonorum, ac malorum differentia, praecipua: quas ob causas bona, ac mala certo homini magis, seu minus expetibilia, seu fugienda reddantur, & quibusnam gradibus ipsi affectus intendi, ac remitti, extendi, ac contrahi possint. Affectus dupliciter intueri solent, ea, quae illis obijciuntur tamquam propria obiecta, ac tamquam bona, seu mala propria, primo scilicet seu principaliter; & non primo, seu consequenter. Illa primo respiciuntur, quae supposita aliorum ignorantia affectum excitare possunt. Et haec quidem semper ex interna natura, bona, seu mala sunt, non tamen eadem ratione. quaedam enim essentialiter, simulq. absolute; quaedam essentialiter, at non absolute; quaedam nec essentialiter, nec absolute, sed accidentaliter tantum. Illa sunt essentialiter, simulq. absolute seu bona, seu mala, quae oppositi naturam interne admittere non possunt, & quatenus bona sint, bonis omnibus concordant, ac fauent, & malis omnibus dissonant, ac aduersantur, ut puta, Deus, Deo adherere, ac Deum diligere, (quae praestantissimam hominis affectionem respicere nouimus) Beati spiritus, Beatorumq. spirituum societas (ad quae dirigitur affectus ex dignitatis ordine secundus) Mens humana, ac humana sapientia, (quae a tertio appetitu expetitur,) & homines, quatenus sunt homines, ac simplex humanitatis, seu humanae caritatis affectus, quae respiciuntur ab eodem appetitu simpliciter humano: quatenus vero sint mala, malis omnibus consentiunt, & opitulantur, & bona omnia oppugnant, cuiusmodi sunt ea, quae ex propria natura opponuntur bonis essentialiter, & absolute.

Illae sunt bona, seu mala essentialiter, & non absolute, quae ex propria quidem natura expetenda sunt, seu fugienda, sed ex aliqua conditione, seu circumstantia ad oppositum ordinem deducuntur, ut puta, honor, ac inhonoratio, & cetera eiusdem ordinis, circa quae versatur Aestimatiuae affectus. nam honor, qui a Patria iuste, ac libere exhibitus, est bonus, dum a Patriae hostibus suscipitur, efficitur malus.

Illae sunt bona, seu mala tantummodo per accidens, quae ex solo accidenti redduntur expetibilia, seu fugienda, ut puta, diuitiae, & paupertas, quae pertinent ad Memoriae affectum. remota enim hominum infirmitate, ac necessitate, neque diuitiae expetendae essent, neque paupertas fugienda. Eundem ordinem ingrediuntur corpo-

ris commoda, seu incommoda; robur, seu infirmitas; sanitas, seu aegritudo; huius corporis vita, & mors. quae pertinent ad Phantasiae affectum, prout respicit bona, ac mala, seu propria, seu sensus communis, seu sensuum exteriorum, seu imperfectissimi sensus. nam horum nullum bonum, seu malum est, nisi ob talem hominum statum, qui his subijcitur malis, & his bonis fouetur. Eadem etiam, quandoque bonum, quandoque malum nobis operantur, siue bona, siue mala sint.

Alius obiectorum, seu bonorum, seu malorum ordo, qui ea continet, quae non primo, sed consequenter intueri solent, in plures partes similiter diuiditur. sicuti enim haec ad affectus pertinent, non quia ex interna natura bona, seu mala sint, sed quoniam ad illa referri solent, quae primo attenduntur, primoq. appetuntur, seu declinantur: ita ex harum relationum numero distinguuntur. Quapropter, cum haec relationes ad quattuor ordines deduci possint, talia obiecta & bona vna cum malis oppositis ad totidem ordines deducenda erunt.

Primus ordo, eas complectetur relationes, quae innituntur omnino internis, cuiusmodi sunt relationes totius ad partes, partium ad totum, & ad se inuicem. Harum vero aliqua ad rei substantiam pertinent, quaedam numerum respiciunt, quaedam quantitatem, quaedam figuram, quaedam intensiōnis gradus, quaedam agendi, patiendive potentias, quaedam perfectionem. sicuti enim totum primo intenditur, ita partes semper attenduntur consequenter. Ideoq. partes illius, quod primo attenditur, a quacumque respiciantur affectione, semper consequenter respiciuntur. Harum dignitatem metiri opus est ex dignitate affectuum, simulq. eorum, quae ab ipsis primo respiciuntur, necnon ex intimiori, seu magis intimo relationis ordine. nam boni, partes, sunt bonae, & mali malae: intimiores bono, sunt, meliores, & intimiores malo, sunt peiores, sicuti etiam meliores partes sunt meliores, peioris, detestabiliores.

In secundo ordine illae statuentur relationes, quae sunt omnino externae his, quae primo attenduntur, ac primo prosequimur, seu fugimus, ut puta relatio creatoris ad creaturas, & contra: Domini ad seruum, & contra: Discipuli ad Magistrum, & contra: amici ad amicum, inimici ad inimicum, ceteraq. huiusmodi. Horum autem vnumquodque ita consequentiae obiecta, bona, malaq. constituit, ut quamfacillime euenire possit, ut idem respectu vnus affe-

ctus primo, respectu vero alterius consequenter respiciatur. Quia propter homines, qui respiciuntur primo ab affectu simpliciter humano, respiciuntur consequenter ab affectu præstantissimo, quatenus scilicet a Deo creati, atque diuinæ amicitiae dono decorati.

Econtra etiam Deus ipse Opt. Max. qui ab affectu præstantissimo primo respicitur, ab eo, qui simpliciter est humanus, consequenter respicietur, quatenus videlicet hominum auctor, gubernator, atque defensor.

Horum dignitas attendenda quidem erit ex affectuum, & ex eorum, quæ primo appetuntur, dignitate, ac ordine, atque etiam ex intimiori relatione, sed ea ratione, vt, quatenus a pluribus affectibus respiciantur, ex dignioris affectus intuitu dijudicentur, seu primo, seu consequenter ab illo attendatur.

Tertius ordo complectetur illas relationes, quæ constituuntur ex affectu, & ex eiusdem muneribus, per quæ seu propria prosequitur bona, eisdemq. fauet, seu opposita refugit mala.

Huiusmodi autem munera, diuersa erunt pro affectuum diuersitate, simulq. plura, & pauciora, illorumq. nonnulla semper exercenda erunt, ideoq. essentialia appellari poterunt; nonnulla vero multipliciter immutantur pro diuerso rerum, personarum, temporum, ac locorum statu, ob idq. censenda sunt accidentaliter. Eorundem etiam quædam exercentur interno actu, cognitione scilicet seu affectuum propensione, quædam actu externo. Et hæc quidem (vt ex logicis patet) partes subordinationis appellandæ sunt: quarum relationes neque omnino internæ censentur, neque omnino externæ. Hæc igitur semper consequenti ratione attendentur, ac bonitatis, prauitatisue naturam recipient, prout perfecto, seu imperfecto adherent, ac prout seu bono, seu malo deseruiunt.

Quartus ordo eas continet relationes, quæ oriri solent inter partes talia munera concomitantes; seu essentialiter concomitentur, ut Agens: vis impellens: finis cui: finis propter quem: media: res circa quam: agendi vires: auxilia, seu instrumenta: ea quæ actus consequuntur: ac agendi modi: seu accidentaliter, vt præcedens rerum status: aliquorum præsentia: seu absentia: locus: tempus: & occasio.

Sicuti autem non inconuenit, ea, quæ secundum consequentium obiectorum bonorum, malorumq. constituunt ordinem, atque ab vno affectu consequenter respiciuntur, ab alio primo perquiri, seu vitari:

vitari: ita quam sæpissime euenit, ut idem respectu diuersorum, plures consequentium bonorum ordines ingrediatur, simulq. & concomitantium, & subordinatarum partium sortiatur locum. Dignitas vero obiectorum bonorum, ac malorum, quæ tam ex hoc quarto, quam ex tertio relationum ordine pendent, eisdem rationibus perpendenda erit. sicuti enim munia, quæ ad boni adeptionem perducunt, quatenus huiusmodi, bona sunt, ita horum munerum partes tum sibi inuicem succedentes, tum concomitantes, quatenus huiusmodi, bonæ erunt. Hæc quoque bonitas maior, seu minor erit, prout bonum, quod intenditur, est maius, vel minus, necnon prout magis, seu minus fauet illius adeptioni. Eademq. eiusdem ordinis malis aptanda erunt.

*De rationibus, ob quas idem bonum, seu idem malum pro rerum statu magis, ac minus expetendum, seu fugiendum est. Cap. VI.*



ED explicandum nunc est, quasnam ob causas idem bonum, seu idem malum certis hominibus magis, seu minus expetendum, seu fugiendum sit. Id vero facile præstari poterit, accepto, cuiuscumque seu boni prosecutionem, seu mali declinationem, hominis appetentis intendere bonum. ex hoc namq. conuincimur, dum bona prosequenda sunt, & mala uitanda, prius mala vitanda esse, postmodum vero bona prosequenda: patet siquidem, homini magis conducere, bono aliquo carere, quam malo premi, licet malum sit ordinis imperfectioris, præsertim si inhærendi firmitas, ac diurnitas sit eadem. Dum vero plura mala vitanda sunt, malum deterius prius repellendum erit. posterius autem id, quod minus est præuuum. Simili ratione, dum plura bona conseruanda, seu acquirenda sunt, prius præstantiora, postmodum vero minus præstantia prosequenda erunt, & conseruatio iam adeptorum, nouæ adeptioni præferenda erit, semper tamen animaduersis inhærentiæ, ac firmitatis rationibus. dum enim hæc differunt, primo habenda erit ratio intensioris gradus, ac diurnioris perseverantiæ, licet bonum sit ordinis imperfectioris. Et hæc quidem magis perspicua reddi possunt ex his, quæ homines rationabiliter pati consueuerunt ob vitæ præsentis conseruationem. quamuis enim vitæ huius cursus, qui ab imperfectissimo animi affectu respicitur, si consideretur in seipso, & quatenus ab alijs seiungitur bonis, parum admodum bonitatis retineat, ac bonorum minimum quamre-



quam rectissime censeretur, nihilominus, quoniam illius amissio summi gradus rationem continet, atque irreparabilis omnino est, pro illius retentione erogari solent cetera omnia, quæ essentialiter bona non sunt, utputa, diuitiæ, ac reliqua imperfectiora, quoniam raro ad summum gradum perducuntur, & frequenter reparantur.

Quod autem hoc non bonitatis ordini, ac dignitati, sed gradui tantummodo, atque irreparabilitati ascribendum sit, ex eo colligere licet, quoniam, si horum vnumquodque, quantum ad gradum, ac reparabilitatem attinet, ad paritatem deducatur, nulla ratione ambigere licebit, quin summa, ac irreparabilis corporis ægrotudo, atque infirmitas, morte ipsa longe detestabilior censeatur, sicuti etiã summa ac irreparabilis corporis ægrotudo, si datur, minus fugienda est, quã summa ac irreparabilis seruitus: & hæc minus, quam summa ac irreparabilis rerum omnium egestas. quemadmodum enim data summa irreparabiliq. infirmitate, corporeæ uitæ usus ac fructus aufertur, ita posita summa ac irreparabili seruitute, uitæ ac sanitatis commoda amouetur, & summa irreparabiliq. egestate constituta, uita, sanitas ac libertas inutiles fiunt. Idem etiam ac longe clarius intuebimur, si vitam reparabilem esse finxerimus, vel potius, si ipsum somnum (qui vere nihil aliud videtur esse, quam reparabilis mors) respexerimus, eumq. ægrotudini, seruituti, atque egestati comparauerimus. tunc siquidem hæc quæstio ridicula omnino apparebit: quotidie quippe vnusquisque experitur, quam non dicam patienter, sed auide potius pro horum conseruatione, sæpe etiam præter id, quod conuenit, homines somno se dedant, cum tamen somnus contineat mortis malum, atque etiam detestabiliori ratione. ex morte enim Boni se ad diuinum intuitum ducendos confidunt, in somno vero neque sensibili fruuntur vita, neque ad intelligibilem perducuntur.

*De gradibus, quibus affectus, respectu eorum, quæ primo appetunt, seu declinant, intendi, ac remitti possunt, & respectu eorum, quæ intuentur, consequenter extendi, ac contrahi. Cap. VII.*

**A**FFECTVS respectu illorum, quæ ab ipsis primo seu expetuntur, seu declinantur, intensius, ac remissius exerceri solent. Idem etiam, respectu aliorum, quæ non primo, sed cõsequenter respiciuntur, proprias vires magis, ac minus extendunt. Intensionis, ac remissionis gradus ad octonarium numerum recte (ni fallimur) deducuntur: quod

quod tamen ea ratione est intelligendum, vt primus intensionis gradus summam intensionem contineat, octauus vero illam omnino rejiciat, similiq. ratione primus gradus remissionis plenam remissionem demonstret, octauus vero ex cuiuscumque remissionis carentia constituatur.

Hi autem gradus relatiue sunt accipiendi, euenitq. ob id, vt maior intensio regimen, maior vero remissio obtemperantiam pariat. affectus enim magis intensi præsumt affectibus magis remissis, & affectus magis remissi magis intensis subijciuntur.

Dum aliquis affectus ea ratione intenditur, vt ceteri, quatenus illi consoni sunt, non proprios, sed illius tantummodo, cui omnino deseruiunt, sequuntur impulsus, quatenus autem eidem aduersari possent, penitus extinguuntur, ac emoriuntur, tunc affectus intensus primi ordinis, intensionem continebit, cui octauus remissionis gradus annectitur: remissi vero affectus erunt remissi ex primo gradu, qui omnem intensionem rejicit.

Dum intensior affectus ita dominatur, vt reliqui etiam iniussi, non tantum cognoscendi vim sibi naturaliter ministrantem, in illius relaxent obsequium, propriumque appetendi modum eidem obijciant, sed priorum etiam bonorum iam adeptorum usum, ac fruitionem libere concedant, ipse affectus regens in secundo gradu intensus erit, & in septimo remissus: obtemperantes vero erunt remissi in secundo gradu, & in septimo intensi. Dum intensior affectus ceterorum vires ita retundit, vt illorum vnusquisque propriam cognoscendi vim, propriumq. appetendi modum in illius obsequium remittant, bonorum tamen iam ab illis adeptorum usum, atque fruitionem sibi retineant, affectio regens ex tertio gradu erit intensa, & ex sexto remissa, cedentiumq. affectuum remissio tertium similiter remissionis gradum inducet, intensionis vero sextum. Dum cognoscendi tantum vis, non autem propensionis, neque bonorum priorum fruitio aufertur, affectio regens ex quarto gradu erit intensa, & ex quinto remissa: affectus vero obtemperantes quintum intensionis gradum retinebunt, respectu vero intensionis in quarto gradu constituentur. Et hæc quidem regendi, obtemperandi q. ratio postrema erit: nam, si dominantis vis magis remittatur, obtemperantium autem magis intendatur, singulorum sortes commutabuntur, atque his, qui prius obtemperabant, regendi, illi vero, qui prius præerat, obtemperandi partes demandanda

erunt: patet siquidem, gradum intensiōnis quintum gradui remissiōnis quarto cōæquari, sextum tertio, septimum secundo, & octauū primo. Gradus autem, in quo affectuum vnusquisque ita se habeat, vt nullus præsit, nullusq. subijciatur, dari non potest: ex hoc enim æquilibrium constitueretur, atque cuiuscumque actus remissio: (quod Natura non patitur haud secus, quam æquale ad pondus) impossibile quippe est, affectus alicuius vsus dari, dum aliorum cognoscentes virtutes illi aduersantur. Intensiōnum, ac remissiōnum gradus, quibus affectus exerceri solent, ita enumerati sint.

Adeorundem vero extensiōnes, ac contractiōnes recte concipiendas, admonuisse sufficiet, has tot ordinum esse, quot sunt ordines bonorum, ac malorum consequenter expetendorum, seu reijciendorum, ipsamq. extensiōnem ex intensiōne, contractiōnem vero ex remissione pendere: sicuti enim maior intensiō ad maiore extensiōnem impellit, ita maior remissio maiorem contractiōnem inducit.

*De quattuor præstantiorum affectuum decenti intensiōne, ac extensiōne.*  
Cap. VIII.



**Q**UAE MODOVM recti affectuum humanorum impulsus inducunt communiorem virtutem adhuc vnde qua que rudem, deprauati vero commune vitium dupliciter pariunt, ita eorundem recta intensiō, ac remissio, ad illa, quæ primo, ac principaliter respiciuntur, necnon extensiō, ac contractiō, ad illa, quæ attenduntur non primo sed consequenter, eandem communiorem virtutem vnde qua que perficiunt, & ceteras omnes morum virtutes, vna cum decentissima illarum dispositione informant. Deprauatæ vero intensiōnes, ac remissiones, extensiōnes, ac contractiōnes, non dissimili ratione communiora vitia extendunt, ac roborant, simulq. vitiorum omnium multitudinem effundunt. Elaborandum igitur erit, vt recte percipiamus, quinam gradus intensiōnis, ac remissionis, quæque extensiōnis, ac contractiōnis rationes, singulis affectibus recte, seu perperam, aptari possint. his enim recte perceptis, nos latere non poterit, quibusnam virtutibus, ac virtutum gradibus, illorum vnusquisque decorari possit, necnon quibus vitij, ac vitiorum gradibus subijciatur. Ab eo igitur exordientes, qui præstantissimum sibi vindicat locum, quique Deum Opt. Max. respicit, dicimus, hunc summam

summam intensiōnem non tantū recte admittere, sed primo etiam, atque absolute admittere. nam circa illud versatur bonum, quod non tantum essentialiter, & absolute boni rationem continet, sed etiam summum est bonum, atque omnibus rationibus, & absolute primo appetendum. Facile igitur demonstratur, huic præstantissimæ affectiōni tantummodo conuenire posse, ceteras omnes summam cum illarum perfectione absorbere. ex huiusmodi enim absorbtione reliqui tres affectus præstantiores, qui absolute appetunt bona, dum non proprios, sed huius præstantissimi sequuntur impulsus, perfectissimam appetendi rationem adipiscuntur, propriaq. sua bona longe præstantius prosequuntur. Imperfectiores autem affectus, qui absolute non respiciunt bona, licet in seipsis ita emoriantur, vt ex propriorum etiam bonorum (quatenus diuino huic affectui non concordent) amissione, delectentur, & gaudeant: nihilominus eadem bona, quatenus eidem affectui aliqua ratione deseruiant, atque ab ea consequenter appetantur, libenter detinent, atque tuentur.

Animaduertendum tamen est, summam hanc præstantissimi huius affectus intensiōnem, qua ceteræ omnes propensiones absorbentur, ea tantummodo ratione expetendam esse, qua hic affectus Naturæ limites excedens supra naturalem perfectionem attingit.

At, si illius naturalis tantummodo attendatur perfectio, satis erit, vt eatenus intendatur, quatenus ad reliquos affectus præstantiores, qui absolute appetunt bona, illustrandos sufficiat: imperfectiores vero eiusdem vi comprimantur, vt, dum propria seu mala repellit, seu bona prosequitur, illi absque vlla defectiōne propriam cognoscendi vim relaxent, ac cedant: hac enim intensiōne (quæ si ad summam referatur, quartum obtinet locum,) constituta, hic affectus propriæ naturæ dignitatem ita retinebit, vt eam nullo pacto excedat. At, si magis remittatur, atque a quarto hoc intensiōnis gradu deficiat, iam a propriæ naturæ dignitate recedet. Quapropter triplex status illi aptari poterit, videlicet status simpliciter naturalis, qui oritur ex quarto intensiōnis, quinto autem remissionis gradu; status naturæ dignitatem excedens; & status a naturali dignitate deficiens. Qui naturæ dignitatem transcendit, triplicem similiter gradum admittit: intenditur enim seu ex tertio a summa intensiōne gradu, & a summa remissione sexto, tuncq. non tantum ceterorum cognitionem ad propria libere exercet, sed eorundem etiam prosequendi actus ad libitum excitat: seu ex secundo intensiōnis, septimo

vero remissionis gradu, tuncq. eorundem etiam bonis libere utitur: seu ex summa intensione, quæ omnem remissionem expellit, tuncq. omnem aliorum impulsus, ut iam dictum est, ita comprimit, ut huius vim semper, & in omnibus sequantur, ac in ea tantummodo conuiescant.

Statu, ex quo præstantissimus hic affectus deficit a propriæ naturæ dignitate, suscipit quattuor gradus indecentis remissionis. nam vel proprium cognoscendi modum tantummodo relaxat, quod quartum a summa intensione gradum constituit; vel proprium etiam appetendi modum remittit, quod tertium a summa remissione gradum inducit; vel bonis omnibus iam adeptis misere cedit, quod secundum a summa remissione arguit gradum; vel omnino extinguitur, quod summam remissionem, simulq. pessimum statum conuincit. Ceterorum affectuum, qui absoluta respiciunt bona, summa perfectio ex ea absorptione deducenda erit, quam ex præstantissimi affectus summa intensione admittere possunt.

Naturalis autem earundem perfectio ex ea intensione orietur, quæ ipsæ non absque priorum virium usu, a præstantissimo affectu illustrantur, sibi inuicem pro dignitatis gradu opitulantur, ac erga imperfectiores affectus, qui absoluta non respiciunt bona, tales se exhibent, ut omnem illorum rebellem vim comprimant, eosdemq. ad sibi prompte obsequendum promptos, paratosq. reddant: ex hac siquidem intensione locum sibi ex Naturæ lege aptissimum retinebunt. Quod si magis intenduntur, aut remittantur, vel Naturæ limites supergredientur, vel ab eisdem deficient. Illud autem satis admirabile circa hos affectus occurrit, summam scilicet illorum remissionem respectu præstantioris, summam eorundem, atque absolutam intensiorem inducere. dum enim præstantissimo copulantur bono, simul & in seipsis emoriuntur, & vehementiori summi boni virtute correpti quammaxime intenduntur. Quapropter illorum mors longe præstantiorem vitam inducit. At, si iidem affectus imperfectiorum ui remittantur, atque emoriantur, vita omnino carebunt, ac pessime morientur. Sicuti igitur quattuor affectibus præstantioribus commune est, absoluta bona primi appetere, ita eisdem etiam commune erit, ex maiori intensione ad perfectiorem ordinem deduci. ea enim quæ absolute sunt bona, quanto intensius, tanto perfectius appetuntur. Idem, easdemq. ob causas circa horum affectuum extensiones, sciendum est. affectus enim, qui

qui ex summa intensione ad summum perfectionis gradum deducuntur, omnibus etiam rationibus extendi possunt. E contra, qui summam intensiorem decenter non sustinent, non omnino, sed certa tantummodo ratione extendendi sunt. Itaque affectus perfectissimus, qui ex summa intensione summe perficitur, omnibus rationibus extendendus erit. vere namq. quæcumque in Deo considerari possunt, summa cum veneratione attendenda, & colenda sunt. similiq. ratione in Angelis sanctis, ac in Dei creaturis, quatenus a Deo sunt, Deoq. inseruiunt, quammaxime lætari decet. Decentissime etiam venerari solemus ipsummet Dei cultum, & ea omnia, quæ illi deseruiunt, templa videlicet, altaria, horum ornamenta, & partes, necnon vias, quæ ad templa perducunt, ac reliqua huiusmodi. Iure etiam optimo idem affectus exhilaratur in templis, ac altaribus construendis, ornandisque. Easdem ob causas summa hæc extensio decenter aptabitur affectui, qui simpliciter est humanus, & duobus superioribus. nam illorum vnusquisque ex summa intensione perficitur. Animaduertendum tamen est, ex affectuum extensione, affectus extensi vim semper immutari, Ideoque, dum affectus præstantissimus ad creaturas extenditur, ea, quæ Deo debentur, creaturis non exhibet, sed ea tantummodo præbet, quæ illis præstanda sunt ab affectu inferiori, qui eas primo prosequitur, licet præstantiori, firmiori q. ratione. Sicuti autem summam intensiorem plenioris extensionis ratio consequitur, ita naturalem intensiorem gradum prima, ac secunda extensionis rationes tantummodo concomitantur. Quapropter, dum harum aliqua abest, simul maiorem intensiorem abesse conuincitur.

*De quattuor virtutibus præcipuis, quattuor affectus præstantiores perficientibus.* Cap. IX.



QUATTUOR affectus præstantiores dum propria respiciunt, neque ex imperfectiorum ui ab illis diuertuntur, seu perturbantur, ad virtutem semper impellunt, & ad vitia numquam. illorum enim vnusquisque ea prosequitur, quæ absolute sunt bona, & ea refugit, quæ absolute sunt mala. Itaque ex tali prosecutione, ac fuga necessario omnibus bonis consentiunt, ac eisdem fauent, malis vero omnibus aduersantur. Præterea illorum vnusquisque essentialiter conuenit, assidue

affidue commouere, ac exacuere vires rationis, ac cogitationis, quibus essentialiter annectuntur, easdemq. ad singula contrahere. Morales vero virtutes, quibus hi affectus perficiuntur, illorum numerum non excedent. nam illorum vnusquisque vnica tantum ratione, propria prosequitur bona, & mala opposita refugit.

Patet autem, agendi habitus, agendi rationes semper æquare. Harum virtutum præstantissima præstantissimo affectui aptabitur, Pietatisq. nomine proferenda erit.

Huic proximior conuenit affectui Beatos Angelos respicienti, diciturq. haud perperam Deuotio. Ea, quæ adhæret affectui, hominis mentem corpori adhuc copulatam intuenti, Philosophiæ, seu sapientiæ amatricis voce recte pronuntiabitur. hæc quippe animi propensionem explicat, Ideoque inter morales virtutes necessario connumeratur. Neque tamen mirari quis debet, vniuersalium etiã veritatum indagacionem, perceptionem, atque explicationem ex communi consensu eodem nomine proferri. nam existimandum est, id ideo euenisse, quoniam tales veritates, ac talium veritatum connexio inquiruntur, percipiuntur, ac explicantur huius virtutis, vel certe huius affectus impulsu. Accedit etiam harum perceptionum difficultas. inter ea siquidem, quæ ipsa philosophia prosequitur, plurima humanas vires, ac captum excedunt.

Eorundem etiam campus longe fortasse latior est, quam plene ab homine perlustrari possit. Quapropter huic perscrutationi nomen imponendum erat potius ab his, quæ ad contemplationem impellunt, quam ex contemplationis fructu.

Siquis autem respiciens priores huius affectus impulsus, interroget, quam ratione illi, qui sapientia carent, sapientiam optare possint, illiusq. amore duci cum nullus affectus rationi obtemperans recte exerceri possit, absque rationabili cognitione illius, quod amatur; respondendum erit, confusam scibilibus cognitionem, euiden-temq. perceptionem illorum, quæ circa sapientiam communioribus rationibus affirmantur, licet sapientiam non pariant, eam tamen amabilem, appetibilemq. demonstrare. nemo enim sapientiæ amore carere potest, huiusq. virtutis, sapientiæ amatricis, impulsibus non commoueri, dum audit, & ex diuinæ veritatis illustrationibus assentitur, sapientiam excellere dignitatem ceterarum cognitionum humanarum, simulq. omnium humanorum bonorum; eandem propriissimam esse hominum naturæ: afferre maxima benefi-

cia

cia hominibus omnibus, hominumq. vnicuique; versari circa omnia; gubernare, & regere omnia; afficereq. animum honestissima voluptate, quæ ceteras omnes voluptates excellit. Hæc igitur moralis virtus plenior sapientiæ adeptionem vere præcedet, licet ex pleniori eiusdem Sapientiæ degustatione vehementius intendatur, sæpe etiam consummetur.

Quarta moralis virtus, qua simplex humana affectio homines, quatenus homines, respiciens, decentem consummationem admittit, Humanitas, seu humana caritas appellabitur.

Hæ quattuor virtutes præstantiores tot gradus admittent, quot gradibus affectus, qui ab ipsis perficiuntur, Naturæ ordinem vel retinent, vel transcendunt. Dum vero ijdem affectus ob prædominium imperfectiorum a Naturæ ordine deficiunt, in uirtutum locum succedunt vitia, magis, ac minus detestanda, quoniam affectus magis, ac minus remittuntur, & quoniam illorum remissio continet seu lapsus a statu perfectiori ad statum imperfectiorem, seu recessum ab imperfectiori ad perfectiorem. Quamuis autem hæc morum virtutes ea ratione disponendæ sint, vt præstantiores præsent, omnesq. pietati tamquam præstantissimæ cedant, adhæreantque: præstantiores tamen vtuntur inferioribus, non tamquam ministris, & seruis, sed potius tamquam socijs. nam, singulæ, vt dictum est, sibi inuicem fauent. Ideoq. illarum vnaquæque aliarum vnâquamque, quatenus absunt, inducere potest: humana quippe caritas appetens communem proprii actus extensionem, impellit ad sapientiam, qua caritatis exercendæ rationes omnes attingendæ sunt, ad obsequium Beatorum spirituum, quorum opera mens humana illustratur, atque ad cultum Dei Opt. Max. a quo homines, ac cetera omnia pendent, & perficiuntur. Eisdem rationibus veræ sapientiæ amor impellit ad Dei, Angelorum, ac hominum dilectionem. Pietas, & Deuotio dirigunt quam uehementissime ad veritatis, hominumq. amorem, idq. non tantum ex propriorum bonorum adeptione, sed etiam ex propriorum actuum usu: ex quo diuina quoque adiumenta suppeditant tam sapientiæ amatrici, quam humanæ caritati, quod philosophiæ fortasse non conuenit. hæc enim alijs adiumenta affert non ex proprio prosequendi actu, sed ex proprii boni adeptione. Ipsa etiam humana caritas ideo ad philosophiam, Deuotionem, atque pietatem impellit, quoniam harum uniuscuiusque desiderium adauget, & singulis animum reddit paratiorem.

De

*De Optima uirtute, quæ oritur ex quattuor uirtutum præstantiorum copulatione, ac de illius uia ad humanam felicitatem huic peregrinationi consonam inducendam. Cap. X.*



**Q**UATTUOR uirtutes præstantiores quoniam, ut dictum est, sibi inuicem essentialiter fauent, adhærent, & connectuntur, ita quaternarium numerum retinet, ut unicam uirtutem uere constituent, quæ Optimæ uirtutis uoce decentissime decorabitur. nam uersatur circa omnia optima, fauet bonis omnibus, quatenus bona sunt, mala omnia expellit, ac comprimit, atque etiam, (quod uere singulare est) se quodammodo parit, adauget, & firmat. in ea siquidem intentio recta, quæ ad communioris iustitiæ consummationem pertinet, prudentia carere non potest. nam ad illos affectus spectat, quibus essentialiter conuenit, rationis, ac cogitationis vires excitare, exacuere, & ad singula obiecta contrahere, quod nihil aliud est, quam Prudentiam parere, ac enutrire.

A tali uero intentione, & Prudentia fortitudo, ac Temperantia (prout his affectibus præstantioribus conueniunt) uix abesse possunt. data enim assidua directione rationis, ac cogitationis ad certum finem, idem agendi propositum non conseruari, (quod fortitudinem parit) impossibile est. Temperantia uero, respectu eorum, quæ absolute appetenda sunt, & summam intensionem exposcunt, tunc tantum desideratur, cum prosequendi vires deficiunt, seu vires refarciendæ sunt. Itaque necessitas ipsa ad illam facile impellit, prudentia præsertim ad idem dirigentæ.

Huic uero uirtuti optimæ, quæ seipsam adauget, ac perficit, propriissimum erit, ceteras omnes morum uirtutes inducere, simulque expetenda omnia parere, ac repellenda comprimere. illi enim, qui Deum uere diligunt, amore prosequuntur omnia, quæ a Deo sunt, & ea omnia declinant, quæ Deo displicent. similiq. ratione illi, qui homines indistincte diligunt, afficiuntur etiam erga omnia, quæ hominibus annectuntur, & summe optant omnium humanorum bonorum indeficientiam, Naturæ ordini consonum, in qua affectus simpliciter humanus uere conuiuiscit. hæc igitur uirtus dum prosequitur bona omnia, quæ seu primo, seu consequenter recte appeti possunt, & hominum naturam aliqua ratione attingunt, simul exquirat bonorum omnium præcipuorum adeptionem, ac fruitio-

nem,

nem, perfectas internorum habituum vires, quæ perfectas actiones, ac operationes pariunt, earundem operationum effectus, fructusque indeficientes, ex quibus decens bonorum fruitio consummatur, una cum subiectis materijs, quæ dictarum uirtutum, seu habituum vim & recipere possint, & actu recipiant.

Hæc autem simul collecta (ut patet) humanam felicitatem constituent, conseruantque. nam homines tunc perfectissime, ac beate (prout huic statui conuenit) in terris degunt, cum affectus simpliciter humani vis, præstantiorum affectuum robore accedente, inferiores affectus, quos iam sibi omnino obsequentes reddidit, libere exercet, ac moderatur. Itaque, sicuti communior, atque adhuc imperfecta uirtus, de qua superius dictum est, ceteris uirtutibus comparata, feminis vim manifeste refert: ita ipsa Optima uirtus ex eadem comparatione Cordis locum obtinebit: colligit enim communioris uirtutis vim, ac roborat, ut ceteras uirtutes parere, disponere, ac exercere possit, haud secus, quam cor contrahat, firmet, perficiat, ac expandat uirtutem feminis ad formationem aliorum membrorum, ac totius animalis, eademque libere exercet. Et hæc quidem ideo firmiter, ac tutius præstantur, quoniam, qui tali uirtute sunt præditi, carere non possunt Angelorum illustrationibus, diuinisq. adiumentis.

Hanc igitur uirtutem inspicientes, facile assentiemur, felicitatem nihil aliud esse, quam operationem secundum uirtutem optimam in uita perfecta.

Tunc autem uita perfecta censenda est, cum adsunt omnia, ex quibus humani boni indeficientia oritur, ipsumque humanum bonum plene, ac sufficienter ab hominibus possidetur. cumque ipsa optima uirtus, ac humana caritas ab hominum cætu recepta, ac ad actum deducta, singulorum felicitatem pro uniuscuiusque captu effundit, ac perficit. dato enim usu mutua huius caritatis, quæ (ut dictum est) boni fruibilis, ac boni utilis rationes complectitur, singuli fruuntur, simulque utuntur eadem caritate, ac humano bono: in se, quatenus se eo uere præditos intuentur, illudque ad aliorum commodum exercet, atque etiam in alijs omnibus, quatenus ceteros eodem plene decoratos, & ad aliorum commodum intentos conspiciunt. Patet etiam, ex hoc mutua caritatis usu effluere cetera omnia bona, quæ ab inferioribus affectibus decenter expeti solent. aderunt enim necessario mutua amici animi signa, in quibus humanæ Estimativæ

M m m

affectus

affectus conquiescit. accedent sollicitudines, sedulaq. industria, vt humanis necessitatibus, ac infirmitatibus subsidia quae effluenter parentur, vtq. unusquisque a quocumque animi mærore subleuetur, decentiq. hilaritate fruatur.

Hoc autem nihil aliud est, quam humanæ memoriæ, humanæ phantasiæ, ac reliquorum affectuum imperfectiorum bona decen-ter prosequi, & illorum unicuique pacem parare. Quamuis autem huiusmodi bona a multis pendeant, & a multis sustineantur, ea ta- men ratione sibi inuicem respondebunt, ut hominum ea inducen- tium unusquisque, boni uniuscuiusque fructum, prout illius pati- tur condicio, in seipso indeficienter recipiat, simulq. & eadem uere possideat, & eisdem fruatur. quod enim attinet ad ea, quæ absolute & essentialiter bona sunt, manifestum est, hæc huiusmodi esse, ut singula a singulis absque ulla aliorum perturbatione plene possideri possint. neque enim, dum alij Deo adhærent, Angelorum custo- diam experiuntur, summæ sapientiæ amore, atque ipsa sapientia sunt præditi, ueraq. feruent caritate, nos ab eorundem adeptione diuertimur, perturbamurue, sed ad eadem potius quam maxime im- pellimur, ac adiuuamur.

Ea uero, quæ sunt quidem essentialiter bona, sed non absolute, amicorum scilicet fruitio, inimicorum metu omnino carens, & re- liqua eiusdem ordinis, dum recte appetuntur, unicuique ita conce- di solent, vt, dum vnus illa adipiscitur, nihil ob id alijs subtrahatur, cum præsertim neminem lateat, hæc, licet essentialiter sint bona, absolute tamen bona non esse, neque absolute ad felicitatem perti- nere. Quod si ad illa animus conuertatur, quæ accidentaliter tan- tum sunt bona, ideoq. accidentaliter etiam ad felicitatem pertinent, quatenus scilicet humanis necessitatibus opitulatur, assentiri cogimur, horum hominum vnumquemque hac etiam ex parte quam decentissime saturari. Dum talia bona ex caritatis vi conquiruntur, ex eiusdem caritatis impulsu ad aliorum necessitates, ac commo- dum promptissime expenduntur. Itaque huiusmodi bona nulli ea recte expetenti deesse poterunt. ægrotantes uero, ac indigentes, non tantum lætari poterunt, quoniam illis subsidia, & adiumenta vel copiose adsint, vel copiosius suppeditentur, sed etiam quoniam aperta humanæ caritatis indicia, atque amicorum uere amicos ani- mos experiantur.

Hoc autem illi, qui eadem caritate, animiq. dispositione est præ- ditus,

ditus, nihil aliud est, quam communem felicitatem intueri, simulq. illius fructus in seipso recipere. At, si quis bonorum omnium inde- ficientem coniunctionem in se exoptet, vna cum plena malorum eiectione, huius cupiditas non tantum vana erit, sed etiam omnino inutilis. nam in prioribus nostris contemplationibus demonstra- tum est, summum bonum ab hominibus in hac vita sperandum non esse, sed alteri statui conuenire.

Nemo igitur rationi inhærens, existimabit, magnificienda esse hæc bona, ac præsentem hunc statum, quatenus ad singulos perti- nent, cum præsertim compertum sit, Deum Opt. Max. sapientissi- me humana curare, nosq. huiusmodi exterioribus malis ad tempus obnoxios relinquere, non vt nobis noceat, sed vt quamplurimum profit: hæc enim interiora mala expellunt, bona autem exercent, adaugentque. Itaque satis apertum est, terrena etiam felicitate, ac caritate in hominum multitudine deficientibus, iustorum vnum- quemque, si animi robore, ac fortitudine uere sit præditus, num- quam ad miseriam detrudi posse, neque præstantiori felicitate ex- poliari, licet pluribus malis, & incommodis subijciatur. diuina namq. fauente gratia, illis fruatur bonis, illaq. gaudia experietur, quæ non tantum ceterorum malorum vim retundere, sed ipsa etiam mala uere amabilia reddere possunt, idq. longe firmiori, ac tutiori ratione, quam multorum amicorum ardens caritas, vberrimaq. au- xilia, corporis infirmitates subleuent, ac aduersa nostra, amabilia quodammodo reddant. Et hæc quidem felicitas, licet quantum ad bona, quæ tum ab humano affectu, tum ab inferioribus respiciuntur, deficiat ab illa felicitate, quæ communi innititur bono, nihilominus respectu illorum bonorum, quæ a superioribus, ac excellentioribus affectibus appetuntur, illam longe excellit, ac supereminet.

*Non concepta Optima virtute, impossibile esse, humanam felicitatem concipi-  
pere, ac occurrentia dubia soluere. Cap. XI.*



ICVTI autem Optimæ virtutis forma, ac natura hac ratione concepta, facile percipimus exordia, ac con- summationem humanæ felicitatis: ita Optima hac virtute non constituta, mens nostra assentiri non po- terit, humanam felicitatem esse operationem secun- dum virtutem. nam nulla præterea virtus reperitur, quæ uere Opti-

ma appellari queat, quæque ex suo usu humanam felicitatem constituat: Prudentia siquidem verum prosequitur, & non bonum: Ipsæ vero morum virtutes bonum essentialiter intuentur, & non verum. rectissime quippe dictum est, Rectam electionem virtus efficit. At ea, quæ ipsius gratia agenda sunt, cognoscere non est ipsius virtutis, sed ad aliam potentiam pertinet, ad ipsam videlicet Prudentiam.

Præterea superius demonstratum est, Prudentiam virtutis potius partem, quam virtutem appellandam esse: virtus enim tunc constituitur, cum actio rationi consona libere exercetur, ac Prudentia ab alijs virtutis partibus seiuncta, nihil operatur. Itaque, vt ab alijs seiuncta, virtus optima censenda non est. Inferiorum vero virtutum nulla talem vocem admittere potest, seu humanum bonum inducere: harum enim vnaquæque ex certo moderamine, Virtutis denominationem, ac bonitatis naturam recipit. Quapropter illarum Esse, ac bonitas omnis, virtuti moderanti, bonitatisq. vim impertienti ascribenda erit. At virtus optima, sicuti ex seipsa est virtus, ita ex seipsa est bona, neque ex villo moderamine, seu ex alia virtute virtutis formam, ac bonitatem consequitur.

Præterea, si harum vnica, & certa virtus vere est optima, & humanum inducit bonum, fateamur necesse est, ceteras omnes uanas esse, hominesq. raro frui humano bono, quod semper est desiderabile, & expetibile. Eisdem rationibus demonstratur, neque harum uirtutum unamquamque humanum bonum inducere posse. quod enim nulli conuenit, singulis conuenire impossibile est. Præterea, hoc admissio, sequeretur, nullum dari humanum bonum. nam uirtutes hæc specie inter se differunt. Ideoque siue ex propria tantum ui, siue ceteris eiusdem ordinis uirtutibus accedentibus, propria munia exerceant, illarum actus specie similiter inuicem distinguuntur. Itaque uel nullam felicitatem parient, uel plures specie distinctas. quorum unumquodque destruit certam humanæ speciei felicitatem.

Siquis autem sustinere uelit, humanum bonum oriri ex perenni, successiuoq. usu harum uirtutum, hic ad idem incommodum deuoluetur: humanum scilicet bonum non unius, sed plurium specierum esse.

Assentiri etiam cogetur, homines humanum bonum numquam perfecte, ac plene adipisci, sed illius tantummodo partes, successiua quadam ratione attingere, ac delibare. Sed neque asserendum est, humanum bonum pendere ex communi, genericoq. gradu harum uirtutum.

uirtutum. hoc enim rationibus omnibus aduersatur. actus nempe omnes, atque actuum fructus, quatenus naturam humanam attingunt, non ex genericis, sed ex specificis deducendi sunt. genericus quippe gradus materiæ naturam retinet, quæ semper est imperfecta, neque optimi partes sustinere potest. Ideoque, sicuti per speciem perficitur, ita ab eadem propriæ bonitatis consummationem admittit. Quæ dicta sunt, eo magis confirmant nostram uirtutem optimam, quoniam ex illius constitutione hæc, & huiusmodi alia declinantur, simulq. respondetur Socrati Euthidemum, aliosq. sophistas uigenti. cum enim hæc optima uirtus cordis munia sustineat, vnica illius vis ad ceteras omnes diffusa, ceteris quasi formalis causa, uirtutis naturam impartitur; easdem tamquam efficiens exercet, & ab eisdem tamquam omnium finis respicitur, ideoque seipsam exercens, ac in seipsa conquiescens, continet, ac coniungit manifeste rationes boni uilis, & boni fruibilis.

*De rectis, & non rectis affectuum imperfectiorum, quatenus se inuicem intuentur, intensiõibus, ac remissionibus, extensiõibus, ac contractiõibus.* Cap. XII.



Is sic constitutis, ceterarum uirtutum, ac uictorum causas, & differentias rimabimur. Præcipue uero statuendum est, affectus inferiores, quatenus se inuicem intuentur, ultra gradum, qui a summa intensiõne est quintus, & a summa remissione quartus, intendendos, seu remittendos non esse: ea quippe respiciunt, quæ neque bona, neque mala absolute sunt, sed bona malorum, & mala bonorum naturam imbibere possunt, prout præstantioribus, seu his, quæ absolute sunt bona, deseruiunt, uel aduersantur.

Patet autem, id, quod absolute non est bonum, ea ratione appetendum non esse, ut nulla habeatur ratio ceterorum, licet imperfectioris ordinis, quorum unumquodque in se acceptum ex Naturæ lege, aliquo pacto expetendum sit. Siquis igitur ea, quæ ab Æstimatiuæ affectu appetuntur, tanti faciat, ut nulla ceterorum adaugendorum (quod tertium a summa intensiõne constituit gradum) cura tangeretur, uel ex maiori intensiõne, ex qua bonorum adeptorum obiecto additur, dum certo alicui Æstimatiuæ bono inhæret, ceteris tum adipiscendis, tum iam adeptis renuntiat, uel etiam ob summam intensiõnem.

ensionem imperfectiorum affectuum vires absorbeat, hic neque affectus *Æstimatorum* deseruentis, neque imperfectorum Bono fauebit, sed illorum vnumquemque quammaxime dehonestabit. Et hæc quidem intelligenda erunt etiam circa horum bonorum partes, quatenus ad inuicem conferantur: nam neque honor tanti faciendus est, vt hominum gratia contemnatur: neque bonorum vtilium fruitio ita amplexanda, vt huius gratia eorundem adeptio, ac conseruatio penitus deseratur. quamuis enim, quæ minus perfecta sunt, imperfectioribus recte præferantur, non tamen omnino spernenda sunt.

Easdem ob causas horum affectuum nullus omnino extendendus erit, sed intra duas priores extensionis rationes retinendus. Itaque, quamuis amicum recte diligens non tantum unamquamque illius partem diligere debeat, & ceteros, ceteraq. omnia, quæ illi aliquo vinculo copulantur, seu ad eum pertinent, atque etiam in huius amicitia vsu, & in singulis, quæ illi seu adhærent, seu annectuntur, recte conuiescere. Nihilominus, si quis in his seu recipiendis, seu præstandis ita delectetur, vt etiam sublelliorum, ac locorum, in quibus exerceri solent, amore flagret, hic, ni fallimur, reprehensibilis erit.

Simili ratione, si quis bona utilia ita prosequatur, vt non tantum ad partes bonorum, & ad ea, ex quibus eliciuntur, affectum extendat, sed etiam ad laborem, & ad munia omnia, quæ in bonorum vtilium adeptione exercenda sunt, necnon ad horum munerum partes singulas: hic proprii affectus impulsus indecenter extendet, nisi forte hæc conueniant ex affectuum præstantiorum vi, quæ omnino extendenda est. Horum igitur affectuum vnusquisque dum proprios impulsus omnino libere sequitur, neque ex præstantiorum vi admodum deducitur, numquam ad virtutes, sed semper ad vitia diriget, recteq. ob id constitutum est, morum virtutes, quibus hi affectus perficiuntur, Optimæ virtutis denominationem non sustinere, sed ex Optimæ virtutis moderamine tam bonitatis, quam virtutis naturam, ac vocem recipere. Itaque, ut harum virtutum termini certiores recte constituentur, tum ratione intensiōis, ex qua actuum pondus uidetur oriri: tum ratione extensionis, ad quam numerus pertinet, tum ratione dispositionis, ad alios affectus, ex qua deducitur ordo; tum ratione perseuerantiæ, ex qua colligitur mensura: si- gnium aliquod certum statuendum est, hocq. ab ipsa tantummodo Optimâ uirtute est accipiendum, seu ab inferiori illius parte, quæ affectum

affectum simpliciter humanum respicit, ac his imperfectioribus affectibus est proximior. constat siquidem, affectum, qui simpliciter est humanus, ex Naturæ dispositione præesse his omnibus, ac illorum bonis libere uti, haud secus, quam cogitandi uis rationi deseruiens, sensus omnes inferiores recte moderetur, ac regat.

Si quis autem, non accepto hoc signo, admoneat tantummodo, singula pro rerum statu, ac, vt recta ratio dicat, modificanda esse, hic ea ratione deseruiet moralium virtutum adeptioni, ac usui, quæ ægrotantium sanitati ministrat docens, ea ægroto præstanda esse, quæ ex medicæ artis lege illius morbum depellere possunt, nullumq. præterea pharmacum afferat, seu certâ medendi artem demonstrat.

*De Magnanimitate, ac Aequanimitate.*

Cap. XIII.



**M**ANORVM affectuum vnusquisque alijs certa quadam serie essentialiter copulatur, atque adhæret. Singuli igitur considerari possunt, vt eriguntur ad affectus præstantiores, illorumq. obiecta, vt respiciunt propria, & vt ad imperfectiora deflectuntur. Id satis perspicuum est in Animositate, seu in affectu *Æstimatorum* deseruiente, cuius tamquam præstantioris, uirtutes, ac uitia primo loco inspicienda sunt. Hic ex humanæ caritatis ad eam extensione, & ex suimet ad caritatem erectione, decorandus est pluribus uirtutibus, hisq. ualde eximijs, inter quas Magnanimitas, & Aequanimitas præcipuæ uidentur esse. Hæ uero annectuntur caritati, simulq. uirtuti optimæ, quoniam prosequuntur tamquam bona propria uirtutis actus, qui ab illis consequenter expeti solent. Magnanimitas uero, & Aequanimitas distinguuntur inuicem, tamquam magis, ac minus excellens: nam Magnanimitas uehementior est, Aequanimitas remissior. Itaque Magnanimitas sicuti uehementiorem dilectionem continet: ita magna præcipue respicit, hominemq. primo impellit ad ea exercenda, quibus magna confici possunt. mox eundem sæpe certiores reddit, se, quatenus hominum infirmitas patitur, magnis indignum non esse. Quamuis autem ipse Magnanimus in paruis, quæ uirtutem similiter continent, non acquiescat, paruaq. libenter prætereat, ea tamen non absolute contemnit, sed quatenus ad magna referantur, haud secus, quam nonnulli, qui, cum uino quammaxime delectentur, generosiora uina seligunt, cetera uero abijciunt præsertim.



præsertim si omni gratia denudentur, neque singulare aliquod continent. Eisdem etiam rationibus Magnanimus dum circa parua uersatur, ea magna reddere nititur, & magna pertractans, illa maiora, ac illustriora efficit. Animum autem, dum uehementi hac dilectione uirtutem prosequitur, uere magnum effici manifestum est: patet siquidem, imperfectiora omnia, quæ, si ad præclara uirtutis gesta referantur, minima apparent, & sunt, Magnanimo contemptibilia reddi, recteq. ob id magnanimi, contemptores uidentur esse: spernunt enim tamquam parua, non tantum potestates, & diuitias, sed honorem etiam, qui externorum bonorum est maximus, dum a uirtute non oriuntur.

Quamuis igitur Magnanimitas uersetur circa præclariore actus uirtutum, tamquam circa propria, non autem circa honores, ac inhonorationes; eatenus tamen admittendum erit, eam uersari circa honores, & inhonorationes, quatenus intelligitur, illius excellentiam, tamquam ex signis præcipuis colligi ex honorum despectu, & ex inhonorationum tolerantia. conuincitur enim, homines utcumque sensatos uirtutis amore uehementer teneri, dum hanc præcipue tuentur, neque ex aliorum seu adeptione, seu amissione ualde lætantur, seu ualde mærent. Eandem ob causam Magnanimus in magnis pertractandis nullum periculum refugit: in periculis constitutus cum fiducia agit; neque umquam magno mærore afficitur, licet acerbum aliquod sustinendum, & Mors ipsa subeunda sit, non quidem (ut dixere Antiquiores) quasi nõ sit ei dignum omnino uiuere, (hoc enim stultam uanitatem contineret) sed quoniam uirtutem, & ea, quæ uirtuti debentur, ceteris omnibus uere præferenda cognoscit. Hinc quam tutissime colligitur, veram Magnanimitatem absque alijs uirtutibus dari non posse, eam probitatem omnem continere, ac eandem ceterarum omnium ornamentum censendam esse. nam, qui uirtutis actus diligunt, uirtutes necessario prosequuntur, ac in illarum adeptione, & usu summe lætantur, eoq. constantius, quoniam proprio fine, qui constituitur in eodem uirtutum præstantiorum usu, frustrari non possunt. quamuis enim aliarum uirtutum actio illis nonnumquam interturbetur, sapientiæ tamen, seu certe Pietatis studium non amittunt. Præstantiores autem uirtutes, & ipsa Magnanimitas ad idem impellunt, licet non eadem ratione: Optima siquidem uirtus dirigit ex pietatis vi ad Dei dilectionem, ac cultum; ex sapientiæ amore ad contemplationem, ex affectu caritatis huma-

næ ad decentem omnium hominum associationem. Magnanimitas uero eadem perquirat, quoniam uirtutis actus, quibus talia paranda sunt, summo amore prosequitur. Quapropter Magnanimitatis, ac Optimæ uirtutis impulsus semper concordēs sunt, neque sibi inuicem aduersari possunt.

Æquanimitas nihil aliud erit, quam firmus uirtutis exercendæ amor, licet non adeo uehemens. Illi propriissimum erit, conquiescere in singulis moralium uirtutum actibus, licet, quæ tractantur, non sint adeo magna, sed fortasse humiliora. Itaque ipse Æquanimitis prompte deflectitur ad unumquodque, quod uirtutem utcumque contineat. quamuis enim ad summa propensus non sit, nihil tamen magis refugit, quam a quacumque recta actione desistere. Harum duarum uirtutum bonum tamquam ualde adhærens bono uirtutis Optimæ, illius naturam æmulari uidetur. eadem quoque uirtutes eiusdem Optimæ uirtutis imaginem utcumque referunt. uirtus siquidem, ac uirtutis actus, quos prosequuntur, absolute sunt boni, & malis omnibus aduersantur.

Magnanimitatis, & Æquanimitatis consummatio ex ea parte, qua rectum propositum continent, ac communiori Iustitiæ respondent, deducenda erit ex irradiationibus humanæ caritatis, ac ceterarum uirtutum præstantiorum ad Æstimatoriam. hæc enim ex propria vi recte percipere non potest moralium uirtutum naturam, pulchritudinem, fructus, ac munia, licet obscuriori quadam coniectura utcumque uaticinetur. Quapropter, nisi rationis vi accedente, cogitativaq. subministrante hæc recte perciperentur, constituta uirtutum dilectio non consisteret, seu certe omnino infirma, ac fluctuans esset: non dissimili ratione partes, quæ seu ad Prudentiam, seu ad Fortitudinem, ac Temperantiam pertinet, roborandæ erunt: rationis enim adiumentis deficientibus, impossibile esset, singula prudenter circumspicere, intueri, pensare, discernere, ac cauere, ne, dum uirtuti, ac humano bono deseruire nitimur, ad uitia prolabamur, humanoq. aduersemur bono, seu magnanimus, æquanime propositum fortiter retinere, seu eiusdem impulsus moderari, ne ex nimia acceleratione totum uirtutis opus perturbetur. Prudentia uero, quæ ad Magnanimitatis, ac Æquanimitatis consummationem desideratur, Circumspectio, seu cautio decentissime appellari poterit: Fortitudo dicetur constantia: Temperantia longanimitatis nomen assumet.

*De vitij Magnanimitati, & Aequanimitati oppositis. Cap. XIII.*

**M**AGNANIMITATI, ac Aequanimitati opponuntur plura uitia: rectæ enim intentionis uis deflecti solet a uirtutis habitu, ac ab humani boni prosecutione, tam ob uehementiorem intensiorem affectus Aestimatiuæ deseruentis, quam ob nimiam remissionem. Vehe- mentior intentio (ut animalium affectuum mos est) retundit usum superiorum uirtutum cognoscentium, Cogitatiuæ scilicet, ac Rationis, euenitq. ob id, ut dum uirtus, uirtutisq. actus uehementius amantur, ac appetuntur, uirtutum natura, ac partes plene non attingantur. Tunc igitur uirtutis dilectio continet quidem aliquod præclarum, sed fluctuantem agendi habitum parit, qui etiam nimiam Præsumptionem inducit, ob idq. leuitatis, ac Præsumptionis uitia fouet. Remissior eiusdem affectus impulsus, ipsius etiam Aestimatiuæ perceptionem labefactat, ipsumq. animum uere infirmum reddit, Ideoq. licet uirtutis præstantiam utcumque attingat, admiretur, ac diligat, nihilominus parum sibi in omnibus fidens, nihil molitur, nihilq. aggreditur, atque eum prosequendi habitum concipit, qui Pusillanimitatis nomine exprimi solet. Hoc autem uitium quamuis ex boni priuatione præcipue sit reprehensibile, raro tamen Omissionis culpa carere potest, Itaque non parum fauet extensionis uitij communioris, quod ad summam omissionem impellit, ac desidiam summe detestandam inducit. Quanam uero ratione Vanitas, ac Præsumptio, necnon Pusillanimitas, ac Desidia, reddant hominem incautum, ac incircumspectum, simulq. ad Inconstantiam, ac Præcipationem impellant, unusquisque, iam demonstrata perpendens, intueri potest.

*De ratione, qua ex optima uirtutis, ac humanæ caritatis intuitu, Magnanimitas, ac Aequanimitas induci, ac retineri possint, & uitia opposita declinari. Cap. XV.*

**S**ED demonstrandum est, quonam pacto ex humanæ caritatis, totiusq. Optimæ uirtutis perceptione, tamquam ex certi signi intuitu, hæ uirtutes recte parari, ac retineri possint, opposita uero uitia uitari, ac comprimari. Hæc autem ex his, quæ dicta sunt, facile colligi

ligi possunt. nam, sicuti, optimæ uirtutis, ac ipsius humanæ caritatis bono non percepto, uirtutis, ac uitij certiores rationes nos subterfugiunt, ita, si uirtutis, ac uitij rationes nos lateant, Magnanimitatis, & Aequanimitatis opus, ac bonum nos præteribit. E contra etiam, dum in uirtutum, ac uitiorum natura non decipimur, in Magnanimitatis usu firmiter insistimus, cum præsertim hæ uirtutes, humanæ caritati immediate adhæreant, ac ceteris imperfectioribus moderamen, ac legem imponant; Ipsæ uero ab Optima uirtute, ac humana caritate tantummodo componantur: illis siquidem propriissime conuenit, eatenus uirtutem, ac uirtutis actus diligere, quatenus ipsius caritatis, totiusq. Optimæ uirtutis bonum primo respiciant. nam, si non intuentur hoc bonum, magnum aliquod non continent, sed ad uanitatem perducunt. Neque tamen ob id suspicandum est, has morum uirtutes, uirtuti Optimæ, ipsiq. humanæ caritati, seu inutiles esse, seu parum adiuuenti illis afferre: dum enim Aestimatiuæ affectus propria quadam ratione ad id impellit, quod rationales affectus exoptant, illorum actio longe firmior, ac tutior redditur. Ipsi etiam Magnanimitati, ac Aequanimitati præcipue ascribendum est, ut nulla euentuum incertitudo agentem perturbare, atque ab actione retrahere possit. conquiescit enim in solo uirtutis actu, neque aliud præterea exposcit, ut præstantioribus conuenit. Quapropter uehementiores etiam, ac firmiores reddunt tam cognoscendi, quam prosequendi uires, simulq. animum ab omni Perturbatione, Vanitate, Præsumptione, ac Pusillanimitate longe tutiorem efficiunt, neque ullam seu Incircumspectionem, seu Præcipationem, seu Inconstantiam patiuntur.

*De decenti contractione communis caritatis ad seipsum, ex qua oriuntur decens suimet amor, ac ingenuitas; necnon de uitij, quæ ditius uirtutibus opponuntur. Cap. XVI.*

**A**ESTIMATIUE affectio quatenus simplici affectui humano adhæret, ac quodammodo copulatur, enarratis uirtutibus, & uitij sic decorari, ac deturpari potest. Eadem quatenus uersatur circa propria, hominesq. intuetur non omnino indeterminate, sed ex certa conditione definitos, alijs uirtutibus, uitijq. non paucis honestabitur, seu dehonestabitur. nam ea etiam plura sunt, quæ pertinent ad ra-

N n ij les

les hominum determinationes, & certas seu amicitiae, seu inimicitiae rationes exposcunt. Inter hæc illud primum obtinet locum, quo hominum vnusquisque a ceteris disiungitur, ac seipsum inspicit. Hæc ab humanis amicitijs seiungenda non est, quin potius diligentius attendenda. nam vere præcipua est, & sicuti primam humanæ caritatis contractionem constituit, ita dum recte exercetur, rationes omnes demonstrat, quibus eadem caritatis ad alios decenter est extendenda.

Huius affectionis duo fines videntur esse: quorum vnusquisque proprius appellari potest, sed non eadem ratione: alter siquidem ex eo censetur proprius, quoniam in bonorum omnium prosecutione proprium commodum intendit. Alter vero non tantum proprium commodum, sed illud etiam bonum præcipue attendit, quod ad Æstimatoriæ affectum propriissime pertinet. Ex fine priori constituitur amor proprius. Hic quandoque Naturæ legibus consentit; quandoque aduersatur. Dum Naturæ legibus consentit, præstantioribus affectibus, ac morum virtutibus aduersari non potest; quin potius illis quammaxime fauet. nam, quemadmodum nihil obstat, illud, quod ex propria natura, ac bonitate est amabile, amatoribus etiam maxime prodesse: ita inconueniens non est, aliqua a præstantioribus affectibus diligi absolute, ac ex eo tantummodo, quod vere bona, ac amabilia sint; & ob huius imperfectioris affectionis impulsus amari, vt sunt amanti vtilia, seu beneficia. quinimmo quamæpissime euenit, vt beneficij receptio ad præstantiorem amandi rationem perducatur. Patet tamen, suimet amorem tunc tantummodo ex Naturæ legibus exerceri, cum communem caritatem contrahit, sed non claudit. quin potius nihil aliud intendit, quam illius actus exordiri, non quia nos ipsos magis diligamus, quam totum hominum cœtum, quem humana caritas intuetur; sed quoniam, dum homines attenduntur seiunctim, vnusquisque tenetur se summe diligere: quoniam nemo seipsum ad omnium hominum commodum dirigere potest, qui omni sollicitudine destituitur sui, per quæ alijs est inseruiendum; atque etiam, quoniam caritatis, ac virtutis exercendæ copia numquam deest illi, qui vere se diligit. Datur tamen præstantior quædam suimet diligendi ratio, dum scilicet homines ex eo præcipue assentiuntur propriæ dilectioni, quoniam talis dilectio illi ex Naturæ, ac Dei legibus imprimitur: tunc siquidem coniectare licet, summam diuinæ dilectionis intensiorem vere adesse,

se, & ceteras imperfectiores tamquam iam in se ipsis emortuas, ab illa absorberi. patebit etiam, virtutem, qua vnusquisque se decenter diligit, non tantum retineri, sed etiam ad summum perfectionis apicem perductam esse.

Econtra vero, dum proprius amor seu ob vehementiorem intensiorem, seu ob magnam remissionem, excedit, seu comprimit dilectione præstantiores, pariet opposita vitia, quæ similiter plures admittent gradus. Et hæc quidem sufficienter, ni fallimur, docere possunt, quousque ab vnoquoque suimet amor recte extendendus sit. Posterior finis, qui eidem affectioni duplici ratione est proprius, sumendus erit ex ea relatione, qua vnusquisque intuetur seipsum, vt ceteris hominibus sociabilem, seu ut totius humani cœtus est pars.

Tunc vero vnusquisque, retento Naturæ ordine, optat, ut in hominum congressibus propria libertas, ac propria dignitas ea ratione sibi concedantur, ut aliorum libertas, seu dignitas non perturbentur. Et talis quidem sui ipsius amor, dum præstantiorum virtutum nulli perturbationem affert, neque aduersatur aliæ suimet dilectioni, de qua nuperrime diximus; pariet eam morum virtutem, quæ Ingenuitas appellari solet. Patet autem, libertatem, ac dignitatem essentialiter quidem bonas esse, sed non absolute. Itaque nonnumquam decenter relaxandæ sunt. vt puta, dum hominis alicuius præclara virtus, seu plurium hominum infirmitas exposcunt, ut quidam præsent ad commune omnium bonum, ceteri vero obtemperent. tunc quippe Ingenuitas non tantum vere retinetur, sed præclarius etiam splendet. At, si absque vlla decenti causa, ceterisque dissentientibus, aliquis seu alijs præesse exoptet, seu alijs potestatem præsumptibus stupide cedat, Ingenuitas vere destruetur, seu ob excessum, seu ob defectum.

Et excessus quidem arrogantiam pariet, defectus vero uilitatem. Sicuti autem Ingenuitas magnanimitate, seu æquanimitate carere non potest, ita arrogantia uanitatem, ac præsumptionem, uilitas autem pusillanimitatem aperte continent.

*De decenti extensione proprii amoris ad coniugem, ad uirum, ad filios, ad parentes, ad fratres, ad sorores, ac ad unumquemque ceterorum, ex quibus oriuntur decentes caritatis contractiones ad coniugem, & alios: ac de uitijs oppositis. Cap. XVII.*



**S**icuti communis hominum caritas, quatenus ad actum deducenda est, prius est ab unoquoque contrahenda ad seipsum, & decens suimet dilectio constituenda, ita suimet dilectio, ac ipsa communis caritas primo extendenda sunt ad coniugem, ad filios, ad fratres, ac sorores, demumque ad omnes, prout conuenit, effundenda. Ideo autem hae virtutes, ac dilectiones ad coniugem primo extendenda sunt, quoniam coniugalis unio, licet liberum uiri, ac uxoris consensum exposcat, naturalis tamen recte censenda est, atque illi immediate est proxima, qua unusquisque sibi ipsi associatur: pendet enim ab impulsu naturali affectuum, atque ea ratione, ut, nisi Naturae limites transcendant, tam praestantiores, quam imperfectiores idem intendant, & tam uir, quam mulier, domesticam societatem, quae ex hac copulatione oritur, naturaliter diligant. mulier siquidem, tamquam natura infirmior, ac timidior, tutiora libenter habitat, neque haec satis fidenter, nisi virili virtute associetur, ac muniatur. Vir autem natura fidentior, ac firmior libenter quidem domestica, ac tutiora egreditur: at, cum ad eadem ex Naturae necessitate reuertendum sit, nisi in eisdem fida aliqua, ac tuta societas inueniatur, plurimo animi maerore afficitur.

Additur etiam naturalis filiorum cupiditas, utrique communis. patet tamen, hanc copulationem tunc decenter firmari, cum neque uiri, neque mulieris pietas, deuotio, veritatis amor, humana caritas, Magnanimitas, seu Aequanimitas, decens suimet amor, ipsaq. Ingenuitas in discrimen adducuntur. quin potius vndequaque firman- tur, ac roborantur.

Siquis autem tam uiri, quam mulieris munia clarius attingere cupiat, simulque mutuae huius dilectionis rationes concipere: hic, ni fallimur, viro eas partes assignandas percipiet, quas aptandas diximus Prudentiae praestantiori, quae rationis potius, quam affectionis, est habitus, appellaturque Masculina, seu Dextera: Mulieri vero eas, quae conueniunt Prudentiae imperfectiori, ac omnino morali, cui sinistrae, ac femininae assignatur vox.

Vir

Vir igitur tenetur coniugem diligere haud secus, quam seipsum, uti in infirmiori statu constitutum, ob idque aliquanto diligentius. Mulier uero uirum diliget, tamquam seipsam, in praestantiori ordine constitutam. Ideoque aliquanto ardentius. Hinc colligere licet, ex harum dilectionum decenti usu uere nouas morum uirtutes non induci, sed certos tantum proprii amoris, ac Ingenuitatis modos oriri, Idemque respectu uitiorum tum excedentium, tum deficientium sentiendum est. In filiorum procreatione, ac educatione, ex quibus praecipuum coniugalis societatis opus deducitur, seruanda erit eadem Naturae lex, quae seruatur in decenti associatione uiri, ac mulieris. nam a parentibus similiter curandum est, ut filiorum pietas, deuotio, sapientiae amor, caritas, Magnanimitas, seu Aequanimitas, decens suimet amor, ac Ingenuitas tutentur, & adaugeantur. Itaque tam uir, quam mulier, in filiorum sollicitudine non ea tantum sibi attendenda perspicient, quae pertinent ad illorum vitam, sanitatem, agilitatem, robur, industriam, diuitias, dignitatem, ac libertatem seu paranda, seu retinenda, sed ea praeterea, atque praecipue, quae debentur Deo, ac sanctis, quaeque inducere possunt sapientiae amorem, adeptionemque, una cum caritatis intentione, ac usu; parentes enim ex Dei, ac Naturae legibus constituuntur ministri in filiorum ortu, ac educatione. Itaque earundem legum uirtute filijs afferre tenentur pro uiribus omnia, quae ad perfectius, beatiusque illorum Esse pertinere cognoscunt. In his autem praestandis recta directio a viro praecipue expetenda est, decens uero obtemperantia a muliere.

Parentum autem in filios auctoritas, dum filij in minori aetate constituti sunt, proportionem respondet rationi, moderanti appetitibus, nullis adhuc certis moribus imbutos. Dum uero filij ad maiorem aetatem perducti sunt, parentes ea ratione illi assistent, qua humana ratio praesse solet eisdem affectibus iam morum uirtutibus confirmatis. licet enim filij morum uirtutibus decorati, propriae Prudentiae uel seipsum recte moderari possent, nihilominus, Naturae lege sic exigente, parentum sententias libenter acquiescunt, nam & parentum prudentia est longe firmior, & omnia obsequia debent his, per quos tamquam per Dei ministros, Esse, ac cetera omnia, quae ad bene Esse conducunt, consecuti sunt. Eisdem ob causas filij parentibus opitulabuntur, ac ministrabunt, semperque aggredientur magis ardua, maioraque discrimina libenter subibunt, ut paren-  
tum

tum securitati, atque tranquillitati quam optime consulatur. Et hæc quidem ipsi filij, siue Matrimonij uinculo adhuc sint soluti, siue iam mariti, atque etiam patres effecti, parentum utriusque præstare debebunt, ita tamen, ut patri tamquam perfectiori, obedientia præcipue exhibeatur, Matri uero tamquam infirmiori, defensio. Ex his autem paternis, filiorumque obsequijs decenter, seu indecenter præstitis, constituentur similiter certæ potius proprii amoris, ac Ingenuitatis extensiones, ac uitiorum oppositorum, quam nouæ seu virtutes, seu uitia.

Ex diuina autem sollicitudine factum est, ut parentes in filiorum educationibus, ac cura aberrare nolint, & defectus omnis, qui paternas has dilectiones concomitari solet, pendeat potius ex ignorantia, seu ex negligentia, quam ex ulla malitia. sæpe etiam ob vehemenciam, quamuis stultam, filiorum dilectionem in idem incidunt. Fratrum autem, ac sororum coniunctiones, ac dilectiones recte colliguntur, si in his, quæ pertinent ad consilium, seu etiam ad pericula, atque ad labores, dum paruum est ætatum discrimen, deuinxerimus ipsos fratres ad uiriles partes sibi inuicem præstandas; eademque ratione sorores sibi inuicem uxorijs legibus astringemus, fanciemusque, fratres erga sorores exercendos esse, ut uir erga propriam uxorem. Econtra uero sorores erga fratres, ut uxor erga uirum. Sin autem fratrum, ac sororum ætates non parum distent, maiores parentum munia imitabuntur, minores uero filiorum. Harum tamen dilectionum unaquæque ex copulæ differentia erit denominanda. nam, sicuti dantur dilectiones maritalis, uxoria, paterna, materna, ac filialis, ita admittendæ sunt dilectiones fraternæ, ac sororiæ. quarum unaquæque eisdem legibus seu moderationem retinet, seu ob excessum, defectumue ad uitiosam formam deducitur. Hi tamen excessus, seu defectus, rarius induci solent, vixque diutius retineri possunt. nam, sicuti tales hominum copulationes a Natura sunt, ita illarum leges eiusdem Naturæ vi in uniuscuiusque animo insitæ sunt, neque umquam penitus diuelli possunt. Ex quo factum est, ut homines in his, in quibus primo exercendi sunt, ad uirtutem sint magis proni, hisque dirigentibus eas leges imbibant, quæ quammaxime conducunt ad ceterarum societatum decentem prosecutionem, ac usum. dum enim Natura duce, homines certa quadam ratione afficiuntur, erga seipsum, erga coniugem, erga parentes, erga filios, erga fratres, ac erga sorores, colligunt euidenter, quidnam seu ab alijs

expeten-

expetendum; refugiendumue sit ad suimet, vxoris, parentum, filiorum, fratrum, ac sororum commodum, seu ipsi aliorum unicuique, illorumque coniugibus, parentibus, filijs, fratribus, ac sororibus præstare debeant.

*De passionum causis, ac rationibus, de uirtute, quæ dicitur Humana fides, ac de uitijs oppositis.*

Cap. XVIII.



**D**ILECTIONES, quæ ab unoquoque exercendæ sunt circa seipsum, circa coniuges, circa liberos, circa parentes, circa fratres, sororesque, ac circa unumquemque aliorum (ut patet ex superioribus) complectuntur duas diligendi rationes. altera siquidem contrahit humanæ caritatis affectum, altera uero oritur ex certis seu condicionibus, seu relationibus illorum, qui diliguntur. Prior omnes homines æqualiter respicit: posterior uero inæqualiter. nam, quo magis extenditur, magis infirmatur. Quamuis igitur illarum unaquæque hominum societates firmiores exoptet, prior tamen, quæ caritatis vim continet, longe ampliorem societatem exquirat: posterior uero ex contractioribus societatibus acquiescit: Ea, quæ ad pleniorum societatum humanarum doctrinam pertinent, quæque earundem species demonstrare possunt, ac perfectissimam formam obijcere, suo loco explicanda erunt. Nunc illa videamus, quæ conferunt ad voluntatis institutionem. Itaque admonuisse sufficiet, hominum societates omnes, quæ ex sola Natura non oriuntur, nec non hominum mutuos actus eiusdem ordinis, passionibus inniti. Sicuti autem hominum unusquisque naturaliter concipit tum propriæ libertatis vim, tum paciscendi potestatem, ita neminem omnino late re potest, passionibus haud secus deuincire quam Dei, ac Naturæ leges, ex quibus effluit humana libertas, & omnis paciscendi potestas. In ipsis uero passionibus duo præcipue cauenda sunt, ut scilicet passionibus de his fiant, quæ sunt paciscencium, & ut utriusque commodum afferant. Ne erretur in priori, certa aliqua ratio statuenda est, qua tute discernere nobis liceat, quid nostrum, & quid alienum uere censendum sit. Hæc uero ex ipsamet hominis libertate sumenda est. sicuti enim illius usus manifeste est uniuscuiusque. ita quæcumque ex recto libertatis usu effluunt, seu acquiruntur, illius similiter erunt, & in eius potestate constituentur.

Ooo

Ad

Ad rectum autem libertatis vsum constituendum, tria præcipue desiderantur.

Primum, vt diuinæ voluntati in omnibus consentiat, & in nullo aduersetur: libertas enim deficiens a diuina voluntate, a qua constituta est, manifeste aliena arripit, ideoque, quoniam summæ reuerentiæ aduersatur, talis libertatis vsum non est rectus.

Secundum, vt neque alterius libertatis rectum vsum perturbet, neque ea assumat, quæ alij ex recto libertatis vsum consecuti sunt. nam, si hæc vere vnicuique sunt propria, patet, hæc inuadentem, seu perturbantem, aliena inuadere, ac propria libertate abuti.

Tertium, vt pactio prioribus pactioibus non aduersetur. iam enim constitutum est, pactioes naturalis, ac diuinæ legis vim continere, ideoque vnumquemque pactioibus deuinciri, haud secus, quam Dei, ac Naturæ legibus.

Sicuti autem his animaduersis pactioes reddentur tutæ a priori culpa, qua ad aliena extendi solent: ita distabunt a posteriori, quæ paciscentium operatur incommodum, si ea attendantur, quæ circa præstantiores morum virtutes sunt constituta. nouimus siquidem, singula ex humanæ caritatis bono perpendenda esse, & tale bonum fauere singulorum hominum bono, pro vniuscuiusque captu, nulliusq. intendere malum. Itaque pactioes omnes, ex quibus seu vterque paciscens, seu alter illorum, incommodum patiuntur, a recta ratione recedent. patet tamen, dum alter tantum læditur, a pactioe recedendum non esse, præsertim si in alio paciscente nullus sit dolus, sed promissis omnino standum: omnis siquidem sponso eorum, quæ in nostra potestate constituta sunt, neque diuinæ legi aduersatur, vere tenet. Præterea magis conducit humano bono, ac hominum vnicuique, aliquem, seu aliquos incommodum pati, quam humanas promissiones viribus destitui, irritasq. reddi.

Et illi quidem, qui stant pactioibus, ac promissis, quæ ad aliena, seu aliter debita, non extenduntur, decorati erunt illa virtute, quæ Humana fides appellatur, quæque totius humanæ Iustitiæ fundamentum censetur. Hæc vero virtus sicuti sæpe summam animi reuerentiæ exposcit, ita magnum Prudentiæ acumen requirit, quo doceamur, quanta bona (licet fero) concomitentur fidei firmitatem, & quanta mala vitijs oppositis annectantur. In eadem etiam desiderantur summa Fortitudo, ac summa Temperantia: sæpe enim maxima incommoda sustinenda sunt, & bona maxima de-

ferenda,

ferenda, ne a fide recedatur. Eadem fere desiderantur in pactioibus ita exercendis, ac firmandis, vt paciscentes vndequaue commoda consequantur, neuterq. seu lædat, seu lædatur. Itaque iure optimo præcipua quadam prærogatiua Homines appellari solent, tam illi, qui in pactioibus hæc præstant, quam qui sponsoibus constantissime insistent. Fidei vero virtus corrumpitur non tantum ob defectum, dum scilicet nulla habetur ratio pactioum, sed etiam ob excessum, dum, ne fides deseratur, etiam impia aggredi solent, & quæ legibus aduersantur. Sicuti autem spondentem decet sponsoibus stare, ita illius, qui non rerum successus incertos, sed ex primo paciscendi actu, plus æquo accepit, partes censenda sunt, alterius paciscentis incommoda refarcire. Illi etiam, qui cæteris præsumunt, curare debebunt, vt tales pactioes habeantur irritæ.

*De duplici Iustitia, ac Iniustitia.*

Cap. XIX.



VO magis hominum naturam decet, libere agere, ac promissis stare, eo magis inconuenit, eam pati aliquid præter pacta, ac inuoluntarie. Hominum igitur vnicuique ex Naturæ lege cordi est, vt sua singulis tribuantur, ac permittantur, & quatenus ablata essent, restituantur, nullusq. inuoluntarie, ac vltra pactioes damnum aliquod patiat. Et hic quidem morum habitus, quo nullus præter propriam illius voluntatem damno afficitur, sed vnicuique, quod suum est, tribuitur, seu restituitur, Iustitiæ voce proferri solet, contracto quodam modo nomine communioris Iustitiæ, quæ impellit vnumquemque ad sua agenda, ac numquam deserenda. Idq. non incongrue: nam, dum vnicuique sua tribuuntur, & qui tribuit, & qui recipit, sua agunt, & ad sua agenda prouocantur: dum enim vnusquisque sua recipit, & retinet, quam facillime sua agere potest.

Econtra etiam, dum hæc subtrahuntur, singuli a proprij muneris vsum diuertuntur, ac perturbantur.

Huius Iustitiæ duæ sunt partes præcipuæ, quarum altera sua vnicuique tradit, ac distribuit: altera sua vnicuique restituit. Ea vero, quæ sua vnicuique permittit, & tertia censeretur, quoniam nullum actum parit, certam aliquam Iustitiæ speciem non constituit, sed Iniustitiæ carentiam simpliciter arguit. Iustitia, quæ vnicuique sua tradit, distribuitque, Iniustitiam præcessisse non supponit.

Ooo ij Ideoq.

Ideoq. prima Iustitia, atque etiam ex munere Distributiua appellanda erit. Huius usus & difficilior, & aliquanto liberior est. nam recipientium iura non adeo patent. sæpe etiam non indecenter ambigitur, quibus dandum, & quibus non dandum sit, necnon (quod maiorem difficultatem continet) quantum unicuique dandum: recte enim præstari non potest absque recta dijudicatione rerum, & personarum, decentiq. comparatione rerum ad res, & personarum ad personas; ex quo oritur ea proportio, quæ vocatur Geometrica.

Et hæc quidem eandem rationem continent, seu de commodis, seu de incommodis distribuendis agatur.

Iustitia, quæ sua unicuique restituit, ob idq. emendatiuæ vocem admittit, iterum erit bipartienda: in quibusdam enim Distributiuæ Iustitiæ naturam redolet: nam nullam Iniustitiam præcessisse supponit, ut puta, dum mutuata restituuntur; & in contractibus ipsi contrahentes se inuicem iusto pretio, seu debita mercede, nulla ex parte defraudant.

Quapropter Commutatiua proprii nomine vocari solet. nam ex eo tantummodo emendationi deseruit, quoniam his obstat, quæ emendationem exposcunt. Ex quo manifestum est, hanc Iustitiæ partem ex eo a Distributiuæ natura quammaxime recedere, quoniã illius usus nihil difficile continet, atque ob id vndequaue deuincit.

Eadem Iustitia emendatiua in quibusdam iniustitiam præcessisse supponit, vel certe an præcesserit, animaduertit, Ideoque Emendatiuæ cognomen decentissime retinet. Hæc vero quandoque rem potius, quam personas, respicit; aliquãdo potius personas, quam res.

Dum uersatur circa res, ea corrigit, quæ iniuriam quidem continent, sed absque vlllo crimine illius, qui aliena retinet, accipit, seu petit. hic enim ideo retinet, uel accipere intendit, quoniam opinatur, se ea retinere, seu petere, quæ vel sua sint, vel sua esse rationabiliter suspicetur. Itaque iniusta fortasse agit, sed non iniuste, nec vere iniustus est. Hæc igitur Iustitiæ pars Ciuilis appellari solet, quoniam uersatur circa ea, quæ nullum voluntatis defectum continent:

Dum personæ præcipue emendandæ sunt, semper patientis incommodo adiungitur agentis crimen: errat enim non ex opinionis defectu, sed ex voluntatis prauitate. Itaque hæc Iustitiæ pars Criminalis dicitur. Usus Iustitiæ ciuilis est facilius, atque etiam minus solutus, sicuti enim non difficile est, sancire, quæ res ad vnumquemque pertineant; ita, nisi omnia ad vnguem resarciantur, Iniustitiæ complectitur

complectitur vim. Econtra, usus Iustitiæ criminalis continet non parum difficultatis. quemadmodum enim personæ plurimum inter se differunt, ita personarum crimina plurimum discriminis habent: His accedunt differentiæ temporum, locorum, ac ceterorum huiusmodi, quæ actuum humanorum naturam quodammodo immutare videntur, sicuti etiam penæ imponendæ easdem ob causas idem in omnibus non præstant. Percussiones etiam, vulnera, homicidia, furta, adulteria, seu aperte, ac violenter, seu clandestine perpetrentur, & reliqua, quæ crimen manifestum continent, plurimas admittunt differentias. Præterea continent iniuriam, ac damnum non illius tantum, qui passus est, sed etiam totius societatis, quod longe ardentius vindicandum est.

Pater autem, hanc Emendatiuæ Iustitiæ partem ex eo Distributiuæ vim continere, quoniam innititur differentijs personarum, temporum, locorum, ac ceterorum huiusmodi. Existimare vero, quis posset, eiusdem virtutis esse, & penas delinquentibus infligere, & recte agentibus præmia erogare: sed hæc plurimum inter se differunt.

Ideoque primum conuenit Iustitiæ emendatiuæ, secundum vero Distributiuæ: præmia siquidem erogare, nisi pacta, promissionesue præcesserint, gratiosi non parum continet. Penas autem infligere, simplicis Iustitiæ est. cum enim vnusquisque recte agere ex lege teneatur, dum recte agit, culpam potius refugit, quam præmium mereatur.

Quapropter, dum præmia tribuuntur, id pertinet potius ad decetiam, & ad aliorum stimulum, quam ad Iustitiæ debitum. quod tamen intelligendum est, dum hæc fiunt non ex lege, sed ex simplicis libertatis usu. Vitia, quæ opponuntur, his Iustitiæ speciebus, ac partibus, oriri possunt tam ex excessu, quam ex defectu. nam quandoque plus iusto tribuitur, quandoque minus. In distributionibus, ac commutationibus bonorum, excessus minus reprehensibilis est, quam defectus: alieno enim bono vtrumque deseruit. quod tamen intelligendum est, dum id alterius damnum non continet.

In mulctationibus vero econtra. excessus vtrumque iustius accusatur, quam defectus. Sed aliqua dicenda sunt de partibus harum virtutum, quibus virtutis communioris partes singulæ contrahuntur. Prior, quæ communioris Iustitiam contrahit, ni fallimur, animi rectitudo recte appellari poterit. Quæ contrahit communioris Prudentiam, recta, ac solers dijudicatio dicenda erit. Quo ad

ad fortitudinem pertinet, Constantiæ nomine decorabitur: Quæ vero Temperantiam hæc ex parte perficit, Incontaminabilitas dicenda erit.

In ipsius autem Iustitiæ usu ea semper attendenda erunt, tamquam certa signa, quæ ad præstantiores virtutes pertinent: præcipue tamen illa, quæ in actionibus, ac in fide retinenda desiderantur.

*De Discretionem, ac Modestiam, necnon de oppositis vitijs. Cap. XX.*



NON tantum cauendum est, ne aliquis inuoluntarie patiatur damnum, sed curandum etiam pro viribus, vt in debitis præstandis, ac exigendis absit defectus, & excessus, licet nullum inuoluntarium videantur continere.

Tunc vero apparebunt illæ morum uirtutes, quæ Discretionis, ac Modestiam voce proferri solent. Discretio conuenit superioribus, quatenus inferiores respiciunt, exposcitque, vt inferiorum ministeria, ac debita exigantur potius citra decentiam, quàm ultra. Modestia contra, aptatur inferioribus respectu Superiorum, præcipitque, vt inferiores requirant a Superioribus ea, quæ sibi debentur, potius, citra, quam ultra decentiam: vtraque tamen uirtus etiam inter æquales exerceri solet. Corruptur hæc uirtutes tam ab excessu, quam a defectu. Quapropter a duobus etiam oppugnantur vitijs. Discretionem siquidem opponuntur Indiscretio ob excessum, & Relaxatio ob defectum. Modestiam aduersatur ob excessum Immodestia, seu Arrogantia, ob defectum stoliditas. sicuti enim Indiscretio, & Arrogantia, ultra decentiam hæc a superioribus, illa ab inferioribus exquirat; ita relaxatio, ac stoliditas, una inferioribus, altera superioribus omnia cedit. Siquis autem has uirtutes, & hæc vitia inuicem conferat, inter uirtutes Discretionem præstantiorem perspiciet: cohibet enim actus superioris, ac potestatem habentis, quod difficilius est, cum Modestia retrahat actus inferioris, & potestate carentis, quod est facilius. Inter vitia, Arrogantiam Indiscretionem, Indiscretionem Relaxationem, Relaxationem Stoliditate eisdemmet rationibus detestabiliores inuenientur. Decentia vero, quæ in Discretionis, ac Modestiam usu attendenda est, spectanda erit respectu inferiorum ex vniuscuiusque munere, ex agendi uirtute, & ex actionis fructu. dum enim ea imperantur, quæ proprium munus excedunt, vel propria imperantur, dum ex labore, seu ex ægritudine

vires

vires defunt, seu etiam dum nullus ex actione fructus elicitur, ad Indecentiam deuenitur, atque Indiscretio exercetur. Respectu autem superiorum, forte etiam æqualium, eadem Decentia sumenda erit non tantum ex agendi munere, ex agendi uirtute, & fructu, sed etiam ex agendi commodo, dignitate, atque opportunitate. qui enim, horum rationem non habens, superiorem, uel æqualem grauat, Modestiam limites excedit.

Siquis autem certius definire velit partes, quæ communiorem uirtutem contrahentes, Discretionem, ac Modestiam pariunt, facile, ni fallimur, assentietur, has ex Iustitia intueri bonum tam exigentis, quam illius, a quo exigitur. Itaque, dum concipitur bonum vel exigentis tantum, vel illius tantum, a quo exigendum est, orietur ea Iniustitia, quæ oppositorum uitiorum est pars præcipua. quorum alterum proprium, alterum alieni amoris excessum inducet. Simili ratione exercens Discretionem, ac Modestiam, ex eo prudens apparebit, quoniam proprium bonum non exquiret, dum conspicit, eum, a quo exigitur, teneri ad maioris mali expulsionem. Quod si proprium etiam malum repellendum est, tam proprium, quam alterius perpendet malum, & id, quod maius est, prius repellendum decernet, idemque in bonis prosequendis obseruabit. Quapropter discreti, ac Modesti seipsos eouisque ab actione cohibent, donec hæc illis utcumque consent. Oppositæ uero Imprudentiam uel in proprijs, uel in alienis pensandis deficiunt, uel etiam paruifacienda decernunt, animumque uel omnino suspensum, uel nimium celerrim reddunt.

Quod autem ad Fortitudinis, ac Temperantiam partes attinet, his proprium uidetur esse, dum alijs parcendum non est, ob illorum potius, quam ob propria incommoda compati; & dum alijs parcendum est, ob illorum potius, quam ob propria comoda lætari. At horum unumquodque ex intuitu illius signi, a quo imperfectiores affectus omnes moderandos diximus, certius definiri poterit, præsertim si Magnanimitatis, & Æquanimitatis, Ingenuitatis, Fidei, ac Iustitiæ tum distributiæ, tum emendatiæ rationes simul attendantur.

Has omnes uirtutes præstantiores attendendas dicimus. quamuis enim decentissima uirtutum ratio ex sola optima uirtute sufficienter sumatur, mentis tamen nostræ infirmitas non parum adiumentum consequitur, si hæc attendantur etiam ex bono mediarum uirtutum,

tum,



tum, quod optimæ uirtutis bono consentire iam nouimus: nam in uisibilem etiam prospectu dum signum, ex quo cetera sunt dirigenda, longius ab oculo distat, plura interponuntur, quæ ad illud recte dirigunt, sicq. oculi infirmitati succurritur.

Patet autem, id omne indecens esse, quod Fidei, Ingenuitati, Iustitiæque aliquo pacto aduersatur, ac uirtutis actus utcumque perturbat.

Ipsa uero Discretio, ac Modestia desiderari solet etiam in usu Iustitiæ. nam ab illis oriri uideretur omnis ratio æquitatis, quæ totius Iustitiæ ornamentum, ac consummatio recte appellatur. Quamuis autem Indiscretionis, ac Immodestiæ habitus non parum differant ab iniustitia distributiua, commutatiua, ac emendatiua, de quibus iam dictum est: illis tamen sunt quammaxime proximi. Idem oppositis uitijis euenit, ideoque transitus ex Indiscretionis ad Iniustitiam est ualde facilis. Ipsa etiam Indiscretio sæpius repetita manifestam Iniustitiam continet. nam, dum superiores ultra decentiam ab inferioribus debita exigunt, licet ob tribuentium timorem, seu uerecundiam ea uoluntarie tribui uideantur, apparet tamen, ipsos tribuentes interne angere, ac re ipsa inuoluntarie pati, seu expoliari. Quamobrem tandem ad id deducuntur, ut posthac se huiusmodi præstituros negent aperte. His autem perceptis, nisi ab exactione desistatur, Iniustitia se ipsam manifeste prodat. Idem etiam, licet diuersa ratione, ex Relaxatione euenire solet: inferiores enim dum animaduertunt, debita non exigi, sed relaxari, sæpe ad id deducuntur insanix, ut rogati debita præstare nolint, iamque aperte dissideant.

*De Affabilitate, familiaritate, Veritate, Comitatu, animi Moderatione, Humilitate, Mansuetudine, Amicabilitate. Cap. XXI.*



**H**UMANÆ caritatis contractiones, ac extensiones, Fides, Iustitia, Discretio, ac Modestia, quas hæcenus explicauimus, exercentur circa hominum actus, certos homines respicientes, quatenus seu Naturæ legibus, seu pactationibus subiiciuntur.

Præter has illæ morum uirtutes admittendæ erunt, quæ moderantur ceteros hominum actus, quibusq. essentialiter conuenit, certos quidem homines, ac aliqua ratione determinatos intueri, sed om-

nino

nino libere. Hæ duorum sunt ordinum, nam hi etiam actus ad totidem ordines deduci videntur. quidam nempe homini, in quem exercentur, ex propria vi nullum commodum afferunt, sed amicitix indicia tantummodo continent, Ideoq. Officia simpliciora appellari possent. quidam uero beneficium agentis animum erga recipientem, vel actu exercent, vel manifeste testatum reddunt. Officia simpliciora duplicem actum continent, exhibentis scilicet, & recipientis, seu appetentis. quamuis enim exhibens sæpe etiam simul recipiat, horum tamé utrumque proprijs habitibus uidetur subiici.

Ex his omnibus oriri videntur quattuor morum uirtutes, quæ humanam societatem inducunt, ac summe fouent, quæque certa serie sibi inuicem associantur, uidelicet affabilitas, familiaritas, ueritas, & comitas, necnon aliæ quattuor, quæ eandem societatem confirmant, ac tutissimam reddunt, animi scilicet moderatio, humilitas, mansuetudo, & amicabilitas. Affabilitas uersatur circa primos hominum congressus. familiaritas, quæ congressuum frequentationem supponit, notorum associationes, ac consuetudines regit. ueritas familiaribus sermonibus præest, illisq. præcipue, qui circa familiaria uersantur. comitas eos sermones respicit, quibus audientium animi exhilarari, seu contristari solent. Animi moderatio decentium officiorum exhibitionem, ipsumq. præcipue honorem, moderate diligit, moderateq. respicit. humilitas uero prompte exhibet. mansuetudo horum officiorum defectum facile condonat. amicabilitas lætatur ex aliorum bonis, ac ex oppositis contristatur. Harum omnium uirtutum ratio sumenda est ex præstantioribus morum uirtutibus: illarum siquidem unaquæque tunc recte exercentur, cum non aduersatur humanæ caritati, magnanimitati, seu æquanimitati, caritatis contractionibus, ac extensionibus, fidei, iustitiæ, ac discretionis, sed fauet potius. Ad idem faciunt Naturæ directiones, quibus unusquisque admonetur, quid parentibus, filijs, fratribus, ac sororibus præstandum sit. Itaque eadem morum uirtutes facile retinentur, dum in congressibus; ac in familiari usu iuniores uenerantur seniores tamquam patres, iuniores habentur a senioribus tamquam filij, & æquales ab æqualibus tamquam fratres, seu sorores: eadem quoque animi dispositiones manifeste colliguntur ex sermonibus tam domesticis, quam alijs, qui seu contristari, seu exhilarare solent, necnon ex communium officiorum prosecutione, ac condonatione, præcipueq. ex uaria amicorum, ac ex-

Ppp

trancorum.

traneorum fortuna, nam talia ut exercentur seu a senibus, seu a iu-  
nioribus, & seu senes, seu iuuenes respiciunt, eum usum exposcunt,  
qui singulorum ætatem decet.

Sciendum tamen est, tunc tantummodo solius ætatis rationem  
habendam esse, cum cetera omnia paria sunt. ceteris uero inæquali-  
bus existentibus, discrimen sumendum erit ex moralium uirtu-  
rum habitibus, & ex his, quæ hos habitus consequuntur, idq. ea ra-  
tione, ut singula attendantur ex ipsarum uirtutum dignitate. Ita-  
que, quicumque Pietati, ac Sapientiæ parû incubuere, neque etiam  
præclarum aliquod caritatis humanæ specimen exhibuere, dum in-  
cidunt in uirum seu pietate, seu sapientia, seu caritate insignem,  
eum tamquam patrem uenerari debent, fortasse etiam tamquam  
beneficum. nam, qui omnibus profunt, singulis profunt.

In his uero dijudicandis communis hominum sententia atten-  
denda erit, ac præcipue commune testimonium. eum enim, qui in  
Sacerdotio est constitutus, pium etiam existimare debemus: &, qui  
ceteris docendis præponitur, tamquã sapiens ueneratione est dignus.

*De Vitijs, uirtutibus nuper enarratis oppositis.*

*Cap. XXII.*



**A**FFABILITATI opponitur ex excessu uitium, quo ho-  
mines Nimij appellari solent; ex defectu Rusticitas.

Familiaritati aduersatur ex excessu nimia Familiari-  
tas, ex defectu Infociabilitas.

Veritatem, quantum ad propria, destruit ex excessu  
Iactantia, ex defectu sui depressio; quantum ad aliena, si in præsen-  
tia fiat, ex excessu respectu bonorum Adulatio, ex defectu Compres-  
sio, respectu malorum ex excessu Nimia impropertio, ex defectu  
Nimia præteritio: si fiat in absentia, respectu bonorum ex excessu  
Extollentia, ex defectu Alieni boni depressio, respectu malorum ex  
excessu Maledicentia, ex defectu Violenta defensio.

Comitati respectu oblectantium ex excessu repugnat scurrilitas,  
quæ indecore exhilarat: ex defectu Insipiditas: respectu contristan-  
tium ex excessu Morositas, quæ immoderate contristat; ex defectu  
Præteritio, quæ nimium contristationem uitat.

Animi moderationem corrumpit ex excessu Elatio, quæ indebi-  
ta officia, ac honores exquirat; ex defectu Abiectio, quæ debita non  
accipit, seu refugit.

Humili-

Humilitatem repellunt ex excessu Vilitas, quæ indebita officia, ac  
honores præbet: ex defectu Superbia, quæ debita officia denegat.

Manfuetudini opponuntur ex excessu Iracundia, qua homines  
exardescunt, cum ea, quæ indecenter expetunt, uel nullo modo con-  
ceduntur, uel non, prout expetunt, simulq. vindictam appetunt, &  
exercent: ex defectu stoliditas, qua homines illatas iniurias non per-  
cipiunt, neque perpendunt.

Amicabilitatem oppugnant Inuidia, & Insensatio: Inuidiæ si-  
quidem proprium est, contristari ex alienis bonis, quæ ipsa exoptat,  
& non obtinet, licet oriantur ex Iustitia, seu certe nullam contineant  
iniustitiam: & ex alienis malis lætari. Insensatio uero sensum tunc  
etiam omnino comprimit, cum ea, quæ sibi negantur indigne, alijs  
conceduntur indignè.

*De his, ex quibus uirtutum moderamen est colligendum. Cap. XXIII.*



**S**I quis autem uirtutes, quæ moderationem animi, ac  
humilitatem retinent, recte perpendat, facile animad-  
uertet, Manfuetudinem, & Amicabilitatem nihil  
aliud esse, quam illarum extensiones, ac usus. Qua-  
propter, si ea accuratius animaduertantur, quæ per-  
tinent ad animi moderationem, ac humilitatem, facile occur-  
rent, quæcumque seu Manfuetudini, seu Amicabilitati fauere pos-  
sunt.

Ea uero, quæ animi moderationem, ac humilitatem turantur,  
duo uidentur esse, meritum scilicet illius, qui honores, dignita-  
tes, atque obsequia respicit, & uoluntaria tribuentium exhibitio:  
Quicumque igitur exoptat dignitates seu ultra debitum uoluntarie,  
seu pro debito inuoluntarie, seu ultra debitum, & inuoluntarie, hic  
manifeste excedit: aduersatur enim bono humanæ caritatis, uel quia  
indebita expetit, uel quia indebite, uel quia in utroque peccat. Idem  
non dissimili ratione Magnanimitatem, & Æquanimitatem de-  
struit, Ingenuitatem, Fidem, Iustitiam, Discretionem, ac Mode-  
stiam oppugnat, simulq. Affabilitatis, Familiaritatis, Veritatis, ac  
Comitatis, rationes, perturbat. Ille uero, qui sibi debita, ac volun-  
tarie exhibita refugit, ob defectum aduersatur bonis eisdem, primo  
quidem priuatiue, potius, quam positiue: consequenter uero etiam  
positiue: quicumque enim dignitates sibi ex meritis oblatas refugit;

Ppp ij hic

hic eas non merentibus relaxare videtur. Animaduertendum tamen est, eum, qui dignitates sibi debitas, ac voluntarie exhibitas, ideo recusat, quoniam maiori alicui bono sit incumbendum, uere iniuriosum non esse seu sibi ipsi, seu dignitatem offerentibus, seu hominum vniuersitati, sed hunc summa in veneratione habendum esse, ut præstantioribus virtutibus obtemperantē, ac incumbentem.

Illi vero, qui honores etiam ex meritis debitos prosequuntur uel obsequijs, uel elargitionibus, a virtutis tramite longe distant; sed longius admodum ab eodem aberrant, qui has ob causas honorant, atque eo magis, si indignis dignitates tribuant, seu obsequia præbeant.

Quæstioni vero, quam aliquis mouere posset, qua scilicet ratione vniuscuiusque merita sint spectanda, recte, ni fallimur, satisfacimus, eadem repetentes, quæ ad virtutum limites constituendos conducunt. nam, qui humanæ caritati vehementius studet, atque etiam Magnanimitate, Æquanimitate, Ingenuitate, Fide, Iustitia, Discretionem, ac Modestia, necnon ipsa animi moderatione, ceterisq. morum uirtutibus, clarius illustratur: hic uere honore, dignitatibus, atque obsequijs dignus censendus est, magis autem, ac minus, pro uirtutum, quibus præcipue incumbit, seu ordine, seu gradu digniori. Ex his, quæ dicta sunt circa animi moderationem, ac humilitatem, tute colligere licet, Mansuetudinem tunc constitui, dum iram nunquam relaxatur ob honores, atque obsequia non præstita: iam enim constitutum est, hæc recte admittenda, seu etiam exoptanda esse, quatenus libere exhibeantur, & nihil uiolenti contineant: Dum autem aliqua ratione extorquentur, semper uitiose appeti. Nulla igitur adest irascendi ratio, dum ea non exhibentur, quæ unusquisque libere exhibere debet. Tales etiam indignationes ex eo reprehensibiles conuincuntur, quoniam humanæ caritatis bonum expellunt, simulq. aduersantur Magnanimitati, Æquanimitati, Ingenuitati, Iustitiæ, Discretionem, ac Modestiæ.

At non tantum irascendum non est, dum honores, & obsequia nobis subtrahuntur, sed neque dum paruipendimur, ac despiciamur, nisi id ob Magistratum, quem forte sustinemus, vel alia ratione communi bono officiat, simulq. iniustitiæ contineat vim. Tunc autem ideo contemptus ferendi non sunt, quoniam (ut ex iam constitutis patet) mutua caritatis bonum perturbant, simulq. continent quoddam vile, indiscretum, atque iniustum. recte tamen irascimur, dum

dum seu vis aperta infertur, seu aliquid fraudulenter adimitur: horum enim vnumquodque non tantum participale, sed commune etiam perturbat bonum, manifestamq. arrogantiam, ac iniustitiam continet. Sed huic excandescentiæ semper modus adhibendus est: nam Mansuetudinis virtus mitiora semper experiri iubet, omninoq. cauendum præcipit, ne, dum nostris medemur, communiora detrimentum, seu perturbationem aliquam patiantur.

Quamuis autem hæc ad vnumquemque pertineant, vereq. extendenda sint ad ceteros omnes, qui alijs deuinciuntur seu ex Naturæ, seu ex ciuili lege, seu ex approbata consuetudine, patet tamen, sæpe aliorum potius, quam sui rationem habendam esse: id namq. communi caritati fauet.

Tunc autem ipsi etiam Mansueti quammaxime excandescere, atque ad indignationem deduci debent, cum propria Ciuitas, aut Resp. hostiliter perturbatur: nam quammaxime decet, commune bonum vsque ad sanguinem tutari.

*De recta Aemulatione, ac de vera Amicitia gradibus. Cap. XXIII.*



**A**FFABILITAS, ac Familiaritas, Veritatis, ac Comitatis virtutibus vna cum animi moderatione, Mansuetudine, ac Amicabilitate accedentibus, Amicitiam pariunt. Hæc plurimum graduum est, tuncq. pleniorum consummationem admittere solet, dum recta Aemulatio intercedit. Ipsa vero recta æmulatio ideo ad summam amicitiam dirigit, quoniam, dum ad virtutis decentem æmulationem impellit, simul seipsam in alio constitutam æmulatur.

Animæ igitur eandem rectam æmulationem simul exercentes, ac sustinentes, his similibus vehementioribus, ac gratissimis motibus vndeque exagitatae necessario calefiunt, liquefcunt, ac admirabili quadam ratione sibi inuicem conglutinantur. Quapropter iam non duarum, sed vnius animæ seipsam intuentis, atque in seipsa conquiscentis, specimen continent, cum præsertim hic feruescentis amoris calor ea luce carere non possit, quæ vehementiorem calorem ex Naturæ ordine concomitatur, quæque, dum vtrique animæ huius mutua, ac summæ dilectionis vim conspicuam, ac apertam reddit, vtriusque amorem vehementius exagitat. Veræ tamen amicitia plures gradus dari manifestum est, hosq. recte colligi posse ex gradibus,

bus, quibus animi affectus magis, ac minus intendi, ac remitti diximus. Sed animaduertendum præterea erit, summam erga amicum intensiorem amoris summam eiusdem respectu illius, qui diligit, remissionem complecti. dum enim amicorum alter amicum vehementissime diligit, nullam in seipso, quatenus ad propria attinet, amoris retinet vim. Itaque vterque ex alieni amoris affectu summe diligitur, & a proprio amore penitus destituitur. Et hic quidem intensiorem, ac remissionis gradus perfectissimam amicitiam parit, quæ quanto est rarior, tanto diuiniore censenda est, nisi præstantioribus morum virtutibus aduersetur. Huic amicitia illa erit proxima, in qua internus vniuscuiusque amici amor, licet non omnino emoriatur, sed priorum etiam sæpe sit sollicitus, attamen amici commoda, ac bona semper proprijs commodis, ac bonis anteponit, idque ea ratione, vt, dum aliquid occurrit, quod ad amici commodum, ac bonum pertinet, omnem meditationem, sollicitudinem, ac vires in id etiam non rogatus, sed sponte reijciat.

Tertius amicitia gradus tunc constituitur, cum amici bonum vehementer quidem est cordi, verum eo pacto desideratur, ut circa ea, quæ illi conducere possent, sæpius meditetur, propriaque negotia ob illius commodum libenter intermittantur, sed bona iam adepta non facile ob id relaxentur.

Quartus, ac vltimus veræ amicitia gradus, tunc constituitur, cum amicus ab amico rogatus, sedulo quidem, ac fideliter proposita meditatur, operamque suam illi impertitur, sed ob id neque vllum incommodum, seu damnum recipere intendit, neque interne vehementer angitur. Et hic quidem amicitia gradus si ideo erga singulos remittatur, quoniam ad plures extenditur, satis laudabilis erit: nam communi bono non parum fauet. Sin autem id accidat vel ob amicitia infirmitatem, vel ob intensiorem proprii boni sollicitudinem, reprehensibilis quidem non erit, sed parum laudabilis.

Amici vero actus, quibus primo exquiritur agentis seu honor, seu lucrum, seu voluptas, veram amicitiam non pariunt: in his enim agens non recipientis, sed proprium intendit bonum, idque eo minus, si, qui in amicorum rebus agendis non amicum, sed seipsum primo diligunt, seipsum indecenter diligant.

Vitia, quæ tam rectæ Emulationi, quam Amicitia aduersantur, proprijs nominibus fortasse carent: patet tamen, rectæ emulationi opponi ex excessu vitium illud, quo nonnulli, dum in aliquo præclaro

rum

rum quid intuentur, illius incessus, ac voces imitari conantur: ex defectu illud vitium, quo hominum nonnulli nullum alienum admirantur, nec æmulantur. Amicitia virtus ex excessu corrumpitur, dum, altero ab Amicitia debito sapius, ac aperte deficiente, alter amicitia intensiorem retinet, atque adauget: seu etiam dum amicus, vt amico gratificetur, aduersatur diuinæ legi, ac Optimæ virtuti, necnon alijs, de quibus iam dictum est. Ex defectu, dum seu absque vlla causa ab amicitia receditur, seu laudabilis amicitia oblata stulte reijcitur, seu etiam (quod longe detestabilius est) dum aliquis ex Inimicitia actibus quammaxime delectatur.

Rationes vero, quibus virtutes hæ retinendæ sunt, ac vitia declinandæ, (ut ex superioribus patet) ex optima virtute, & ex alijs communioribus deducendæ sunt. Recta tamen æmulatio, ex veritate, ac comitate, tamquam ex proximioribus virtutibus, præcipue spectanda est. nam scurræ, seu valde morosi, necnon qui male audiunt, ac veritatis virtute carent, rectam æmulationem non enutriunt, et si aliquid fortasse boni operentur. Ipsa etiam virtus, quæ summæ amicitia nomine decoratur, definienda præcipue erit ex recta æmulatione, ex qua oritur: nam talis amicitia recte non exercetur, seu certe diutius non retinetur: nisi aliquid vtriusque adsit, quod mutuam, ac laudabilem æmulationem foueat, & nisi vterque ad decentem æmulationem sit pronus.

*De Beneficentia partibus, ac speciebus.*

Cap. XXV.



VAMVIS amicitia, illaque præsertim, quæ sunt ordinum præstantiorum, his maxime incumbant, quæ amicis profunt, illarum tamen habitus eas virtutes non pariunt, quibus homines Benefici appellari solent. illi enim, qui his amicitia vinculis deuincti sunt, non duo homines, sed unicus homo censeferi possunt. Itaque, dum vnus alteri prodest, sibi ipsi vere prodest. nam in amici bono tamquam in bono proprio conuiescit. Præterea homines talibus amicitijs inter se deuincti ut plurimum æquales sunt, & vterque æqualiter quodammodo beneficia confert, ac recipit. Itaque neuter vere beneficus censeferi potest. Habitus igitur, ex quibus homines benefici appellandi sunt, Amicabilitati potius, quam Amicitia uidentur annecti: quamuis enim amicabilitas ad plures se extendat, quam beneficentia,

tia,

tria, & absque vilo beneficentiæ usu proprios actus externe exercent, utputa, dum vultu, ac uerbis testatur internam lætitiā, quæ ex aliorum commodis oritur, & internum mærorem, quem pro hominum aduersis experitur: patet tamen, homines, qui hac uirtute decorantur, optime dispositos esse ad eos habitus, quibus beneficia prompte conferri solent, quique ad pauciores extendi consueuerunt, ac ut plurimum exposcunt usum illius affectus, qui respicit bona utilia, a quo simplex amicitia omnino seiungitur.

Ipsius autem Beneficentiæ illa uirtus primum germen recte censeferi potest, qua homines suam operam, & sua, prout uires suppetunt, unicuique pro uniuscuiusque dignitate ex animo offerre solent, quaque etiam non rogati, arripiunt libenter deseruendi, gratificandiq. occasiones.

Huic adijciuntur uirtutes, quæ firmiorem benefaciendi usum inducunt, & seu admonitione, seu doctrina, seu consilio ad actum deducuntur. Eiusdem ordinis uidentur esse prompta rerum utilium mutatio, quæ recipienti commodum, danti autem damnum non affert; ea elargitio, quæ cum paruo dantis damno ad aliquod egenorum hominum suffragium exerceri solet; liberalitas, qua cum dantis damno inferuitur amicorum commodo, atque honestati; & magnificentia, quæ cum dantis damno non paruo prosequitur amicorum honorem potius, ac dignitatem, quam commodum, ac honestatem.

Et hæc quidem posteriores uirtutes oriuntur ex decenti extensione affectus, qui *Æstimatiuæ* deseruit, ad eum, qui *Memoriæ* aptatur, simulq. ex huius ad illum erectione. bona enim quæ mutantur, quæ pauperibus parce impertiuntur, quæque ex liberalitatis, ac magnificentiæ impulsibus dispertiuntur, ac erogantur, (ut ex iam constitutis patet) pertinent ad *Memoriæ* affectum. Priori uirtuti opponuntur, ex excessu vitium, quo nonnulli ea offerunt, quæ non possunt, seu re ipsa præstare nolunt. excedunt etiam, qui neque personarum, neque locorum rationem habent, Ideoque, dum animum beneficum ostentare cupiunt, ridiculi, seu molesti redduntur. Ex defectu etiam peccant, qui nulla benefici animi testandi sollicitudine tenentur. Exceditur in admonitionibus, doctrinis, ac consilijs, dum ab his exercentur, qui admonendi, docendi, ac regendi potius sunt, & erga eos, qui sapientia, prudentia, ac experientia excellent, seu, licet his indigeant, hæc tamen manifeste spernunt. Exceditur

ditur etiam nonnumquam ex importunitate temporis, loci, occasionis, ac personarum præsentia. Dum vero horum nullum obstat, si nulla sit admonendi, docendi, ac consulendi sollicitudo, benefici animi defectus recte colligi poterit.

Virtutes, quibus mutationes, ac erogationes recte exercentur, corrumpuntur potius ex defectu, qui homines tenaces reddit, quam ex excessu. Exceditur tamen, si aliena mutentur, seu propria habentibus: si elargitio fiat non indigentibus, atque cum indigentium, ac sibi coniunctorum incommodo. Liberalitati opponitur ex excessu Prodigalitas, ex defectu Auaritia.

Magnificentiam destruit ex excessu bonorum utilium Dilapidatio, ex defectu Tenacitas.

Sicuti autem omnis beneficentia ex amicitia oritur, simulq. tum ab ea, tum a ceteris uirtutibus præstantioribus definienda est: ita illius partes posteriores a prioribus moderamen accipient. tunc siquidem Magnificentiæ recte exercetur, cum liberalitatis usum non destruit. Liberalitas tunc retinetur, cum pauperum erogationes, seu debitæ mutationes non repelluntur. In his etiam exercendis pollicitationum memoria retinenda est, ac singula consulto agenda: nam prius promissa præstanda sunt, postmodum uero libere pro uiribus erogandum.

Oriuntur autem posteriores Beneficentiæ partes a prioribus. nam, qui ex animo propriam offert operam, si uires, ac facultas adsit, singulos libenter admonet, docet, ac consulit, neque bonis utilibus parcat, ut omnibus, prout conuenit, beneficus sit.

Quemadmodum autem Beneficentiæ usus certa moderamina exquirat, ita beneficiorum receptio si vitio carere debet, certis legibus deuincitur.

Hæc uero facile colligi possunt, his animaduersis, quæ ad Beneficentiæ uirtutem pertinent. raro enim aliquis beneficentiam exercet, dum recipiens uitiose recipit. Illud tamen ex Naturæ, ac uirtutum omnium vi in recipiente quammaxime desideratur, ut scilicet gratum se erga beneficum exhibeat. Id dum recte præstatur, oritur Gratiitudinis uirtus, quæ Fidei uinculum æmulari uidentur: corrumpitur tamen non tantum ob defectum, sed etiam ob excessum, si præstantioribus uirtutibus aduersetur.

*De decenti bonorum utilium sollicitudine: de frugalitate: de desidia abomina-  
tione: de cura agilitatis, ac sanitatis, ex motu, ac cibis: de continentia a  
ueneris, ac de oppositis vitijs. Cap. XXVI.*



**V**IRTUTES, quibus Memorix affectus in se, atque absolute perficitur, sunt duæ, decens scilicet rerum utilium sollicitudo, ad propriam, ad suorum, atque ad amicorum (prout vniuscuiusque statui conuenit) commoditatem, ac honestatem. Et frugalitas, quæ eisdem bonis ad eisdem usus libere, ac modeste vitur.

Priori ex excessu opponitur Infatiabilitas, ex defectu bonorum utilium neglectus. Posteriori aduersatur ex excessu Effusio, ex defectu Angustia.

Ipsa vero bonorum utilium sollicitudo eatenus fortasse recte extendenda erit, quatenus iam accepta sufficiunt, tum ad liberalitatem exercendam, tum ad aliquod pro statu magnificum præstandum. cum enim ingenuus animus a liberalitatis vfu desistere libenter non possit, neque absque rubore, dum occasio offertur, a Magnificencia recedat, eiusdem etiam animi erit, hucusq. rerum utilium cura teneri.

Idem tamen animus animaduertet, bona vtilia esse propter aliud bona, ex eo scilicet, quod humanis necessitatibus subsidia afferant, Ideoque, hanc sollicitudinem intendere potius malorum fugam, quam adeptionem eorum, quæ vere sunt bona. Frugalitas itidem tunc retinebitur, cum in domestico victu id intenditur, quod liberalitati conuenit, neque magnifici animi semina repelluntur.

Virtus vero, qua Phantasiæ affectus, qui postremus rationis vim recipit, in se decorandus est, erit illa, quæ desidiam omnem abominatur, simulq. externam coarctationem refugit, sed rationis, ac præstantiorum virtutum legibus sese quamlibentissime subijcit.

Virtutes autem, quæ pertinent ad eundem affectum quatenus associantur affectibus, sensus communis, sensuum exteriorum, ac imperfectissimi sensus, tres videntur esse. Prima proprii corporis fortitudinem, & agilitatem intendit, eandemq. per motus, ac corporis vsus prosequitur. Secunda eiusdem proprii corporis sanitatem inquirit, cibosque, ac somnum, necnon uestimenta, & domos ex solius sanitatis fructu metitur. Tertia venereos actus vel omnino cohibet, vel illis ad legitimam tantum filiorum procreationem cõsentit.

Virtuti, quæ desidiam abominatur, & coarctationem indecentem

tem.

tem refugit, ex excessu illud vitium aduersatur, quod licentiæ nomine proferri solet: ex defectu Accidia.

Illi, quæ corporis sanitatem per corporis motum exquirat, opponitur ex excessu Nimia corporis defatigatio, ex defectu Socordia.

Illam, quæ sanitatem intendens, cibos, ac reliqua moderatur, destruit ex excessu Gula, & quæ Gulæ adhærent: ex defectu Inedia.

Illi demum, quæ venereos actus cohibet, opponitur ex excessu Luxuria: ex defectu, Debiti a coniuge retractio.

Illam uero uirtus, quæ desidiam abominatur, ac rationis impulsibus prompte parat, tunc maxime uiget, cum rei familiaris premittit angustia. ingenui quippe animi est, omnes labores libenter sustinere, industriæq. ardentem incumbere, ut aliquando sibi, ac suis necessaria abundant. At longe illustrius splendet, cum necessaria omnia abundant: tunc siquidem non necessitate, sed voluntate exercetur, atque ad bona longe præstantiora impellit.

Virtus, quæ corpus per multiplices motus agile, ac firmum reddit, necnon illa, quæ cibis, uestimentis, domibus, ac somno moderatè utens, sanitatem, ac uitam tuetur, ea bona prosequuntur, quæ Naturæ potius, quam industriæ censerentur. eatenus enim prosequenti profunt, quatenus ministrant adeptioni, ac incremento bonorum præstantiorum, quæ arte, atque industria parari, tutariq. possunt. Eadem etiam ex ea parte, qua non sunt posita, in potestate hominis rationi obtemperantis, mala potius erunt existimanda, quam bona: neque enim aliter sentire licet, absque offensione Dei Opt. Max. qui singula sapientissime dirigit, cum præsertim compertum sit, summam ipsius bonitatem de hominis bono sollicitam esse, & post huius uitæ cursum longe præstantiora recte meritis elargiturum.

Tertia uero eiusdem ordinis uirtus, quæ venereos actus uel omnino cohibet, uel ad legitimam tantum filiorum procreationem exercet, constituitur ex certo moderamine ex ea parte tantummodo, qua generationi filiorum assentitur, talisq. moderatio ex ipso præcipue sine designanda erit: ex ea parte uero, qua tales actus omnino cohibet, laudatur ex abominatione illius uoluptatis, quæ omnino brutalis est, & ex compressione illius appetitus, qui, filiorum generatione excepta, malum tantummodo operatur, Ideoque non ex certo moderamine, sed omnino, comprimendus est.



Sicuti autem perpetrantium vitiorum intensio animū procliuem reddit ad quodcumque scelus perpetrandum, tyrannidemq. pessimam exercendam; ita summe intensā Accidia animum ad mala omnia ferenda, atque ad ipsam tyrannidem sustinendam disponit: nam, sicuti summa Accidia plures ad summam licentiam prouocat, ita aliquorum summe intensā licentia plures ad Accidiam impellit. Hæc igitur vitia, licet in eodem reperiri non possint, vere tamen se ipsa amplexantur, hominesq. perducunt ad coniugium quoddam summe detestabile, abominabileque, cuius fructus, ac fecunditas constituitur in consummata bonorum omnium auulsione, ac compressione. Hæc vero ideo euenire solent, quoniam capitalium vitiorum unicuique commune est, clariora rationis lumina, necnon cogitandi vim tamquam sibi maxime aduersantia, maximeq. suspecta oppugnare. Hanc autem oppugnationem (prout vniuscuiusque naturæ conuenit) tribus præcipuis rationibus exercere consueuerunt: primo enim, dum proprijs intendunt bonis, ipsam cogitandi virtutem ab absolutorum, præstantiorumq. bonorum intuitu dierrunt. Secundo, eandem intentissimam reddunt ad ea perscrutanda, quæ fauent adeptioni apparentium bonorum, ac perperam exoptatorum. Tertio, ipsam indies magis, ac magis obrundunt, infirmantque. Et primum quidem ab vnoquoque capitalium vitiorum æqualiter pendere videtur. nam illorum vnumquodque animam iam ex indecēti Finis constitutione brutalem effectum, impellit ad illorum omnium neglectum, ac obliuionem, quæ pertinent ad pietatem, ad deuotionem, ad philosophiam, ad ac communem caritatem, ipsius videlicet diuinæ legis, necnon Naturæ, societatis, atque debitorum omnium.

Huic autem obliuioni, neglectuique, ex quibus constituitur primum, ac summe detestabile consequentiæ vitium, duo detestabiliora adiungi solent, internæ videlicet conscientiæ cæcitas, ac silentium, necnon sollicitudo, assiduaq. meditatio illorum, quæ aliqua ratione dirigere possunt ad Finem perperam constitutum.

Et hæc quidem præcipue ascribenda erunt sex capitalibus vitijs, quæ ex perpetratione delinquunt, licet non unicuique æqualiter. nam horum vnumquodque, dum propria bona prosequitur, ad media etiam, quibus huiusmodi bona attingi possint, inquirenda, ac prosequenda impellit. Accidia vero ita a bonis diuertit, vt nulla ratione videatur impellere, sed diuertere tantum a singulis tum bo-

nis, tum malis, quæ ex perpetratione procedunt. hoc siquidem vitium, licet vere vnicum sit, plurium tamen vitiorum sustinet uices. dum enim plene consummatum est, omnes cognoscendi, appetendi, ac exequendi vires obtundit. Summa autem huius vitij malitia, ex eo manifesta est, quoniam prima illius exordia contra præstantiores virtutes exercentur, nam primo ab harum vsu diuertit. Anima igitur, iam legum omnium obliuiosa, propriæq. conscientiæ reprehensionibus destituta, ex inhonestæ huius sollicitudinis vi, secundæ oppugnationi aditus apertos præbet. nam, quatenus alia ratione perperam exoptatis frui non detur, anima sic affecta facile ad id deducitur, vt decernat eligenda, amplexandaq. esse seu violenta, quæ ab Æstimatoriæ affectu videntur suggeri, seu fraudulenta, quæ Memoriæ appetitus obijcit, seu indigna, quæ a Phantasiæ affectu solent subministrari: seu etiam, dum horum nullum seiunctim sufficit, omnium copulationem, ipsamq. malignitatem, seu tyrannicam dispositionem, libere exercendam esse, tunc aditibus (vt aiunt) patentibus turmatim vitia egrediuntur. quatenus enim eligantur violenta, quæ Superbiæ, atque Iræ videntur quam maxime consona, effluunt ea consequentiæ vitia, quæ exercere solent limos intuitus, minas, iniurias, percussiones, uulnera, occisiones, rapinas, atque hominum, rerumq. extirpationes, simulq. iræ præcipitatio, iræ perseverantia, ipsaq. feritas, ac inhumanitas. Dum eliguntur fraudulenta, quæ suggeruntur ut plurimum ab Inuidia, atque ab Auaritia, quandoq. etiam ab ipsa Superbia, præbentur aditus hypochrisiæ, inobedienciæ cum obedienciæ simulatione, adulationibus, falsis amicitijs, mendacijs, deceptionibus, furtis, sacrilegijs, ceterisq. huiusmodi monstris. Dum eliguntur indigna, ad quæ impelluntur ut plurimum Gula, ac Luxuria, sæpe etiam Auaritia, & Superbia, (huic enim proprium est, etiam per propria mala propria bona prosequi) ea consequuntur vitia, quæ inducere, ac exercere solent uilitatem, sorditiem, dehonestationes, ac inuerecundiam omnem.

Dum eliguntur maligna, quibus præcipue utuntur Superbia, atque Inuidia, profiliunt detractiones, murmurationes, peruerforum hominum tutelæ, personarum inhonestæ acceptiones, iniusta iudicia, calumniæ, iniustæ accusationes, iniustæ, inhonestæq. uexationes, falsæ testificationes, falsa iuramenta, proditoria defensiones, uiduarum, pupillorum, atque peregrinorum proditoria tutelæ, aperta prodiciones in his, quæ pertinent tam ad facultates, honestatem,



statem, ac dignitatem, quam ad uitam, & libertatem. Hæc autem sicut caritatem ad inhumanitatem conuertunt, atque etiam ad Patriæ prodicionem, pessimamq. tyrannidem deducunt, ita impellunt ad incantationes, ac ueneficia, quæ Deuotionem peruertunt: demumq. ad idolorum cultum, qui priori quadam ratione aduersatur Pietati. Existimandum tamen est, homines absque prauorum spirituum impulsu ad huiusmodi monstra non deuenire.

Tertia uitiorum uictoria, qua mens, & cogitatio iam a proprijs bonis deflexæ, & ad mala conuersæ, obtunduntur, ac deprimuntur. quamuis unicuique uitiorum recte ascribi possit, Iræ tamen, Gulæ, Luxuriæ, atque Accidiæ, decentius accepta fertur. Ira enim sanguinem, spiritusq. uehementer accendens, eosdemq. uiolenter, ac inordinate impellens, discurrendi uim quamcitissime peruertit. Gula, & Luxuria dum eosdem spiritus ad inferiora retrahunt, detinentque, densiores reddunt, simulq. cogitandi uirtuti ineptissime obtemperantes. Accidia autem dum nihil tentat, nihilq. molitur, sed inertia tantummodo studet, ipsam cogitandi vim rubigine vndequaque ob uoluit, penitusq. deuincit. Cogitandi igitur uirtute ad id infirmitatis deducta, ea consequantur vitia necesse est, ex quibus oriri solent consiliorum præcipitatio, iudiciorum temeritas, in deliberando inconstantia, in exequendis nulla attentio, nulla cautio, nulla animaduersio, incapacitas, obliuiositas, mentis deuagatio, plena inscitia, stupiditas, rusticitas, fluctuatio, negligentia, imperseuerantia, impatientia, inobseruantia, irreuerentia, & similia.

At silentio demandandum non est, ex eisdem fontibus oriri alia consequentia vitia, quæ tunc insurgunt, cum vitia vel perperam operata adipiscuntur, vel ab illorum adeptione repelluntur. Talia uidentur esse illa vitia, ex quibus effluunt Vanagloriatio, uana exultatio, præsumptio, iactantia, insolentia, multiloquia, turpiloquia, risus immoderati, scurrilitas, obscenitas, noua quædam uilitas, iræq. uacuitas, prodigalitas, uiliumq. bonorum effusio.

Accedunt etiam summe seu excedens, seu deficiens sollicitudo, proprii corporis, uestimentorum, ciborum, domorum, ac externorum omnium: decet siquidem, effuso a capitalibus uitijs omnium uitiorum uirtu, ut anima illis imbuta, uitijs vitia omnia complectentis deformitatem, fetoremq. vndequaque referat, atque exhalet.



**Q**UAE circa uitiorum progressus enarrata sunt, demonstrare possunt, dari plures status, ac usus uitiorum capitalium. Hi uero ad ternarium numerum recte deduci poterunt. quandoq. enim uitia ita infirma sunt, ut, nisi circumposita omnia ad malum impellant, & singula retrahentia absint, in errorem non perducant. Tunc itaque absunt tam plurium affectuum inordinatus consensus, quam unius affectus summa intensio. nam uitium, in exordio potius, quam in consummatione constitutum est.

Quandoq. licet multa aduersentur, his, quæ uitium prouocant, multaq. perpetrationem impediunt, nihilominus anima deprauata humana omnia experitur, ut male concepta perficiat, ita tamen, ut nihil contra pietatem, contra caritatem, seu etiam contra fidem datam moliri intendat.

Quandoq. uero, licet humana nullam spem afferant sceleris concepti perficiendi, uitij uehementioris vis ita urget, ut homines sic correpti, incantationibus, ac prodicionibus inniti audeant. quod uitij culmen manifeste arguit, neque absque prauorum spirituum impulsu uidetur dari. His uitiorum statibus respondent totidem status, ac usus uirtutum moralium: nam quandoq. ad perficiendum id, quod ratio suadet, uirtusq. intendit, adsunt uires, ac agendi rationes, neque aliquod operis consummationi obsistit. Quandoq. adsunt quidem nonnulla, quæ uirtuti fauent, plurima tamen desunt, pluraq. obsistunt. Quandoq. omnia adiumenta deficiunt, & cuncta uidentur obsistere. Dum in promptu sunt omnia, quæ ad actionis consummationem pertinent, neque aliquid aduersatur, apparet uis communioris uirtutis, quæ solam uitij carentiam arguit. Dum plura desunt, pluraq. obsistunt, heroicæ uirtutis robur conspicitur, tunc siquidem desiderantur plurium inuentio, uehementiorq. agendi ratio. Itaque anima uere solers, rationabili aliqua uiolentia, seu noua aliqua industria, seu maxima aliqua humilitate, seu etiam his omnibus utendum percipit, atque ut percipit, intendit, ac perficit.

Violenta autem, quæ eliguntur ui rationis, ac uirtutum præcipuarum, simulq. ex uehementiori communis boni desiderio, sæpe ipsummet agentem respiciunt: quatenus uero ad alios extendantur,

dirigentur ad commodum eorundem, qui patiuntur, ut in emendationibus, ac disciplinis accidit: seu commune bonum intendent, ut in bellis, & in multationibus euenit. Singularis quoque industria multipliciter exercetur: quandoq. enim perficitur ex sola prudentia, quæ eximium aliquod inquit: quandoq. continet summam Eloquentiæ vim: aliquando honestam dissimulationem adiungit: aliquando nouæ, inusitatæq. alicuius machinæ vtitur constructione: aliquando horum omnium, prout res postulat, atque etiam aliorum coniungit vsum. Humilitas verbis, donis, atque externis actionibus exerceri potest. hæc autem sæpe honestissime eligitur, vt puta, si mater filium a Patriæ retrahat auersione; vel, si tyranni debacchantis impetus ab inermibus comprimendus sit. Dum vero res, quæ obijciuntur, ita ardua est, vt nullæ hominum vires, nullaq. industria adiumentum afferre possint; sed humana omnia infirma sunt, effundi solet splendor summæ caritatis, veræq. pietatis: anima namq. transcendens heroicam virtutem, habitumq. diuiniorem, ac præstantiorem adeptam, vsum assumet quattuor, quæ longe firmiora sunt, & superioribus proportionem respondent. Primo enim firmiter insistens diuinis adiumentis, quæ omnium vires, atque artem excellunt, decernit, sibi incumbendum esse orationi vehementiori, humiliori, ac prolixiori, intentæ ad beatos spiritus, præcipue vero ad ipsum Deum Opt. Max. haudquaquam ignorans, sæpe summam Dei bonitatem orationis vi ita inflecti, vt propriam omnipotentiam in orantium obsequium exercere velit, ipsosq. reddere non tantum a quacumque vi externa tutos, sed etiam ad ardua quæque aggredienda, & perficienda firmos, ac fortes. Secundo, diligenter animaduertet diuinas admonitiones, ac directiones, nullatenus ambigens, quin diuina præcepta, & consilia, quæ ex summa Dei sapientia pendent, atque ex eiusdem summa bonitate ad hominum regimen proferuntur, totius humanæ artis, atque industriæ vim excellant, ideoque illos, qui huiusmodi præceptis, consilijsq. recte innituntur, licet rerum cursum interius concipere non possint, summam, ac præclarissimam artem, industriamq. vere exercere, & iccirco tutissimos esse a quavis arte, ac industria huic aduersantæ. Tertio, se, ac sua omnia libere offeret, ac deuouebit Deo Opt. Max. tamquam omnium domino, ac decenti humiliatione vtetur. Decet autem deuouentem paratum esse non tantum ad diuitias, ac facultates omnes in Dei obsequium expendendas, atque erogandas, sed

ad se

ad se etiam holocaustum fortiter constituendum, licet per cruciatus, tormentaq. acerbissima moriendum esset.

Credendum autem est, talem oblationem, annuente Dei bonitate, animam aptissimam reddere ad certam adeptionem bonorum omnium præstantiorum. neque enim summa Dei bonitas, aut huiusmodi oblationes spernere potest, si recte exercentur, aut eos, quis ita amplexatur, non vndequaue tutari.

Quartum, quod ex trium horum copulatione oriri, sanctitatis nomine recte insigniri poterit. Ex superioribus autem recte coniectare licet, hanc non tantum cetera humana excedere, sed ipsum etiam humanum captum. Animaduertendum tamen est, Naturæ quidem vim ad horum vnumquodque aliquo pacto impellere, (vt ex omnium populorum religione conuincitur) sed extra verum Dei cultum, & absque diuina gratia, horum nullum recte exerceri posse.

*De communi consensu virtutum, ob quem communiorem virtutem perficiunt, & vnius virtutis vndequaue perfecta specimen referunt.*  
Cap. XXIX.



EMONSTRANDVM nunc est, quam ratione morum virtutes, quas explicauimus, communiorem virtutem (quam respectu aliarum feminis partes sustinere diximus) ad summam perfectionem deducant, ipsæq. se inuicem amplexantes, ac sibi inuicem consentientes, vnicæ virtutis vndequaue consummatæ vim assequantur, & referant. Vt id recte fiat, animaduertendum est, singulas quidem morum virtutes complecti Iustitiam quandam, necnon Prudentiam, Fortitudinem, ac Temperantiam sibi proprias. quarum aliqua certo nomine proferri possunt, aliqua nomine carent. sed pro affectuum, quibus inhaerent, natura, in quibusdam Iustitiæ vim summe splendere, in quibusdam prudentiam quammaxime effundi, similibiq. ratione in quibusdam fortitudinem, in quibusdam temperantiam singulariter apparere. Affectus igitur dum communem dilectionem exercent erga hominem appetentem, inter se longe arctius conglutinantur, singuliq. a singulis ea colligunt, quæ sibi vtrumque deficiunt; & singulis ea impartuntur, in quibus ceteris præstant. Itaque, sicuti singulæ, Iustitiæ, Prudentiæ, Fortitudinis, ac Temperantiam

Rrr ij rantiam

rantia partes, in vnicam iustitiam, in vnicam prudentiam, in vnicam fortitudinem, ac in vnicam temperantiam concurrunt, ita hæc quatuor uirtutum partes, simul coniunctæ, vnicam uirtutem pariunt, in qua uirtutes omnes perficiuntur, ac illustrantur.

Hæc uero moralium uirtutum partes, pro maiori, minoriue dignitate, quam obtinent, vigent in uirtutibus dignioribus, seu minus dignis. Itaque Iustitia, cui proprium est, ea bona intueri, quæ primo appetenda sunt, ac ceteris partibus comparata, primum dignitatis obtinet locum, emicat præcipue in illis uirtutibus, quæ ceteris similiter longe digniores sunt, pietate scilicet, ac deuotione. nihil enim est seu magis debitum, seu magis iustum, quam Deum diligere, Deoq. inseruire, atque etiam beatis spiritibus obsequia decenter præbere.

Prudentia uero, in ipso diuino cultu, ac beatorum obsequijs, ad id tantummodo ualet, ut in diuina lege a non diuinis discernenda, non decipiamur, neque ignoremus, sensus nostros diuinæ legi prompte subiiciendos, ac illius præcepta diligentissime obseruanda esse. Fortitudo quoque, ac Temperantia, quantum ad ea, quæ his affectibus præstantioribus sunt propria, in his uirtutibus nullum locum habent. nam mala, quæ declinant, sunt absolute, & essentialiter mala, neque umquam sustinenda. bona similiter sunt bona absolute, & essentialiter, & numquam spernenda. Itaque Fortitudo in his affectibus tantummodo desideratur ad propositi, ac intentionis conseruationem: Temperantia uero, ut eatenus proprijs bonis priuetur, quatenus imperfectioribus affectibus assentiendum est, dum illorum mala repellenda sunt. Eisdem rationibus Prudentiæ uis, quæ uersatur præcipue circa bona non primo, sed consequenter appetenda, ac inter alias uirtutum partes respectu dignitatis secunda censenda est, quam maxime uiget in duabus morum uirtutibus, pietati, ac deuotioni proximis, philosophia scilicet, ac humana caritate: hæc siquidem ratiocinationem, & cogitationem indefinenter exercent, neque in proprijs prosequendis absque certa ratione, humano lumine attingenda, acquiescere possunt. Ideoq. id iustum asserunt, quod rationi est consonum, in quo summe differunt a pietate, ac deuotione, quæ prudentiam ex sola diuinæ legis obedientia, ac beatorum spirituum irradiationibus spectandam decernunt. Fortitudinis uero, ac Temperantiæ usus, in his, ac duabus præstantioribus uirtutibus eandem rationem habent. Fortitudo, quæ uersatur circa ma-

la,

la, quatenus boni vim admittere possunt, & respectu dignitatis est tertia; necnon Temperantia, quæ respicit bona, quatenus mali naturam adepta, vigent in uirtutibus ordinum imperfectiorum, ita tamen, ut fortitudo præcipue desideretur in uirtutibus, quibus Æstimatoriæ affectus est moderandus: Temperantia uero summam vim habeat in uirtutibus, quæ phantasiæ affectus respiciunt, quatenus in inferioribus sensibus aptatur. ratio est, quoniam Æstimatoriæ propriissime conuenit, futura cognoscere: phantasia uero, ut his sensibus præest, uersatur circa præsentia. patet autem, præcipuum fortitudinis opus esse, incommoda, ac pericula præuisa, ac imminencia sponte subire; & temperantiam tunc apparere, cum spernuntur oblectamenta præsentia. sicuti enim sustinere mala non præuisa, neque sponte suscepta necessitatem potius, quam uirtutem arguit, ita oblectamenta non præsentia spernere aut nullius, aut imperfectioris uirtutis est opus. Memoriam affectus fortitudinis quidem, ac temperantiæ usus exposcit, sed gradus imperfectioris. Quod uero ad iustitiæ, ac prudentiæ partes, quæ desiderantur a morum uirtutibus hos imperfectiores affectus moderantibus, ex superioribus satis apertum est, eas ex sola obedientia ad præstantiores affectus deducendas esse.

Silentio autem demandandum non est, fortitudinem ex affectuum inferiorum sufferentia summe quidem relucere, sed prima illius exordia uere sumi a fortitudine affectuum præstantiorum: his enim in proprio actu persistentibus, affectus inferiores illis omnino subiiciuntur. Itaque sapientissimus quidam, eam opinionem respiciens, quæ rectis actionibus præest, dixit, fortitudinem nihil aliud esse, quam conseruationem opinionis.





# CONTEMPLATIONIS QVINTAE,

## Pars Secunda:

Ex qua oriuntur institutiones comprehensionum internis animi affectibus deseruientium: simulq. demonstrantur humanarum societatum naturæ, diffentiæ, ac partes.



*De his, quæ in hac parte contemplanda sunt, ac de prioribus fontibus iuris naturalis, iuris gentium, iuris diuini, ac iuris socialis. Cap. I.*



MORALIVM virtutum doctrina obijcit rationes omnes rectæ voluntatis, quæ in decenti humanorum actuum vfu, primo loco desideratur. His igitur vtrumque percursis, ea perscrutanda sunt, quæ continent rationes rectarum comprehensionum, rectæ voluntati deseruientium. his enim deficientibus, voluntas inutilis redditur, nonnumquam incommoda, sæpe etiam deprauata. quod tamen accipiendum tantummodo est, respectu illorum actuum, qui deseruiunt pietati, deuotioni, ac humanæ caritati. quod enim attinet ad philosophiæ actus, ad ipsam videlicet speculationem, iam nouimus, hanc sibi præesse, ac propria vi proprios cursus moderari, hisq. median- tibus assistere ceteris humanis actibus. Itaque ex summa Dei bonitate factum est, vt hominum vnicuique ex vehementiori quadam Naturæ lege, sapientiæ dilectio imprimeretur. Actus vero, qui inferiorum affectuum intuentur bona, nullam institutionem exposcunt, præter illam, quæ voluntati aptatur. nam eadem, quæ virtutum rationes demonstrant, docent abunde ea omnia, quæ in vfu ipsarum virtutum expetenda sunt. Et hæc quidem, quatenus actuum comprehensioni præfunt, obijciunt ea iura, quorum alterum Natu-  
ræ,

ræ, alterum Gentium appellari solet. Naturale ius moderatur actus affectuum magis corporeorum, qui ex simplicis Naturæ lege intendunt conseruationem indiuiduorum, ac specierum, neque ullam hominum multitudinem supponunt, ea excepta, quæ ad solam coniugalem, ac filialem societatem desideratur. Gentium ius assistit actibus affectuum magis spiritalium, qui gentium multitudinem supponunt, licet omni sociali vinculo adhuc solutam, gentium sic solutarum intendunt bonum, atque ex Naturæ vi a singulis gentibus probari solet. Pietatis autem, deuotionis, ac humanæ caritatis actus ex sola rectæ voluntatis constitutione, ac habitu non exercentur, sed duæ priores exposcunt directiones diuinæ legis, quæ ab hominum seu voluntate, seu ratione non pendet. posterior vero supponit conceptum humanarum legum, quarum femina, diffentiæ, ac vfu absque propria, ac accuratiori contemplatione non attinguntur.

*De his, quæ instituere possunt internam comprehensionem, quæ præest selectioni legis vere diuinæ a non diuinis, & pietati deseruit. Cap. II.*



IRCA ea, quæ diuinitus reuelantur, ac pietatis, & deuotionis exercendæ rectas rationes demonstrant, mentis humanæ partes sunt, humiliter assentiri. Eandem etiam quam maxime decet, se pro viribus, diuinaq. adiuuante gratia, in dies firmiorem reddere ad diuinorum eloquiorum amplexum: præcipue vero quam diligentissime cauere, ne in re tanta decipi possit, dum his, quæ a Deo non sunt, tamquam diuinis assentitur, summamq. illis dignitatem stulte, ac impie concedit, & impartitur.

Humana ratio hæc animaduertens, se ipsam colligere potest, & ea concipere, quibus, in his decenter præstandis, diuina gratia non deficiente, ab omni defectu, ac errore reddatur tuta. Itaque docet, ad diuinæ legis amplexum firmiter exercendum, summe prodesse, mentis acie intueri, hominis Deum respicientis munus esse, Deo seruire, seruo esse essentialia, non ex propria virtute, sed ex domini præcepto domini voluntatem attingere: hac non percepta, impossibile esse, debita obsequia domino decenter præstare: Itaque admittendum esse, vel hominem proprio sine frustrari, quod respectu hu-  
manæ

manæ speciei est impossibile, vel certam aliquam legē a Deo hominibus fuisse traditam, quam humana ratio ex proprii luminis virtute sibi constituere non potest: simulq. fatendum, hanc hominum infirmitatem quam maxime conducere ad eorundem hominum felicitatē. quemadmodum enim humana ratio dum ex proprii luminis virtute demonstrat, & iudicat, dominantis potius, ac regentis, quam seruentis, & obsequentis sustinet partes: ita, dum Dei tantummodo reuelantis auctoritati prompte assentitur, Deo vere inferuit, illiq. se ipsa subijcit, vna cum ceteris omnibus virtutibus imperfectioribus sibi subiectis. Quæ humanam mentem tutari possunt, ne in diuinæ legis selectione decipiatur, ex illis sumenda erunt, quæ diuinæ legi necessario seu conueniunt, seu aduersantur. diuinæ enim legis natura, ac proprietatibus recte perceptis, in vera Dei lege a non veris seligenda, bonis dubitandi, malis uero tergiuersandi nullus relinquitur locus. Talia sunt, Dei legem hominibus promulgatam necessario unicam esse, nam a Deo vnico, ac simplicissimo oritur, quamuis ob diuisibilem hominum naturam plures partes continere possit, quæ non simul, sed per certa temporum interualla hominibus innotuerint. Deinde diuinæ legis vim, ac prima exordia attigisse primos omnium hominum parentes. nam diuina lex numquam hominibus deesse potuit. quapropter absque ulla interruptione hominum naturam concomitata est, & concomitabitur usque ad uniuersi consummationem, ea tamen ratione, ut in dies clarior euaserit, & euasura sit pro certa rerum necessitate, ac singularum ætatum captu, necnon pro admirabili, ac incomprehensibili dispositione diuinæ prouidentiae. Tum ipsius partes sibi inuicem concordēs esse: Naturæ legi, quæ eundem legislatorem agnoscit, omnino consentire: Eandem perfecte docere omnia, quæ ad hominis bonum pertinent, ac rationis humanæ uis non facile demonstrare potest: Plura superaddere, quæ modis omnibus rationis humanæ captum transcendunt: ea, quæ Deo tantum debentur, nulli concedere: Ab hominum natura, ceterarumq. creaturarum omnium Deorum inanem potestatem, ac usum auferre: Dei singularitatem non dirumpere: De Deo nihil inhonestum, nihil vile, nihil imperfectum asserere: recte uiuendi rationem docere, eandemq. humiliter assentientibusingere, mala omnia detestari, homines ad veram beatitudinem dirigere: Illius internam veritatem diuina sollicitudine ita tutam esse, ut in dubium recte reuocari non possit, seu cuiusmodi hominum in his sit

acque-

acquiendum, seu quibusnam scripturis adhærendum, seu cuiusnam interpretatio amplexanda, ob idque diuina præcepta ambiguitatem diutius retinere non posse. Hæc diuinæ legi conuenire, eandemq. concomitari, quam tutissime asserendum est. nam horum aliquo amoto seu diuinitatis ui, ac summa perfectione careret, seu hominibus circa illius veritatem numquam acquiescere datum esset. quorum nullum admittendum est. Vnusquisque autem hæc attendens, simulq. animaduertens, an lex, quæ sibi tamquam diuina obijcitur, his omnibus seu decoretur, seu careat, quam tutissime discernet, vtrum iure, an iniuria diuinæ nomen vsurpet, necnon vtrum pie, seu impie illi assentiatur, vel aduersetur. Itaque fateri cogetur, Christi Domini nostri legem vere diuinam esse, ac legitimis illius interpretibus esse assentiendum.

*De ijs, quæ humanam societatem constituunt, seu ad illius perfectionem desiderantur.*  
Cap. III.



T recte percurri possint rationes comprehensionum externis humanæ caritatis actibus deseruentium, primo loco statuendum est, humanam caritatem intendere decentissimam omnium hominum societatem. hac enim de medio sumpta, impossibile est, dari mutuos eiusdem caritatis actus, extensiones, ac indeficientiam, seu humanam felicitatem, in qua tantum modo (vt ex naturalibus patet) ipsa humana caritas conquiescit. E contra, hac prout conuenit concepta, ac ad actum perducta, nihil præterea expetendum esse, quod ad eiusdem humanæ caritatis pacem attineat. Hinc colligere licet, huius Contemplationis munus esse, scrutari omnia, quæ faciunt ad humanæ societatis naturam: demonstrare illius species simpliciores, docere communiora singularum principia, demumq. eam societatem obijcere, quæ iure optimo perfectissima censenda est, & sola humanæ caritati summam pacem asserere potest, eandemq. diligentius inquirere, ac explicare: cetera enim ex eo tantummodo attendenda sunt, quoniam ad perfectissimæ societatis doctrinam desiderantur, seu quoniam ad hanc relata oppositi mali naturam continent, seu etiam quoniam complectuntur vim mediorum, per quæ ad illam accedendum est. nouimus enim affectuum vnumquemque intueri non tantum ea, quæ finis sustinent partes, sed ea quoque, quæ oppositi

Sff

mali

malī rationem continent, necnon quæcumque inter extrema constituantur.

Præterea satis apertum est, rectam humanorum actuum rationem exposcere, ut nobis possibilia eligantur, ideoque non raro quod certo rerum statui magis conducit, prosequendum est eo prætermisso quod absolute magis expetibile censeatur.

Ea vero, quæ pertinent ad humanæ societatis naturam, ad senarium numerum recte fortasse deduci possunt. Horum tamen tria priora illam simpliciter constituunt, posteriora vero eandem ad pleniorum statum perducunt. Singula vero, prout perfectius, seu imperfectius retinentur, illius maiorem, minoremue perfectionem, seu imperfectionem demonstrare poterunt.

Primum est, ut illa, quæ sunt associanda ab inuicem disiuncta propriam agendi virtutem retineant. Itaque corporis humani membra sibi inuicem cohærentia, plurimum quidem unionem inducunt, sed nullam societatem pariunt.

Secundum, ut singula exercentur, aliquod commune operentur: quæ enim seu nihil agunt, seu nihil commune operantur, nulla præstantiori ratione concurrunt, quam seu lapides eundem aceruum constituentes, seu arbores idem nemus parientes, seu oves eadem pascua decerpentes.

Tertium, ut agentium vnusquisque non ex solius Naturæ impulsu operetur, sed ex libera eligendi potestate. quapropter bruta animalia licet in nidorum constructione, sæpeq. ad communem defensionem concurrant, non associantur. libera enim eligendi virtute destituuntur, ex qua vera societas oritur. Horum trium concursus societatem vere humanam reddit, perfectiori tamen, ac imperfectiori ratione pro maiori, minoriue operantium multitudine, necnon pro maiori, minoriue operationum numero, dignitate, perseverantia, operisq. nobilitate, ac bonitate, necnon pro firmiori, infirmioriue humanæ libertatis retentione, ac usu.

Quartum, in quo societatis humanæ natura magis confirmatur, erit vnica operantium directio, cui respondeat communis obtemperandi voluntas.

Quintum, voluntatum, ac intentionum plenior notitia, ac approbatio.

Sextum, & vltimum, communis operis communis fructus, seu fruitio. Hæc tria ideo desiderantur, quoniam actio tunc summe coniungitur,

iungitur, ac propriam naturam perfecte assequitur, cum efficitur vna, non tantum ratione finis, sed etiam ratione principij, & ratione medij: ipsius vero finis vnitas attenditur non tantum respectu communis operis, quod actionum est finis, sed etiam respectu communis fruitionis, seu vsus, qui est finis operis. Quamuis igitur, dum exempli gratia latronibus vicinium aliquod perturbantibus, plures nullo vocante nulloq. dirigente concurrunt, ac in latronum expulsionem associantur, actio socialis sit, & vna respectu vnus finis, eadem tamen longe præstantiori ratione socialis, & vna erit, si singula agantur ex vnica directione ceteris omnibus prompte alacriterq. obtemperantibus, eisdemq. totam negotij dispositionem cognoscentibus, ac probantibus, & pace quæ latronum expulsionem consequitur, æque fruuntibus: tunc siquidem agentes associabuntur non tantum ratione finis, qui in latronum expulsionem tamquam in opere constituitur, sed etiam ratione principij, quod vnica directio parit communi obtemperantia accedente, ratione medij, quod colligitur ex communi agendorum perceptione ac approbatione, necnon ratione fructus, ac fruitionis. quod tunc euenit, cum concurrentes idem vicinium colunt, & proprium commodum assequuntur non ex officio seu ex mercede, sed ex ipsa latronum expulsionem. dum vero seu mercede conducti, seu aliam ob causam cooperantur, illorum actio plene socialis non erit.

Quemadmodum autem hæc posteriora desiderantur ad humanæ societatis naturam plenius inducendam, ita illorum perfectio expetenda erit ad maiorem perfectionem eiusdem societatis. Hæc vero perfectio respectu directionis sumenda erit ex maiori prudentia, ac animaduersione: respectu obtemperantiæ, ex maiori constantia, ac promptitudine: respectu communis consensus, ex maiori illius intensione, ac euidencia: respectu fruitionis, ex maiori vbertate, ac æqualitate. Itaque, si hæc omnia adsint, & tria priora ad summum perfectionis deducantur, societas undequaque perfecta erit.

*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

De humanarum societatum differentijs, ac differentiarum principijs. Cap. IIII.

**H**UMANARVM societatum differentia consequuntur differentias propriarum causarum materialium, ac efficientium, hominum scilicet. humana namq. societates consistunt ex hominibus, & ab hominibus fiunt, qui etiam eisdem societatibus praesunt. quapropter, sicuti nauis, lignorum, ex quibus contextur, tam robur, quam infirmitatem retinet, simulq. tum artificum, a quibus constructa est, tum moderantium rectam, seu non rectam artem, ac virtutem ex necessitate refert: ita humana societas hominum, ex quibus componitur, a quibus formatur, & regitur, naturam non dissimili necessitate retinet, ac praefert. Hominum vero differentia, quantum ad societatem pertinet, ex varijs moribus, atque habitibus sumendae sunt: nam societates continent concursum humanorum actuum, qui ex moribus, atque habitibus effluunt. Quamuis igitur societates ab inuicem utcumque distingui possint ex vario moderantium numero, quoniam scilicet vel tota multitudo, vel seniores tantum, vel vnus tantum dominantur, proprios tamen illarum differentia, ac vere essentiales ex moribus sumendae sunt. ex his enim tamquam ex causis proprijs variarum moderandi rationes pendere solent. Societatum igitur differentia praecipue ad senarium numerum recte deduci poterunt. nam hominum mores ad operationem impellentes si compendiosius enumerentur, totidem reperiuntur. nonnulli siquidem sunt recti ob optimam virtutem, qua decorantur, simulq. perfecti, quoniam summa praeterea sapientia, ac praestantiori prudentia praediti sunt. Quidam recti, sed non omnino perfecti, quia optima illorum virtus destituitur sapientia, ac praestantiori prudentia. Quidam ducuntur ambitione. Quidam auaritia. Quidam licentia. Quidam his omnibus premuntur, ac pessimorum denominationem merentur. Illi tamen, qui simplici seu ambitione, seu auaritia, seu licentia inficiuntur, iterum distinguendi erunt: nonnulli enim opinionis potius falsitate, quam voluntatis malitia aberrant, Ideoq. facilius emendari possunt, & ad rectitudinem dirigi. Nonnulli scientes, ac volentes peccant, non tamen sunt pessimi, quoniam vnico vitio subijciuntur, eoq. non adhuc summe intentio. Non dissimili igitur ratione distinguendae erunt illae societates,

tes, quae seu ambitiosae, seu auarae, seu licentiosae appellandae sunt: & illae quidem, quae malitia carent, tales erunt, tam respectu moderantium, quam respectu obtemperantium: nam moderantes non deprauati ad id societatem dirigunt, quod bonum opinantur, licet falso: Ideoq. vt plurimum talia bona exoptant, toti potius societati, quam sibi ipsis. Ex quo manifestum est, eos aliquod caritatis uestigium retinere. Illae uero, in quibus erratur, non ex opinionis falsitate, sed ex voluntatis prauitate respectu potius moderantium, quam obtemperantium tales denominationes admittent: moderantes siquidem societatem diuertunt ab adeptione, & vsu illorum, quae ipsi sibi exoptant, quod tamen in ambitiosum dominatum fortasse non cadit. nam ad ambitionem pertinere uidetur, superbis praesse, ne uilium, humiliumq. assistentiam facile sustinere. Quod si uere eam sustineat, dicendum erit, dominatum externorum potius depressionem optare, neque simplici ambitione premi.

Accidia licet animum inficiat, ad societatem non extenditur, nisi fortasse dum illam destruit, nam actionem non parit.

*De Licentia, & Auaritia, quibus affici solent societates, quatenus ex primo Naturae cursu constituuntur, quarum priori Popularem, posteriori Senatoria potestas essentialiter conuenit. Cap. V.*

**S**I primi attendantur ortus harum humanarum societatum, quae naturalium ordinem excellunt, ac certam aliquam consequuntur formam, asserendum erit, societates licentiosam, & auaram ceteras ex necessitate praecedere. Id facile patere poterit, si illud acceperimus, naturales societates tunc consummari, cum senior pater filijs nato maioribus, seu etiam maritis praest. ipso siquidem patre seniori de mortuo fratrum, ac sororum societates, vt sunt naturales, nullo certo sociali vinculo deuinciuntur. nam neque ex Naturae lege ad certum opus diriguntur, vt uiri, ac uxoris societas, quae filiorum procreationem intendit, necnon, vt societas parentum, ac filiorum, quae in filiorum iuniorum decentem educationem incumbit, simulq. parentum seniorum quietem parit. Neque certam dirigendi potestatem retinet, vt uir in uxorem, & parentes in filios. Itaque sororum societas quoniam imperfecta imperfectis coniungit, ad Naturae

Naturæ societates repetendas præcipue uidetur prona. Fratrum vero societas, quæ perfecta perfectis associat, in sui dissolutione concipit ut plurimum non tantum naturalium societatum repetitionem, sed etiam præstantiorum constitutionem: nam Naturæ legibus impellentibus, illis, vel omnibus, vel pluribus, cordi erit, ut plures domus ab eadem exortæ, fraternam caritatem retineant, ac in eodem vicinio firmentur. Iphis igitur domesticis societatibus sæpius sic dissolutis, domuumq. numero adaucto, vnicum vicinium tot domos non complectetur, Ideoq. ex pluribus vicinijs Pagus, ac ex pluribus pagis Ciuitas exurget. At ciuitas tunc plenius perficietur, cum certa dirigendi potestas constituatur, certæq. leges promulgabuntur, quibus ceteri omnes teneantur obtemperare. Patet autem has ciuitates in primo sui ortu retenturas domesticos mores illarum domuum, ex quibus effluxere, videlicet vel Licentiam, vel Auaritiam: nam domesticæ ac naturales societates, dum filiorum disciplinæ, ac rerum vtilium adeptioni intensius, ac remissius student, harum altera ex necessitate laborant, magis tamen, seu minus intense: satis enim apertum est, eas optimos, seu pessimos mores adipisci non posse: quoniam horum vtrumque vehementiorem Industriæ vsum, seu abufum exquirat: Eadem ciuitates Ambitione etiam, ac Superbia similiter carent, quoniam Superbiæ, ac Ambitionis vitium nullum locum habet seu inter vxorem, & virum, ex quibus vnicum corpus videtur oriri, seu inter parentes, & filios, qui summe inter se cohærent: filij enim sunt parentum imagines.

Quamuis autem dentur fortasse nonnullæ domus, quorum filij diriguntur ad mores præstantiores, nihilominus semper maior pars pauciorum mores non tantum retundet, sed etiam immutabit, nulla præsertim communis disciplinæ cura adhuc concepta: pueris siquidem, ac iunioribus proprium est, eorum, qui videntur venustiores, vias admirari, & imitari. His itaque a singulis domibus assidue effluentibus, ac conuenientibus, pauciores, licet meliores, imbuent mores peiorum, nam longe plures sunt, & sibi inuicem fauent. Hi vero mores sic imbibiti non tantum retinentur vsque ad senium, sed inducunt etiam certam quandam filiorum, domestice educandorum, disciplinam, Quæ semel accepta nisi maior aliqua vis vrgeat non facile immutari poterit.

Ciuitas, licentiæ moribus cedens, popularis Reip. formam inducet: nam, data communi licentia, singuli & dominari intendunt, ac reipfa

reipfa dominantur, haud secus, quam in domo licentiosa, in qua parentum, filiorum potestati uidetur æqualis, atque etiam, quandoq. inferior. E contra Ciuitas, licentia carens, ac vtilium rerum adeptioni intenta, Senatoriam potestatem amplexabitur: illas enim domos imitatur, in quibus uehementior parentum austeritas, ac parsimonia filios cohibet, neque permitit aliquid absque parentum nutu tractari.

## De Popularis Reip. imperfectione.

## Cap. VI.



POPULARIS Reip. ex eo Naturæ ordini fauet, quoniam uniuscuiusque naturalem libertatem tutatur. Ex eo etiam eidem aduersatur, quoniam illius abufum manifeste retinet: nam maiorum, ac prudentiorum dignitatem repellit, & imperfectiores perfectioribus æquat. Itaque illius directio neque Sapientiæ, neque Prudentiæ, neque firmiori Experienciæ inniti potest, ac admodum inconstans est. Eadem, ob communem licentiam, obtemperantiam, ac obedientiam, magna ex parte relaxat. Ob harum uero copulationem illius status erit summe infirmus, euenietq. ob id, ut neque propriam formam diutius retinere, neque ex interna uirtute se ad præstantiorem ordinem deducere possit. communis siquidem licentia æquabilitatem diutius non admittit, sed dissidia necessario parit. Itaque, quibusdam in quosdam insurgentibus, ac eosdem comprimentibus, quidam superbiam, quidam animi demissionem imbibent, breuiq. quidam desides, quidam pessimi euadent, alteroq. alteri aduersante, simulq. pluribus seu cedentibus, seu potentiiori ministrantibus, unius dominatus inducetur non quidem regius, sed qui tyrannicus appellari possit, licet fortasse non pessimi gradus, sed qui ciuium animos gratia, ac beneficijs conciliare studeat, atque a libertatis amore paulatim diuertere. Dum uero eadem popularis Respublica a Finitimis, seu alia ratione ad arma compellitur, licentiam quidem comprimet ob incommoda, quæ timentur, & ex bellicarum rerum sollicitudine, sed ob consilij defectum unius potestati breui subijcietur: aliquando immediate, aliquando assumpta prius Senatoria potestate, in qua etiam ob iam conceptos licentiæ mores ambitio summe timenda erit, populi præsertim potestate adhuc uigente, quæ eandem ambitionem in Senatoribus summe fouet, simulq. ad



ad regium dominatum uehementer impellit. satis enim apertum est, ambitionem, & regium dominatum sibi inuicem quammaxime fauere, neque facile inter se disiungi posse. Ideo autem hic dominatus regius appellari potest, quoniam ut plurimum a tyrannide ualde distat: nam simplex ambitio ad uirtutis actus impellit, & si aliquanto reprimatur, etiam uirtutem parit.

*De Rep. Senatoria.**Cap. VII.*

**S**ENATORIA potestas ex eo Naturæ consona est, quoniam perfectiores, ac seniores imperfectioribus, ac iunioribus præficit. quod Naturæ leges exposcunt. Itaque, quamuis fortasse in primo ortu summa sapientia, præstantioriq. prudentia destituatur, nihilominus ex propriæ naturæ ui prudentiam, ac experientiam continet, ac indefinenter adauget, simulq. moderatissimos mores fouet. Ob prudentiæ igitur, ac experientiæ curam constanter moderamini, ac directionibus insistet: Ob mores moderatos Obedientiæ laudem æmulabitur: Ob utriusque copulationem erit interne concors, ac firma, simulq. ad uirtutem propensa, quam etiam in dies magis, ac magis imbibet: breuiq. illorum mores referet, qui licet adhuc summa sapientia non sint præditi, ob constantem tamen uoluntatis rectitudinem, ac uirtutum præstantiorum amorem iure optimo Recti, ac Iusti appellari solent.

Huic Reip. proprium uidetur esse, pluribus Magistratibus, ac pluribus legibus uti. Hoc conducit maxime ad illius formam confirmandam, ac tutandam: nam, dum summa moderandi potestas a pluribus sustinetur, singulorumq. munia certis legibus cohibentur, neque ob simplex obtemperandi debitum redduntur abiecti neque ob simplicem imperandi potestatem superbi, sed ad decentissimam animi moderationem deuenire solent. Itaque maiora neque sibi arrogant, neque alijs concedunt, seu concedi permittunt. Percipiunt etiam, hanc animi moderationem, conducere & communi, & priuato bono, tum quoniam commune simul singulorum est bonum, tum etiam, quoniam tales, si uirtute aliqua decorentur, facile maiores dignitates, ac commoda maiora recipiunt.

Ex eadem Magistratum, Legumq. multitudine, alia commoda non contemnenda deducuntur.

Primum.

Primum, ministrorum copia, quæ plurimum expetenda est. Secundum, negotiorum singulorum perfectior, ac celerior executio. Tertium, Sapientiæ, Prudentiæ, simulq. Eloquentiæ enutritio firmior: iuuenes enim, qui ex Reip. institutionibus publica non tractant, sed aliquando sunt tractaturi, in hæc studia ardentius incumbunt, ut munera illis imponenda, recte sustinere possint, atque etiam ut ceteris digniores euadant.

Patet autem, humanum bonum eo magis firmari, ac extendi, quo Sapientia, ac Prudentia plenius, ac a pluribus concipiuntur, simulq. Eloquentiæ vis magis viget. hæc siquidem homini est propriissima, & ex sui natura pluribus, seu etiã omnibus in eodem actu prodesse solet.

Aliud quoque non infirmum Senatoriæ Reip. præstantiam demonstrare potest, quoniam scilicet regius dominatus longe moderatior, ac tutior reddi uidetur, si Senatoria potestas illi adiungatur. Popularisq. Resp. non dissimili ratione ex Senatus constitutione licentiam comprimit, ac longe constantior efficitur. E contra uero Senatoria potestas summe infirmabitur, si uel totam multitudinem in regiminis partem asciscat, uel Regem certis quibusdam legibus sibi constituat. Quamuis autem potestas Senatoria ex propria natura his decoretur, ac ex interna uirtute proprijs incommodis mederi posset, nihilominus, si decens Reip. cura diutius intermittatur, non difficile delabi poterit seu ad simplicem ambitionem, seu ad deprauatam auaritiam, quæ regentes a communi ad proprium commodum diuertit.

His autem ad maiorem intensionem, ac extensionem deductis, breui a propria forma decidet: Nam ex tali auaritia tyrannicus dominatus timendus erit: omnis siquidem dominatus, in quo priuatum communi bono præfertur, Tyrannidis femina continet. Ex simplici uero ambitione Regis imperium constituetur: nam ambitio, ac regia potestas (ut diximus) se inuicem fouent.

*De Regio dominatu.**Cap. VIII.*

**R**EGIVS dominatus ex sui natura præstat in rebus bellicis, tuncq. præcipue, dum Rex animi magnitudine est præditus, & ipse exercitibus præest. Pacis tempore tanto magis ad uirtutem accedet, quanto regis rectitudo, ac solertia maiores erunt: imperantis siquidem ambitione utcumque compressa, ciuium omnium ambitio retu-

T t t tur,

tur, ac purioris virtutis vis clarius illucescet. Quoniam autem humanæ naturæ condicio non patitur, vt idem homo diutius Reip. præsit, ille, cui tota moderandi potestas demandatur, quiq. commune totius societatis bonum intendit, in illud præcipue incumbere tenetur, ut optimum successorem paret, seu, quatenus regnum non sit hæreditarium, Successoris eligendi ratio ita disponatur, ac confirmetur, vt neque seditiones, neque tumultus timeri possint. nam, nisi hæc caueantur, valde timendum erit, ne Resp. perturbetur, seu deteriorem dominandi rationem experiatur.

*De Ciuitatis perfectione, ac imperfectione.*

*Cap. IX.*



**I**s sic delibatis, vt ad reliqua inueniamur paratiores, nostra hæc contemplatio ad societatum humanarum exordia rursus reducenda est, simulq. inquirendum, curnam, constituto ex pluribus domibus vicinio, ex pluribus vicinijs pago, ex pluribus pagis Ciuitate exorta, in ea consistatur, neque ex simili plurium ciuitatum collectione, nouum aliquod constituatur, quod eandem proportionem habeat ad vnicam ciuitatem, quam ciuitas habet, ad vnicum pagum, pagus ad vnicum vicinium, vicinium ad vnicam domum, cum præsertim talium incrementorum causæ non amoueantur, sed adaugeantur potius, ac confirmentur. At horum ratio in promptu est. ideo enim in ciuitate consistitur, quoniam plurium hominum immediata collectio ad singulorum bonum adaugetur. Hoc vero ciuitas certæ magnitudinis perfecte præstat. Si vero magis, ac magis cresceret, hoc bonum omnino periret. neque enim vltius ciues quotidie congregari possent, & quæ ad commune bonum pertinent, simul cõferre.

Præterea carebunt vtplurimum his, quæ victui sunt necessaria. Illorum etiam custodia difficillima erit. neque enim locus summæ amplitudinis vndequaue defendi potest. Asserendum igitur est, ciuitatum multitudinem ex Naturæ ordine admittendam esse, singularemq. ciuitatem simul & perfectam, & imperfectam censendam esse.

Perfectio satis aperta est, dum attenduntur humani actus, quibus homines determinate respici solent, immediateq. associantur. Imperfectio est longe clarior. primo, quoniam vnica ciuitas excludit plurimos humanos actus, quibus homines indeterminate respiciuntur, ac mediate associantur, necnon horum actuum relationes, ac extensiones.

extensiones. quæ omnia ad societatis humanæ perfectionem desiderantur. Secundo, quoniam, dum paucos quosdam homines colligit, & ceteros omnes excludit, optimæ virtuti, humanæq. caritati pacem afferre non potest. Tertio, quoniam sibi non sufficit, nec se perfecte tutari potest. nam, si attendatur vsus illorum bonorum, quæ ab ipsa Natura subministrantur ad hominum necessitatem, facile percipiemus, hæc singulis annis tute colligi non posse ex sola regione vnica ciuitati subiecta, ac illius uiribus custodita. idq. longe manifestius erit, si concipiatur excellentior illorum gradus, optima possidendi ratio, ac cetera præstantiora, quæ ad hominis bonum pertinent, & arte paranda sunt, licet talis ciuitas in regione colenda summe intenta esset, diligenterq. curaret, vt pauciora sibi sufficere possint. Quarto, quoniam vnica ciuitas impotens reperitur in repellendis incommodis, quæ ceteræ ciuitates, ac populi ad id conuenientes illi inferre possent. Ex hoc vero patet, eam non tantum a summa perfectione deficere, sed a summa imperfectione parum distare, quamuis decentissime collocetur, ædificeturque, simulq. muniatur bellicis munimentis, instrumentis, omnimodoq. armorum apparatu, & ciues omnes decorentur militaribus disciplinis, summaq. animi fortitudinæ.

*Perfectam plurium ciuitatum associationem admittendam esse; ac de rationibus, quibus plures ciuitates imperfecte associantur. Cap. X.*



**N**OVIMVS, ciuitatem vnicam non carere imperfectione, ciuitatumq. multitudinem ex ipsius Naturæ vi admittendam esse. Assentiri etiam cogimur, ex eiusdem Naturæ ordine ciuitatum societatem perfectam dari, quæ singulas ciuitates ad decentem consummationem, statumq. præstantiorem perducatur, haud secus, quam domus a vicinijs, & pagi ex ciuitatis ortu perficiantur, ac ad longe præstantiorem ordinem perducantur. Naturæ enim imperfecta ad perfectionem, & multitudinem ad vnitatem dirigere solet. Neque vero censendum est, Ciuitates, quæ sola beneuolentia, & amicitia se inuicem prosequuntur, seu etiam commune fœdus ineunt, vere, ac perfecte associari: priores enim nullo sociali vinculo deuinciuntur, posteriores vero non deuinciuntur perfecte: nam vnaquæque ciuitas, propria quadam ratione, quo ad interna, sibi ipsi præest, & ceteris

scedere inuito libere recedere, totamq. societatem disrumpere potest.

At, cum ad ciuitatum decentem societatem pertineat, vt communis directio constituatur, quæ omnes sociales actus attingat, qui a quacumque ciuitate, & a quocumque ciue exerceri possunt: perscrutandum est, vndenam vna Ciuitas ius obtineat moderandi aliam, seu alias Ciuitates.

Hoc ab ipsa Natura non pendere, manifestum est: iam enim constitutum fuit, industrias societates a naturalibus societatibus oriri, quatenus fratrum vnusquisque, parente defuncto, propriam domum erigit. Sicuti igitur frater in fratrem ex Naturæ lege potestatem non habet, ita vnus fratris domus in alterius fratris domum ex Naturæ lege nullum ius obtinebit. idemq. sciendum est de ciuitatibus, quæ ex his domibus processere, necnon de alijs omnibus, quæ ita abinuicem sunt solutæ. Reliquum ergo est, vt tale ius vel violenter arripiatur, vel libere concedatur. Violenta arreptio vel iniuriam, simulq. iniustitiam continet, vel iniuriam, ac iniustitiam præcessisse supponit. Itaque semper mali rationem complectitur. Libera concessio aliquando aliquod inuoluntarium, seu irrationale continet, tuncq. malo similiter innititur: aliquando nihil seu irrationale, seu inuoluntarium habet, sed ex communi caritate, ac ex optima virtute oritur, quæ regentium, ac obtemperantium bonum intendit, concipit, ac decentissime profequitur.

Delibemus breuiter rationes trium dominatum, quorum vnusquisque mali rationem vtrumque complectitur, vt animi nostri vis liberius deflecti possit ad eam ciuitatum associandarum formam, quæ nihil irrationale, nihilq. violentum continet, ac tamquam summe expetenda, summa cura inquirenda, atque explicanda est. Violenta arreptio, quæ iniuriam, seu iniustitiam præcedentem non respicit, sed ipsa iniuriam, & iniustitiam continet, arripienti nullum ius tribuit, ideoq. dominatum satis infirmum parit. nam rationi consonum est, eos, qui uiolente, simulq. iniuste subiiciuntur, rerum nouarum quammaxime cupidos fore, ideoq. tyrannicum potius, quam regium dominatum spectare. Igitur, quanto magis dominatus extenditur, tanto magis ad tyrannidem vergit. quemadmodum enim dominantis in parum obediens sæuitia, subiectos ad huius dominatus expulsionem magis intentos reddit, ita horum temerarij ausus dominantis sæuitiam acuunt. Itaque vel dominatu expulso noua moderandi forma constituitur, vel populorum viribus

bus vndequaque contractis, dominandi ratio ad pessimam tyrannidem deuoluetur, ad illam scilicet, qua tyrannus cuncta ad subiectorum potius malum, quam ad proprium bonum dirigit. nam ex hoc imperij securitatem pendere censet. Nonnulli autem hæc anticipant, ac in ipsa adeptione ditiores, ac nobiles omnes exterminant, & bona omnia sibi assumunt. Existimandum tamen est, talia non euenire absque summa, iustissimaq. Dei indignatione, qua Mali ad tempus puniuntur a longe peioribus, breui acerbiora, ac diuturniora passuris. Violenta arreptio, quæ iniuria, ac iniustitia caret, sed iniuriam, & iniustitiam præcessisse supponit, dum in eas ciuitates, seu societates exercetur, quæ seu a uera pietate recedunt, seu alijs sunt iniuriæ, arripienti ius certum affert. impietas siquidem ab omnibus iure optimo est comprimenda, & iniuriosi omnes certa quadam ratione plectendi sunt tam ex simplici iure Naturæ, quam ex iure gentium, quæ ad omnes homines extenduntur. Idem euenit, ac longe firmitus, ex libera concessione, quæ aliquod seu irrationale, seu inuoluntarium continet. tunc enim Fides libere omnino obstringitur. Nouimus autem, pactiones, ac fidem legitime datam deuincire haud secus, quam deuinciat Naturæ lex. Ea vero, quæ impellunt ad liberam traditionem, sunt plura. præcipua tamen existimantur interna seditio, quæ comprimi non potest, nisi externus moderator assistat: timor hostium irruentium, quibus neque cedere decet, neque absque alterius dominatus tutela resistere licet: gubernandi incertitia, ac impotentia, & rerum omnium penuria.

*De ijs, quæ dirigunt ad concipiendam formam, qua plures ciuitates associari possunt, ad commune vniuscuiusque bonum. Cap. XI.*



ED iam mentis acies dirigenda est, vt explorare possimus, quam ratione plures ciuitates associari possint non ex aliqua violentia, seu ex aliquo malo, sed ratione duce, ac omnino libere, ad commune bonum, & ad vniuscuiusque decentissimam pacem.

Quamuis autem nostra hæc contemplatio ad idem deducenda sit, siue rectæ discurrendi methodo insistat, siue Naturæ tum directiones, tum exemplaria sequatur: naturalium tamen exemplarium vim in re tanta præcipue attendendam esse existimamus. hæc enim probationum, ac directionum vires non tantum complectuntur, sed

sed etiam exacuunt, simulq. nonnulla obijciunt, quæ infirmior rationis nostræ virtus facile præterire possit. Natura enim diuinam artem complectens, eandemq. in operum suorum consummatione expandens, non tantum ob propriorum actuum fructus hominibus prodest, eosdemq. ad certos actus impellit, sed demonstrat etiam certas agendorum imagines, ac exemplaria. Hæc vero facilius, seu difficilius conspiciuntur, quo Naturæ opera, ex quibus exemplar sumendum est, magis seu minus recedunt ab his, in quibus tota Naturæ vis consistit, & humana magis, seu minus accedunt ad illa, quibus totius humanæ industriæ directio terminatur, ad hæc scilicet, quæ humanæ societatis consummationem respiciunt, quorum exemplaria ob id & difficilius attinguntur, & accuratiorem intuitum exposcunt. Recte tamen, ac tute (ni fallimur) concipientur, ad vsumq. deducuntur, accepto Naturalium operum finem ita humanorum operum continere initia, vt simul eorundem finem, ac dispositionem omnem decere possit. Nouimus autem, Naturam in naturalibus, ac domesticis hominum societatibus uere consistere.

Hæ igitur sicuti industriæ societatis initia continent, ita perfectissimæ hominum societatis exemplar obijcere poterunt: quod etiam ea, quæ hæcenus tam circa naturales, quam circa excogitatas ab hominibus societates enarrata sunt, satis conspicuum reddunt. neque enim nos latet, tam virum mulieri associandum, quam mulierem viro copulandam, si seiunctim respiciantur, perfectos quidem esse, nam uterque ad ea omnia aptus reperitur, quæ pertinent ad singulare, ac particulare illius bonum: sed sibi non sufficere, omnem humanæ Naturæ perfectionem non continere, in omne tempus non viuere, nec filios generare posse, quod ad Naturæ conseruationem, & perfectionem desideratur: At eundem virum, eandemq. mulierem, si inter se associantur copulenturque, filios parere, se ipsos in filiis quodammodo renouare, omnemq. humanæ Naturæ perfectionem complecti. Hæc igitur, prout conuenit, perpendentes, facile assentiemur, perfectissimæ hominum societati ex necessitate præcedere eas hominum societates, quæ seiunctim acceptæ perfectæ censeri possint, licet omnem perfectionem ab industria proficiscientem non complectantur, quam tamen, si decenter associantur, effundere poterunt, ac retinere, Ipsas scilicet ciuitates: neque in dubium reuocari poterit, quin ciuitatum associandarum ratio sumenda sit ex viri, ac mulieris societate, ac muneribus: tum quatenus se inui-

se inuicem respiciunt, tum quatenus ad filios referuntur. Quapropter accepto, in hac coniugali societate vxoris, ac matris partes esse, domestica curare, filios concipere, ac parere, eosdemque, dum in minori ætate reperiuntur, nutrire, ac educare, ita tamen, vt hæc omnia secundum viri mandata, uel etiam uiri uirtute perficiantur: asserendum erit, Ciuitates, quibus vxoris, simulq. matris partes sunt demandandæ, domestica curaturas, ciues parituras, ac nutrituras, atque hæc omnia perfecturas, prout illi demandatum erit ab ea Ciuitate, quæ Mariti partes exercet. Simili ratione accepto, mariti proprium munus esse, vxoris curam habere, externa curare, filios, quos non ipse, sed vxor parit, ac nutrit, iam firmiores emittere, atque ad perfectiora dirigere, demonstrabitur, Ciuitates, quæ viri munia sustinent, curaturas, ut ciuitates, vxoria ratione sibi coniunctæ, decemissime regantur, vt ab illis ciues, quos ipsæ non pariunt, concipiantur, nutriantur, ac domestice instituantur, eosdemque opportune euocaturas. Hæ igitur Ciuitates ea ratione erunt constituendæ, ut proprijs ciuibus careant, sed oriantur ex concursu illorum ciuium, qui emittendi erunt, certa quadam proportione seruata, atque secundum leges circa hæc constitutas, ab vnaquaque Ciuitate vxorias partes sustinentæ.

Itaque, sicuti mulier secundum Naturæ cursum virum concipit, ac parit, sic Ciuitates, easdem partes exercentes, uirilem parient Ciuitatem, a qua etiam Magistratus, ac leges recipient, prout legibus (de quibus postea dicendum erit) constitutum fuerit. Ex his autem facile patere poterit, Vnicæ virili Ciuitati, seu maiori, plures Ciuitates vxorias, seu minores esse subijciendas: neque enim vnica Ciuitas absque sui destructione tot ciues emittere possit, quot ad vnus Ciuitatis amplioris constitutionem desiderantur.

Hæc vero Ciuitates licet plures, eadem, ac omnino vniformi relatione, uirilem Ciuitatem respicient, Ideoque seu tamquam vnica coniux, seu tamquam plures coniuges eisdem legibus moderandæ illi subijciuntur: ratio siquidem associandarum Ciuitatum non ex illarum numero, sed ex relationum similitudine, seu diuersitate colligenda est. Quod si ciuitatum minorum numerus adeo adaugeatur, ut, qui ab illis emittendi sunt, ab vnica Ciuitate contineri, nec ad illam commode transmitti possint, uirilium, seu maiorum Ciuitatum numerus adaugendus erit, ac tota societas, quæ ab vnica prouincia continebatur, in plures prouincias diuidenda. ea tamen ratione, vt societas

focietas ob id non discindatur, ipsæ nempe viriles, seu maiores Ciuitates, ciuium ex minoribus Ciuitatibus collectorum, certum numerum emittent, qui simul conuenientes nouam, ac longe præstantiorem Ciuitatem constituent.

Tum uero industria hominum societas domesticarum, ac naturalium societatum exemplar decentissime referet: eas siquidem domos imitabitur, in quibus filij maiores natu, ac iam mariti, paræti seniori subijciuntur. Itaque, sicuti naturales, ac domesticæ societales tunc uere cõsummantur, ita, quæ industria constant societales in hoc consistent. nam quatenus ciuitatum numerus magis adaugeatur, eadem dispositione retæta, Prouinciarum numerus adaugebitur, neque forsasse ciuitatum ordines erunt ulterius adaugendi, quamuis nullum in commodum timendum esset, licet ad quartum ordinem repetita emissionem ciuium, perduceretur. nam & domesticæ societales quartæ generationis consummationem aliquando intueri solent. Cum autem senioris patris munus sit, maiores filios consilio regere, ac in officio continere, ne seu in ijs, quæ ad exteriora pertinent, seu in domesticis aliquando aberrant, eadem ratione Ciuitas senioris patris sustinens pondus, omnibus ciuitatibus tam uirilibus, quam cõiugalibus leges imponet, ac omnes in officio continebit, ita tamen, ut regens uiriles, tamquam filios maiores, per eas etiam coniugales gubernet. Hæc Ciuitas, quæ Prouinciarum princeps, seu communissima omnium patria appellari poterit, unitatis numerum numquam excedet. coniugales in perfecta societate plures ex necessitate erunt. uiriles pro maiori, minoriue societatis amplitudine, ac incremento unitatis numerum excedent, & non excedent. Qua autem ratione hi ciuitatum ordines, ciuitatesq. singulæ sint inter se deuinciendæ, ac singularum forma, libertas, æqualitas, ac bonum quam tutissime retinendum, inceptam contemplationem decenti methodo protrahentes percipiemus.

*De ordinibus humanorum actuum, quatenus ad hominum societales pertinent, ac earundem munia obijciunt.* Cap. XII.



PERFECTISSIMAE igitur societatis, quam adumbrauimus, munia, partes, partiumq. dispositiones omnes inquirendæ, ac explicandæ sunt, exordio accepto ab enumeratione humanorum actuum, quatenus humanæ societatis bono deseruire, seu illud etiam inducere possunt:

possunt: exploratum siquidem est, neque hominum societatem, aliquid continere posse, tamquam proprii muneris partem, quod ab homine non exerceatur, neque perfectissimam hanc societatem carere posse seu aliquo humano actu, seu aliquo humanorum actuum usu, seu decentissima tum horum, tum hominum operantium dispositione. nam, horum aliquo prætermisso, simul aliquod hominis bonum omitteretur, quod perfectissimæ societati repugnat; nouimus enim vnumquemque hominis actum ex Naturæ lege hominis bono deseruire. Ipsi autem humani actus, (vt præfens Contemplatio exposcit) ad quattuor præcipuos ordines deducendi erunt. Quidam enim singulariter tantummodo exerceri possunt, & illi etiam, a quo exercentur, primo, ac immediate tantummodo profunt, omniq. præterea dirigendi virtute sunt destituti. Quidam singulariter exercentur, & ei tantummodo, a quo exercentur, primo, ac immediate profunt, sed dirigendi, ac moderandi vim continent. Quidam socialiter exerceri possunt, pluribusq. primo, ac immediate prodesse, sed dirigendi virtutem non continent. Quidam dirigendi virtutem admittunt, ac pluribus primo, ac immediate prodesse possunt, sed singulariter exercentur.

Primum ordinem ingrediuntur Cognitiones, affectus, & executiones, quæ sensui communi, sensibus exterioribus, ac imperfectissimo Naturæ sensui aptantur, motus scilicet, quietis, figuræ, aliorumq. communium sensibilibus determinata comprehensio, motus, & quietis amor, suiq. ipsius motus, ac quietis, colorum, ac lucis, necnon sonorum, odorum, saporum, ac tangibilium comprehensio, atque earundem cognitionum interna, externaq. profectio, ac fuga, famis, sitis, doloris, ac indolentiæ perceptiones, affectus his perceptionibus congrui, atque etiam actus, vt puta, comestio, potio, dormitio, & alia huiusmodi. Et hi quidem actus, qui ceteris omnibus sunt imperfectiores, ex eo tantummodo, humanæ societatis bono deseruire possunt, quoniam hominum vnumquemque conferuant, atque ad socialia munia paratum reddunt, qui etiam in his exercendis, socialem directionem admittit, & eadem socialia munia exercet.

Ad secundum ordinem pertinent humanæ rationis perceptiones, ac discursus, (qui versantur circa vniuersalia) cogitationes, quibus & vniuersalia extenduntur, & ceterarum virtutum obiecta percipiuntur, siue pertineant ad experientiam, siue ad coniecturam, siue

ad historiam, siue ad comprehensionem. Tales etiam sunt, animi affectiones, eisdem virtutibus cognoscentibus deseruientes. Et hi quidem, qui ceteris humanis actibus comparati, summum dignitatis locum obtinent, licet in seipsis sociales non sint, humanæ tamen societatis bono longe præstantiori ratione deseruiunt: nam non tantum singulariter homines dirigunt, qui & humanæ societati deseruire possunt, & in horum vsu socialem directionem admittunt, sed internam dirigendi, ac moderandi virtutem ad totius societatis bonum effundere solent.

Tertium humanorum actuum ordinem ingrediuntur omnes exteriores operationes, quæ conueniunt vel humanæ Æstimationi, ut puta, blandiri, & amice prosequi, seu inimicitias exercere; vel humanæ memoriæ, ut puta, colligere, deferre, recludere, ac distribuere; vel humanæ phantasiæ, ut puta, externorum corporum diuisiones, copulationesque, necnon eorundem multiplices tum respectu quantitatis, tum respectu qualitatibus, habitus, ac situs immutationes. Et hi quidem actus, qui si in seipsis considerentur, ita ab extremorum dignitate, ac indignitate recedunt, ut imperfectioribus sint proximiores; ex propria natura primo, ac immediate societatis bono deseruiunt, Ideoq. vere sociales sunt, ea tamen ratione, vt societatem recipiant, & non inducant: nã dirigendi virtute destituuntur.

Quartus demum ordo deducitur ex sermocinandi actu, quem cogitandi virtuti deseruire nouimus. Ipsa uero sermocinatio si in seipsa consideretur, in dignitatis gradu ab actibus secundi ordinis tantummodo deficit, ac secundum locum assumit. Quod si communis attendatur utilitas, ceteris omnibus dignior censenda erit. nam, dum singulariter exercetur, ac communiter prodest, societatis bono deseruit, simulq. dirigendi, ac moderandi vim effundit. Ideoq. ea ratione socialis redditur, vt societatem non sustineat, sed inducat, ac firmet.

Animaduertendum tamen est, ipsam sermocinationem societatis inducendæ, ac conseruandæ munus actu non sustinere, nisi quatenus ab internis animi perceptionibus, & affectibus, quibus primo moderandi, ac dirigendi uis ascribenda est, dirigatur, & moderamen recipiat.

*De ratione, qua societatis partes communiores sunt constituenda, ac de septem Magistratum ordinibus, quorum unusquisque iterum in tres diuiditur, seu certe tria munia sustinet. Cap. XIII.*



**R**AE CIPVA humanæ societatis munia deducenda sunt ex sermone, quatenus internarum perceptionum, ac affectuum dirigendi, ac moderandi, effundit vim, & ex illis actibus, qui ex propria natura socialiter exercentur, quique primo, ac immediate pluribus prodesse possunt.

Priora parient ordines eorum, qui ad commune bonum directiones exercent, & Magistratus dicendi sunt: posteriora vero Obtemperantium. Et hæc quidem munia certis societatis partibus demandanda erunt. Ceteræ uero hominum operationes omnes omnibus societatis partibus communes sunt, licet sint a singulis exercendæ ex sociali directione, quæ sociale bonum primo intendit. Illi igitur, qui dirigendi exercent munus, ad tot ordines deducendi erunt, quot sunt internæ animi affectiones: hæc siquidem perceptionibus assistentibus, directiones re ipsa exercent, atque extendunt. Horum uero ordinum unusquisque iterum in tres partes distinguendus erit, vel certe tria munia complectetur: nam ipsæ etiam affectiones triplici ratione proprios actus extendere, atque exercere solent, dum scilicet in bonis iam adeptis conuiuiscunt, dum præsentia, seu imminentia mala fugiunt, & dum distantia, ac remotiora bona perquirunt, ac prosequuntur. Itaque ipsa etiam humana societas ex priori actu humanis bonis re ipsa fouetur: ex secundo ea omnia, quæ eisdem bonis aduersantur, ipsiq. societati, seu societatis partibus obstant, omnino repellit; & ex tertio dirigit imperfectiores, infirmioresq. societatis partes ad propriam perfectionem, ac robur, ne futuris temporibus societati obesse possint, quin illi potius certo aliquo ex munere quam decentissime deseruire, Interim uero socialium bonorum perseuerantiam, atque indeficientiam demonstrant, ac firment.

Animaduertendum tamen est, ex quattuor præstantioribus affectionibus quattuor tantummodo Magistratuum ordines deducendos esse: nam (vt ex superioribus patet) harum affectionum unaquæque vnica, præcipuaq. ratione sese exercet. Ex tribus uero affectionibus inferioribus (pro multiplicibus singularum prosequendi ratio-

ne, ac termino) plures Magistratum ordines colligendi erunt.

Ex præstantissima igitur animi affectione, Deum Opt. Max. respiciēte, vnicus directionis deducetur ordo, ipsum videlicet summum, supremumq. Sacerdotium. Huius propriissimū munus, atque opus erit, ea omnia, quæ ad pietatem pertinent, ad societatis commodum exercere, ac indicare, simulq. Deum omnibus propitium reddere, atque gratuita omnia a Deo Opt. exquirere. Huic muneri adduntur munera tum eos expellendi, ac corrigendi, qui veræ pietati aduersantur, tum iuniores in his, quæ ad Deum pertinent, recte educandi.

Ex animi affectu, huic proximo, qui sanctos Angelos, ac Beatorum animos primo respicit, elicienda erit inferior Sacerdotum dignitas. Horum autem (qui fortasse multorum ordinum erunt) munia ex summi Sacerdotij muneribus colligenda erunt.

Ex tertia animi affectione, quæ hominum mentem respicit, atque Sapiētiam exoptat, Sapientum colligitur ordo. Horum munus erit, sedulo curare singula, quæ pertinent ad veram Sapientiam, (qua tenus naturali lumine attingenda est) atque ad totius societatis commodum, exercere, simulq. optimam contemplandi rationem, ac Sapientiam ipsam extendere. præterea eisdem curæ erit, ne societas, illiusue partes a Naturæ lege in aliquo diuertant, sed illa omnino sequantur. Incumbent quin etiam, vt Naturæ dona, quæ animos, corporaq. respiciunt, quammaxime abundant, atque illorum vnum quodque congrua arte firmetur, ac foueatur, simulq. opposita mala (quantum ipsa Natura patitur) emendentur, & corrigantur.

Eisdem etiam ea munia aptanda erunt, quibus & opposita exercentes, prauaq. docentes, ac suggerentes, repelluntur, emendanturue; & iuniores (vt aliquando eadem hæc munia recte exercere possint) instruuntur, ac educantur.

Ex ea affectione, quæ simpliciter est humana, ille dirigentium ordo deducendus erit, qui in hominum societate eas sustinent partes, quæ ab ipsa cogitandi virtute (cui huiusmodi affectio essentialiter copulatur) in singulis hominibus sustinentur, ac exercentur. Et hi quidem præcipua quadam ratione Consultores, ac deliberatores appellari poterunt: illorum namq. deliberationes ad legum etiam constitutionem extenduntur: quod neque Sacerdotibus, neque Sapientibus accidit: Sacerdotes enim diuinam legem, neque constituunt, neque inueniunt, sed recipiunt tantum: Sapientes vero Naturæ legem

gem

gem inueniunt. Harum legum vnaquæque a quacumque alia humana potestate solutæ sunt, quod inferiorum Magistratum deliberationibus non conuenit: hæ enim ex deliberantium constitutionibus moderentur necesse est. Præterea cohibendi vi præditæ sunt, quod singulorum ciuium deliberationibus, quibus seipso, ac propria moderantur, non conuenit, atque ea ratione alios deuinciunt, vt ipsi ab eo vinculo, quod alijs imponunt, sint soluti, quod neque Sacerdotibus conuenit, (nam ipsi etiam Diuinæ legi subijciuntur) neque sapientibus, qui naturæ legi cum ceteris subsunt. Iidem deliberantium denominationem merentur ob assiduum, atque non intermissum deliberandi vsum, necnon quoniam circa difficiliora versantur, neque proprio ministerio retento, alicuius auctoritati, sed rationi plene perceptæ inniti debent. Horum autem munus erit, omnia, quæ simpliciter sunt humana, concipere, ac per Magistratus inferiores curare, seu præsens societatis bonum respiciant, seu emendationem, seu iuniorum educationem contineant, his tamen exceptis, quæ legislatoriæ potestatis, seu Iustitiæ distributiue vsum continent: his, quæ solo sermone tractantur; necnon eorundem Magistratum inferiorum electionibus, & quibusdam alijs, quæ supremæ potestatis vsum, ac potestatem videntur exposcere. Magistratum inferiorum rationes affectus inferiores subministrabunt. Itaque præstantior illorum ordo ab Æstimatiuæ affectu deducendus erit, ac iterum bipartiendus: quemadmodum enim hic affectus ex præcipuo suo munere, quo proprijs bonis fruitur, respicit rectum amicorum vsum, ex non præcipuo autem, quo opposita mala refugit, inimicos intuetur: ita etiam Magistratus ad commune societatis bonum ab eo deducendi, similiter distinguentur.

Primum ordinem ingredientur Oratores, ac amicitia conferuanda, atque adaugendæ Præsides: Secundum Milites, atque Iudices, horumq. vnusquisque plures recipiet gradus. Iudicibus autem commune erit, ex legum decretis ea corrigere, quæ inter ciues inimicum quid seu opere, & intentione, seu opere tantum continent, & siquidem ea emendabunt, quæ opere, & intentione inimicum animum arguunt, (quoniam ex crimine pendent) Criminales dicentur. Qui vero ea emendant, in quibus licet inimica actio, aliqua ratione inest, inimicam tamen intentionem abesse manifestum est, Ciuiles iudices dicendi erunt.

Et hæc quidem his consonant, quæ superius circa Iustitiam emendatiuam

datiuam

datiuam dicta fuere: licet enim alter ex disceptantibus, aliena vel retineat, vel petat, factum tamen rationibus, ac fortasse legibus tueretur, quod unicuique ciuium permissum est, nisi forte aperta malitia adsit: tunc enim criminaliter erunt mulctandi, tamquam pessimi, communis boni perturbatores. Magistratus, qui deducuntur ex tertio eiusdem animositatis actu, quo absentia, ac sibi conuenientia bona quaerit, Iuuenum in his, quæ tum amicos, tum inimicos respiciunt, recte educandorum curam habebunt. Præcipue autem erunt iuuenes ita institui, ut nemini iniuriam inferant, sed sciant amicos sibi conciliare, ac amice tractare, turbatos sedare, discordesq. componere. Alia etiam docenda erunt, prout naturalis propensio unumquemque vel ad iudicia, vel ad negotia, vel ad bella tractanda aptiorem reddet. Sed de his postea accuratius dicendum erit. Magistratus, qui oriuntur ab ea affectione, quæ humanam consequitur Memoriam, quantum ad præcipuum actum, quo proprijs fruitur bonis, decentem bonorum utiliū dispensationem respicient. Qui vero eliciuntur ab eadem propensione, quantum ad actum, qui opposita respicit mala, eorundem utiliū bonorum adeptionem, conseruationem, atque ampliationem intendunt. Horum vero Magistratum uterq. ordo, & Societatis nomine hæc pertractabit, & Ciues ipsos respiciet. Illi, qui Societatis bona distribuunt, ut legibus statutum est, *Ærarij Præsides* vocari poterunt.

Qui vero incumbunt eisdem bonis ad augendis, ac conseruandis, ex earum legum iussu, communium reddituum curatores.

Qui ciuibus præsumunt, ne propria consumant sumptibus seu immoderatis, seu inutilibus, seu inhonestis, priuatorum sumptuum Curatores erunt appellandi.

Qui eosdem ad utilia bona recte acquirenda impellunt, ac dirigunt, ab eodem munere nomen assument.

Magistratus, qui deducuntur ab eadem animi affectione, quatenus bona sua, sibi absentia, quaerit, non ipsa bona respiciet, sed Iuuenes, per quos aliquando hi Magistratus Societatis nomine erunt sustinendi, & priuatæ domus gubernandæ. Hi igitur iuuenum educationibus præerunt, illisq. ea suggerent, quæ ad hæc recte præstanda conferre possunt, simulq. illorum animos in his tum spernendis, tum appetendis ita component, ut facile rationis legibus acquiescant.

Magistratus deducendi ab eo animi affectu, qui humanam consequitur phantasiam, erunt plures: Ipsa etenim phantasia, vltimum locum.

locum obtinens inter eas animi partes, quæ rationis lumine interiorius illustrari possunt, non tantum ex proprijs muneribus rationi subest, sed imperfectiores etiam animi vires ad eiusdem rationis nutum moderari tenetur. Itaque, quatenus rationis, atque aliorum præstantiorum affectuum vim recipit, rationes obijciat eorum Magistratum, qui artibus omnibus præsumunt: Quatenus vero eidem rationi obtemperat, imperfectiorumq. affectuum impulsus conceditur, artium omnium semina demonstrabit.

*De artium omnium, ac de Magistratum, qui artibus præficiuntur, fontibus. Cap. XIII.*



ARVM autem artium initia propria, dispositioq. omnis breuiter proponenda est: horum enim perceptio non parum conducet ad ipsius societatis partes plenius concipiendas, atque etiam ad eandem societatem tum instituendam, tum dirigendam, cum præsertim artifices, quatenus artifices, constituent ordinem quendam medium inter dirigentes, & obtemperantes, qui utriusque extremi naturam utcumq. refert. Sciendum igitur, ex propria ipsius phantasiæ actione exteriori, quæ proprium intendit bonum, illas artes deduci, quarum opera non tantum remanent, sed etiam ceteris omnibus artibus adiumenta præbent: nam instrumentorum, seu machinarum vim continent, quæ in artium usu sunt, vel necessaria, vel commoda. Ideoq. primariæ artes recte appellandæ sunt. Ex eiusdem appetitus exteriori actione, quæ sensus communis respicit bonum, illæ artes deducuntur, quæ maria transeuntibus, seu aliter nauigantibus, seu terrestria itinera exercentibus, deseruiunt, ac famulantur.

Ex eiusdem actionibus, quæ exteriorum sensuum, triumq. præcipue præstantiorum respiciunt bona, deducuntur, quantum ad videndi sensum, Multiplex pictura, Fullonum ars, Sculptura, necnon artes confectrices variorum instrumentorum, quæ visui uel adiuuando, vel dirigendo inseruiunt. Quantum ad auditum, eliciuntur artes Musicorum, Instrumentorum fabricatoriarum. Quantum ad olfactum, ars odorum excitandorum, atque componendorum, seu aromaticorum: Ex phantasiæ actione, quæ imperfectissimi sensus, quatenus gustui copulatur, respicit bona, oriuntur artes, quarum effectus victui hominum aliquo pacto inseruiunt: hisq. medicamen-



dicamentorum etiam confectrices addendæ sunt. Ex phantasiæ operationibus, quæ respiciunt bona, eiusdem imperfectissimi sensus, quatenus tactui copulatur, eliciuntur artes omnes, quæ vel domibus construendis, vel vestimentis conficiendis incumbunt, nec non quæ apta ad calorem, vel frigus, seu euitandum, seu inducendum componunt, ac præparant. Hæ omnes artes perfectæ vocandæ erunt, quoniam illarum opera, cessante artificum actu, remanent. Artes vero imperfectiores deducuntur ab eodem affectu, quatenus extendit propriam dirigendi vim ad sensus communis actus: quibus cessantibus nullus remanet effectus. Hæ similiter erunt plures, neque vnus ordinis: tales enim operationes respicere solent oblectamenta, seu eiusdem sensus communis, seu visus, seu auditus. Quæ humanos motus moderantur ad ipsius Communis sensus bonum, duorum ordinum erunt, quoniam tales motus totidem differentias admittunt: Quidam enim licet affectus necessario non producant, ad eos tamen dirigi possunt: cuiusmodi sunt Iaculatio, ac variorum armorum vsus: Quidam vero neque effectus ex propria Natura respiciunt, neque ad illos diriguntur, vt puta Equitatio, & Remigatio. Vterq. actuum ordo arte moderari solet, quatenus serio exercentur, atque etiam quatenus imitantur, neque aliud intendunt, quam spectatorum voluptatem. Itaque ex eisdem fontibus deducuntur artes saltandi, chorearum ducendarum, necnon canentium, atque sonantium. Harum autem vim, longeque præstantiori ratione, continere videntur, Tragædiarum, Comædiarum, ac reliquorum Poematum vsus, necnon Equitum discurrentium, ac bellantium spectacula multiplicia, quæ duplicem vsum videntur admittere: neque enim ad solam voluptatem, exhilarationemque pertinent, sed ad corporum etiam agilitatem, ac robur inducendum, atque firmandum non parum conducunt, simulque ad bellicam disciplinam, atque ad animi mores moderandos, firmandosque.

Eorundem actuum tertius etiam vsus admittetur, quo agendorum tempora, opportunitatesque demonstrari, communisque directio exerceri solet. Et hic quidem sensus præcipue conuenit. In hoc vsu Phantasiæ uis quam maxime viget: hæc nempe non tantum singula respicit, sed singulorum etiam directionem intendit.

Ex ipsius etiam imperfectissimi sensus affectu deducenda erunt illorum ministeria, qui pauperum, ac egenorum, necnon ægrotantium necessitatibus inserviunt.

Magistratus

Magistratus vero, artibus omnibus præpositi, tria præcipua curare debebunt, vt scilicet artifices ipsi abundant, vt artium vniciq. materia, atque instrumenta copiose suppeditentur, & vt singula recte, atque absque vlla fraude exercentur. Præter supradictos Magistratus, qui oriri videntur ab ipsa Phantasia, respectu illius actionis, quæ ab ea præcipue effluit, illi quoque ex eadem deducendi erunt, qui oppositorum malorum expulsionem respiciunt.

Horum igitur munus erit, expellere inuitiles, ac inhonestas artes, necnon inhonestos artium vsus, prout legibus sancitum erit.

Tertius etiam Magistratum ordo desiderabitur, cui cura demangetur, iuuenum in his instituendorum, ac exercendorum.

Existimare fortasse quis posset, his Magistratibus illos esse superaddendos, qui curam gerunt tam Nuptiarum, quam funerum, ac ceterorum omnium, quæ agenda sunt circa moribundos, morientes, ac mortuos. sed, cum hæc omnia ex diuinæ, ac Naturæ legibus sint agenda, illorum sollicitudo Sacerdotibus, ac Sapientibus erit relinquenda.

*Totius societatis imaginem, ab unoquoque societatis munere utcumque referri.*  
Cap. XV.



PSA vero humana societas, quæ vere perfecta appellari potest, ea ratione omnia humana munitia complecti solet, vt illorum etiam vim ad singulas partium præcipuarum videatur extendere. quod tamen pro multiplici partium, ac Magistratum natura, plenius, seu minus plene, agendum est: Id, quod intendimus, exemplo accepto ex militiæ munere clarius apparebit: hæc siquidem plenior formam exposcit, quoniam extra Ciuitatem, & in hostium dirione, vt in pluribus, exerceri solet. Hæc Sacerdotibus, sacerdotaliq. sollicitudine carere non potest. quin ea præcipue indigebit: nam ea tractat, quæ diuina adiumenta, diuinæque directiones præcipue exposcunt. Sapientes etiam pluribus in rebus Militiæ deseruire possunt. Totius Exercitus Imperatorem necessarium esse compertum est, necnon ipsius Imperatoris Consiliarios. His assistere debent, qui Imperatoris nomine ob totius exercitus bonum proficiantur ad amicos, vel hostes etiam ipsos alloquantur: qui grauiora, atque difficiliora, vi tuenda suscipere, ac sustinere possint: qui militum, ac totius

Xxx

tius

tius exercitus concordiam fermone, atque etiam auctoritate custodiant: & qui iudicijs tum criminalibus, tum ciuilibus incumbant. Primi igitur, Oratorum partes sustinebunt. Secundi ob virtutis, ac roboris præstantiam Milites prærogatiua quadam erunt dicendi. Tertij Amicitia Curatores. Quarti Iudices. Hæc tamen in exercitu militanter, non autem omnino accurate, vt in Ciuitatibus, tractanda erunt. Eisdem in exercitibus desiderantur, qui pecuniarum recto vsui studeant, qui nummos recipiant, colligant, ac custodiant, qui artifices exercitui, ac bellicis rebus necessarios adesse studeant, eisdemq. præsent: qui præsent itineribus, necnon instrumentis, atque adiumentis ad iter conficiendum necessarijs, vijsq. ipsis aptandis: qui victui necessaria copiose adesse curent: qui circa indumenta, tentoria, ceteraq. ad tutam, ac commodam Castrametationem vtilia inuigilent. Adfint etiam necesse est, qui milites otio torpere, ac militarem disciplinam retundi non permittant, sed eos potius assidue exerceri curent, simulq. inuigilent, (quod ad res recte gerendas plurimum facit) vt bono, ac hilari animo sint. Studebunt alij, vt infirmi curentur, egentibus adiumenta non desint, debiles, ac infirmi ad tuta deducantur, nec deserantur. Quidam etiam solliciti erunt, vt vniuscuiusque actionis tempora, ac opportunitates, certioribus quibusdam signis præfinitur, ac demonstrantur.

*De reeta, ad munia socialia sustinenda, aptitudine. Cap. XVI.*



**S**ED ea iam prosequamur, ex quibus omnium ordinum ad socialia iura, ac munia suscipienda aptitudo, atqueabilitas colligenda, ac firmanda est. Nostris autem constitutionibus insistentes facile percipiemus, vnumquemque, qui vero Dei cultui non aduersetur, quique fidei, prius hominibus datæ, uinculis inueniatur solutus, si ad hanc societatem accesserit, tamquam illius partem ea ratione recipiendum esse, vt absolute quidem ad omnia socialia munia ius habeat, re ipsa tamen ea tantummodo exercere possit, quibus ei libere omnino incumbere licet, & quorum exercendorum rationes ex decenti disciplina iam plene percepit.

Qui a vera religione, ac pietatis cultu recedunt, donec ab hac detinentur perfidia, ab huiusmodi societatis iuribus decentissime expellendi sunt. sicuti enim, vera pietate de medio sumpta, caritatis hu-

manæ

manæ consummatio, omniumq. moralium virtutum robur, ac vsus repellitur: ita, eadem ab humana societate reiecta, omnis illius perfectio, ac fructus comprimatur necesse est: dona siquidem perfectiora, quæ ab ipso Deo gratuito concedenda sunt, absque decenti pietatis, ac religionis cultu sperari non possunt. Ideoq. homines, hominumq. societates, quæ a sanctorum spirituum societatibus, atque ab ipso Deo Opt. Max. secluduntur, illis omnibus expolientur, necesse est, quæ a talibus ciuibus, talique Directore sunt expetenda.

Perfecta igitur Societas, quæ vera pietate carere non potest, aliquem, qui decenti religione aduersetur, quique a Dei Opt. Sanctorumq. spirituum Societate sit seiunctus, Socium, seu Ciuem appellare nec potest, nec debet. Illi quoque, qui fidei datæ vinculo deuinciuntur, donec ita deuinciuntur, omni perfectissimæ huius societatis iure carebunt. nam (vt superius sancitum est) fides in his, quæ hominis arbitrio subijciuntur, dum legitime datur, eandem vim habet, quam Naturæ lex in his, ad quæ hominum libertas ex Naturæ lege subijcitur. Ideoq. totius humanæ Iustitiæ est fundamentum. Sicuti autem illi, qui seu a recta religionis ratione recedunt, seu talis fidei vinculo detinentur, donec his malis premuntur, a perfectissima societate repellendi sunt: ita ceteri omnes necessario admittendi erunt: sæpius quippe a nobis in superioribus constitutum est, humanitatem, seu naturalem hominum caritatem omnes homines indistincte respicere, illorumq. communem, ac mutuam animi propensionem exoptare. Demonstratum item est, inferiores animi nostri affectus, humanæ caritati ex Naturæ lege inseruire, atque ab eadem perfici, idemq. in bonis expetendis euenire. Nulla igitur ratione, hominū parte ab humana societate seclusa, humanæ caritatis quies sperari poterit, aut ablato illo bono, in quo humana caritas conquiescit, quodq. inferiora perficit bona, humanam felicitatem consistere. Præterea homo natura socialis est, ac summo etiam Deo, ac beatorum spirituum ordinibus associatur. Societas igitur secludens homines, veram pietatis rationem retinentes, neque Deo vere associabitur, neque perfecte denominationem sustinebit: eos enim reijcit, quos Deus ad societatem admittit.

Hi vero absolute quidem ad vnumquodque societatis munus ius habebunt, re ipsa tamen ea tantummodo recipient, quibus omnino libere incumbere possint, & quorum exercendorum rationes ex de-

centi disciplina iam plene perceperint: Prudentiæ enim, simulq. Naturæ leges abhorrent munus aliquod, quod animum omnino liberum, ac solutum requirit, ac indefinenter exercendum est, illis demandari, qui ex rationis, ac Naturæ legibus tenentur, sibi, ac suis opere quotidiano necessaria parare, seu ea, quæ arte tantummodo, ac summa peritia recte tractari possunt, illis committi, qui huic arti, huicq. peritiæ non incubuere. Itaque, ut vniuscuiusque ius ad munia socialia suscipienda plenius apparere possit, legibus sancientum erit, in vnaquaque ciuitate minori recipienda esse nomina omnium, qui profitentur se illius ciuitatis ciues, ac singulorum facultatibus perpensis vnumquemque ad certum aliquem ordinem deducendum esse, simulq. decernendum, quænam munia vnicuique ordini seu demandanda, seu deneganda sint, donec ab eo ordine recedere & possit, & velit. Certa etiam disciplinarum loca ab earundem vnaquaque statuenda erunt, ut in illis ciuium suorum filij certis quibusdam rationibus, ac legibus erudiantur, quæ leges postmodum explicandæ erunt.

*De Ciuium perfectam societatem ingredientium ordinibus, ac de singulorum numeribus.*

*Cap. XVII.*



**I**VIUM vero ordines ex bonorum vtilium copia, seu defectu definiendi, erunt quattuor, Infimus plebem minorem constituet, Proximus plebem maiorem, Tertius nobiles minores, Quartus nobiles maiores.

Plebis minoris ordinem ingredientur, qui, ut accipiant necessaria, coguntur quotidie elaborare, totumq. corpus exercere, ac exagitaræ.

Illi pertinebunt ad plebem maiorem, qui rebus quidem necessarijs indefinenter studere coguntur, sed totum corpus non exercent, nec proprijs manibus laborant, vtruta Architecti, seu Tabernarij.

Nobiles minores erunt, qui lucrandi quidem studio detineri coguntur, sed ea ratione, ut ingenue viuere possint, ac pro maiori temporis parte præstantiora libere exquirere, seu cum amicis versari. Tales sunt mercatores, qui non per seipfos, sed per ministros mercaturam exercent.

Nobilium maiorum ordinem constituent ciues, quibus annui redditus, seu annuæ exactiones sibi debitæ, abunde suppeditantur, ideoq.

ideoq. absque vlla rerum vtilium, ac necessarium sollicitudine, possunt ingenue viuere, filiosq. ingenue educaræ.

Hi vero iterum fortasse in alios quattuor ordines diuidendi erunt: Quidam enim ex priuatis tantum redditibus abundanter accipiunt. Et hi ciues simpliciter maiores, dicendi erunt: Quidam, ob aliqua in societatem merita, accipiunt ab ipsa societate certos redditus ad proprium, filiorumq. commodum, non tamen omnium, neque in perpetuum, & Nobiles maiores tertij ordinis dici poterunt: Quidam ob maiora merita accipiunt pro filijs omnibus, ac in perpetuum, & erunt maiores secundi ordinis. Quidam ob summa, ac eximia merita accipiunt pro omnibus, ac in perpetuum, redditus munificentiores, prout legibus sancitum fuerit, & dicentur Ciues maiores primi ordinis. Siquis autem has omnes societatis partes ad hominis partes conferat, non difficile percipere poterit, plebem minorem, quæ omnino corporee exercetur, referre Phantasiæ, seu Phantasiæ exequentem virtutem: Plebem maiorem sustinere Memoriam partem nam corporeis actibus non omnino immergitur: Nobiles minores Æstimationis: sicuti enim Æstimationis spiritualia quidem attingit, sed ab his non disiungitur, quæ sunt omnino corporea, ita huius ordinis ciues, præstantiora quidem respiciunt, sed rerum necessariarum cura non omnino soluuntur.

Nobiles maiores simpliciter, Cogitatiuæ vim imitantur, quoniam libere circa vnumquodque exerceri possunt. In reliquis tamen ceterorum naturam non excellunt, sicuti Cogitatiua, si per se consideretur, vere corporea est.

Nobiles demum trium ordinum præstantiorum respondebunt eidem Cogitatiuæ, quatenus tribus rationibus (ut alibi demonstratum est) illustratur: obtinent enim eiusdem humanæ societatis bona, & præcipua quadam prærogatiua ab ea decorantur, ut Cogitatiuæ euenit, quatenus menti, beatissimis spiritibus, ac Deo Opt. Max adheret.

Munerum autem singulis ordinibus demandandorum ratio talis fortasse erit. Ciues quattuor ordinum præstantiorum, ipsi scilicet Nobiles maiores, siue sint benemeriti, siue non sint benemeriti, quoniam illorum vnusquisque libere Reip. incumbere potest, deliberandi, ac consulendi munus admittent.

Ex eisdem etiam ordinibus assumentur oratores, exercituum Imperatores, necnon Imperatori assistentes, concordie communis curatores, Iudices, communium bonorum custodes, ac dispensatores;

res;

res; nec non præfecti annonæ, ac reliquorum omnium, quæ communiter sunt necessaria, ac recte expetenda. fortasse tamen rationi consonum erit, vt ciues benemeriti in his muneribus recipiendis, ac in bellicis præcipue, prærogatiua aliqua fruatur, Ideoque totius exercitus imperium Nobilibus primi ordinis, vt plurimum demandandum erit: administratio militiæ singularum Prouinciarum Nobilibus secundi ordinis, singularum Ciuitatum Nobilibus primi ordinis.

Nobiles autem maiores simpliciter totius, vel Equitatus, vel Peditatus, vel tormentorum omnium, duces constituentur. Reliqua munia demandanda erunt ciuibus trium ordinum inferiorum, ita tamen, vt Magistratum, seu munium dignitas, ordinis dignitati respondeat. In his igitur, quæ ad bella pertinent, Nobiles minores Equitum ordinibus præerunt, atque Peditum cohortibus. Qui ingrediuntur Plebis maioris ordinem, erunt Equites tum cathaphracti, tum leuis armaturæ, atque etiam inter pedites Centurionum munus admittent.

Plebs minor, pedibus militabit, ita tamen, vt ex eadem assumi possint, signa deferentes, atque ordinum directores. In his, quæ ad Iudicia pertinent, Nobiles minores Causarum defensores, ac Scribæ erunt. Plebs maior locorum Iudicialium, legalium voluminum, ac ceterorum huiusmodi custodiam recipiet: Plebs minor Præconum, seu Cursorum onera sustinebit, eademque seruanda erunt in ceteris præcipuis Magistratum ordinibus, prout unicuique conuenit.

Quod autem ad Sacerdotum, ac Sapientum munia attinet, discernendum erit, ciues vniuscuiusque ordinis, si ex aliquo Dei, ac Naturæ dono his digni reperiantur, ad illa admittendos esse: nam hæc rerum simpliciter humanarum ordinem transcendunt, ideoque humanis legibus cohibenda non sunt.

*De iuniorum educandorum, ac erudiendorum rationibus, ac sollicitudine.*

*Cap. XVIII.*



**Q**UAE de ciuium ordinibus, muneribusque prioribus dicta sunt, paratior nos reddunt ad ea adumbranda, quæ ad eorundem educationem, ac disciplinam pertinent. docent siquidem, non eadem ratione vnumquemque ciuium ordinem erudiendum, ac disciplinæ tradendum, sed curam, laboremque præcipuum circa nobiles maio-

res

res impendendum esse. hi nempe sustinere debent maxima, præcipuaque munia, ex quibus tamquam ex proprijs fontibus commune bonum, communisque totius societatis felicitas deducenda est. Locis igitur disciplinarum constitutis in singulis ciuitatibus minoribus, ciuium maiorum filij omnes, siue in ea, siue extra illam nascantur, quatenus ad magistratus suscipiendos apti, & habiles reddendi sint, vna cum disciplinarum magistris, ac curatoribus in illis congregabuntur, & in eis habitabunt. nam lege inuiolabili decernendum erit, nemini aut extra patriam propriam patere disciplinæ loca, aut his non legitime percursis ad hos magistratus sustinendos aditum præberi posse. Illi, qui simpliciter sunt ciues maiores, dabunt singulis annis pro expensis, ac magistris, id, quod rationibus deductis lege fuerit constitutum. ciues autem benemeriti pro meritum qualitate vel nihil dabunt, vel partem tantummodo. Ad easdem disciplinas admittendi erunt ceterorum ordinum pueri, ita tamen, vt in earum loco non habitent, nisi forte nobilibus maioribus deseruiant: sed ad eum accedant, vel singulis, vel statutis diebus, prout unicuique ordini conueniet. Nobilium maiorum pueri ingredientur disciplinæ loca septimo anno completo. per primamque septennij cursum educabuntur in paternis ædibus, seu in patria, seu extra patriam, si forte parentes extra propriam ciuitatem socialia munia sustineant. Educabuntur autem matrum quidem, seu nutricum cura, sed illis legibus, ac animaduersionibus, quæ ad Dei cultum, veramque pietatem recte imbibendam ab ipsis Sacerdotibus; ad corporis vero firmitatem, ac robur, ad augendum, a Sapientibus constituentur. Accedent etiam rudimenta huic ætati consona, quæ ex eorundem sapientum legibus curanda erunt.

Transacto primo septennio, totius potius ciuitatis, quam certi alicuius ciuis filij censendi sunt, ideoque ex societatis legibus, Patriæ tamquam propriæ matri demandandi sunt.

Idem circa eiusdem ordinis puellas sancendum erit. nam his quoque certa disciplinarum muliebrium loca constituentur, quibus Matronæ præerunt. legibus etiam cauendum erit, ne aliquis disciplinam egressus vxorem ducere intendens, alijs nubat, sed talibus tantummodo associetur tamquam legitimis totius societatis filiabus. hac nempe ratione & ipsi coniuges semper concordēs erunt, & illorum filij in ipso quoque semine, ac in ipso materno vtero vtriusque parentis virtutem imbibent, quam domesticis etiam exemplis, assiduissq.

assiduisque admonitionibus accedentibus ita fouebunt, vt omnia præceptoribus ad uota succedant.

Pueri cuiuscumque patriæ sint, ingressi disciplinæ loca eodem idioma tentur, atque etiam, quatenus eisdem studijs incumbunt, eadem amictus forma. Optandum etiam esset, vt in vnaquaque ciuitate loca disciplinæ ex simili ædificiorum forma similem aspectum obijcerent, vt idiomatis vnitas, vestimentorumque, ac domorum summa similitudo eisdem studijs, ac educationibus adiunctæ, ciuium animos tamquam eiusdem domus filiorum vehementius coniungant.

Secundi septenarij cursu, qui respectu communis disciplinæ est primus, pueris præerunt non tantum Sacerdotes, ac Sapientes, sed alij etiam, qui illos instruent in his, quæ æqualiter pertinere videntur ad vnumquemque in virum euasurum, seu vt cognoscenda, seu vt appetenda, seu vt agenda, ac facienda.

Decimo quarto ætatis anno expleto, puerorum vnusquisque, eorundem etiam uoluntate percepta, ad id singulariter dirigendus erit: quod illi conducibilius, ac dignius futurum existimabitur: huius enim ætatis iuuenes, cõmunibus recte decursis, quædam præferre solent, ex quibus vniuscuiusque indoles, ingenium, atque certæ animi propensiones quam tutissime colligi, coniectariq. possunt, maturo præsertim super id optimorum curatorum consilio habito. Patet autem, unumquodque sociale munus ab aliqua animi uirtute pendere, eandemq. proportionem quadam referre. Quapropter, sicuti sociale munus decentissime sustinetur, dum adsunt cognitiones, affectus, ac facultates, quæ perficere possunt illam animi partem, cui tale sociale munus proportionem respondet, ceteræq. cognitiones, cognitionumq. modi accedunt, tam uniuersales, quam particulares, quæ prioribus opitulantur; ita, dum internæ uirtutes his cognitionibus, propensionibus, ac facultatibus deseruientes manifeste seu vigent, seu languescunt, tute coniectare licebit, iuniores his muneribus ex disciplinæ directionibus perfecte, seu imperfecte ministratos. His autem conceptis, iuuenes, qui prius eisdem Magistris, eademq. disciplina utebantur, seiungendi erunt, ac certis institutoribus committendi, prout propriæ directioni conuenit. Hæ autem directiones ad quattuor præcipuas fortasse deducendæ sunt. Prima ceteris omnibus præstantior, perfectissimas Sacerdotum dotes sibi proponet, huicq. summæ etiam Sapientiæ studia adiuncta erunt.

erunt. Secunda summorum Imperatorum, atque Exercituum Dilectum cum uirtutes æmulabitur. Tertia præstantissimos oratores, ac negotiorum gestores instituet, huicque Iudicum munia accedent. Quarta ad quorumcumque bonorum utilium optimam administrationem, atque vsum deducet: huicq. accedent, qui Mercaturis, ac conuenienti ciuium victui, necnon qui artibus omnibus recte præfunt. Deliberantium vero, ac consulentium præstantiam nulla harum directionum singulariter sibi proponet, tum quia hæc pendet ex communioris disciplinæ consummatione, quæ non vnica tantum ratione perficitur, sed ex harum directionum vnaquaque, tum quia quælibet directio deliberatores instituit respectu eorum, quæ singulis directionibus sunt propria. Itaque directiones omnes simul coniunctæ perfectum consulentium, ac deliberantium collegium parient: cum enim satis difficile, vel potius impossibile sit, vnicum hominem omnium expertum esse, ac circa omnia ita deliberare, vt in singulis, proprijs tantum innitatur consilijs, perfecta societas id curare debet, quod possibile, ac facile est, vt scilicet consulentium, ac deliberantium collegia constituantur ex uiris, omnium quidem expertis, in aliquibus autem præstantissimis.

Hi vero singularum directionum magistri, Sacerdotum tamen, Sapientum, ac communis disciplinæ curatorum cura non recedente, iuuenes alijs legibus instituent per tertium septennium, & alijs per quartum, in quo ipsa disciplina perficietur. Harum autem legum rationes non paucas nobis fortasse subministrabunt ea, quæ in hac humanorum actuum directrice philosophia explicata sunt. cū enim singulæ directiones intueantur certos magistratus, qui certis animi partibus proportionem respondent, manifestum est, his perceptis, quæ pertinent tum ad animi affectus perficiendos, tum ad singula munia recte sustinenda, diutius latere non posse rationes singularum directionum recte instituendarum. hæc tamen plenius consummabuntur accedentibus ijs, quæ ad sapientiæ incrementa maiora conferunt, taliaq. pertractantium assidua meditatione. Iuuenes vero, (vt existimamus) decurrente tertio ætatis septennario, in ijs præcipue instituendi erunt, quæ propriæ directionis munia reipsa, ac plene non complectuntur, sed ad illa animum paratissimum reddunt, seu quoniam principia, ac operandi modum demonstrant, seu quoniam illorum imaginem præferunt, seu quoniam remouent impedimenta. Quare illi, qui ad perfectam pietatem sunt deducendi

di (quantum ad animi affectus,) ea tantummodo attingent, quæ animum ad pietatem excitant, quæ ad eandem disponunt, quæ animum vitijs purgant, & eundem virtutibus ornant, ac reficiunt.

Quod vero ad doctrinam pertinet, circa illa detinendi erunt, quæ recte collecta totius sacræ doctrinæ semina obijcere possent, & eiusdem logicam, seu rationalem facultatem referre. quemadmodum enim humanæ Sapientiæ cursus quinque contemplationum ordinibus utcumque consummatur, ita fortasse diuinorum Sapientia, qua tenus ad pleniorum statum perducenda est, exposcit totidem contemplationum ordines, qui humanarum contemplationum ordinibus proportionem respondeant. Prima quasi ceterarum præcæm colliget ea omnia, quæ ad sacrarum eloquiorum studium impellunt, siue Naturæ vim, impulsusque demonstrant, siue humanæ Sapientiæ lumina obijciant, siue ab eisdem sacris paginis suppeditentur. Secunda Logicæ facultatis naturam ita referet, ut doceat, singula metienda esse non ex aliqua humanæ rationis vi, sed ex ijs tantummodo, quorum usus, ac rationes ipsa sacra eloquia ex sanctorum patrum sententia complectuntur, ac docent. Hæc in plures partes distinguenda erit, ut singulis rationis actibus respondere possit. Prima pars simpliciter colliget voces omnes, quæ habentur in sacris litteris, necnon loca omnia obijciet, in quibus illarum vnaquæque ad usum deducitur. Secunda varias singularum vocum significationes, ac vires scrutabitur, quas vel eiusdem scripturæ, vel Patrum auctoritatibus confirmabit. & hæc quidem a vocibus ad conceptus deueniet. Tertia, quæ ad res ipsas magis accedet, colliget voces omnes, quæ rei vnicæ in sacris eloquijs aptari solent, idque respectu vniuscuiusque rei, cuius scripturæ sacræ mentionem faciunt, quo in opere auctoritates similiter adducendæ erunt. Quarta, quæ a simplicibus ad coniuncta deducitur, colliget omnia, quæ de vnaquæque supradictarum rerum in eisdem sacris paginis affirmantur, seu negantur tam aperte, quam figurate, seu parabolice, auctoritatibus similiter adiunctis. Quinta, quæ perducit a propositionibus ad discursus, animaduertet, ac colliget discurrendi, arguendi, ac colligendi modos, quibus vtuntur sacræ scripturæ, atque etiam Patrum præcipui. Sexta, & vltima docere poterit, quam ratione his discurrendi modis, sacræ scripturæ debeant interpretari, atque ab vna sententia plurimæ sententiæ firmissime, ac tutissime colligi possint, ad quod etiam non parum conducent loca dialectica. Hæc vero

contemplatio

contemplatio non tantum animum ad diuina eloquia recte contemplanda paratissimum reddet, sed ad quascumque etiam hæreses seu iam ortas, seu quæ oriri possent, comprimendas, ac euellendas principia, ac fundamenta vberrima suppeditabit, & re ipsa demonstrare poterit, sacræ Theologiam certissimam esse, ac sibi abunde sufficere. Itaque ex his facile exsurgent tres contemplationes ordinum præstantiorum, quarum prior haud secus, quam prima scientia, versabitur circa entia absolute, & humana diuinis ita coniungent, ut diuinorum præstantia clare admodum elucescat: posterior naturalem scientiam utcumque referens, creationis initia, ac totius Ecclesiæ cursum vna cum his, quæ illi annectuntur, certa serie sacræ Scripturæ, ac sanctorum auctoritatibus demonstrabit. postrema docebit ex eisdem sacris litteris, ac ex sanctorum Patrum doctrina omnia, quæ ad mores faciunt, & tam solitarias, & domesticas, quam ciuiles actiones instituere possunt, simulque Ecclesiasticam hierarchiam, ac partium singularum munia demonstrari. Quemadmodum autem, qui pietati student, in tertij septennarij decursu intra duarum speculationum terminos detinendi erunt, ita, qui perfectiorem sapientiam audent, circa Mathematica erunt recte instruendi, necnon dialecticis sermocinationibus exercendi, ac exacuendi. Qui bellicam æmulantur virtutem, venationibus crebrioribus exercendi erunt, simulque erudiendi de singulis, quæ venatoribus occurrere solent, etiam dum sæuiora animalia persequuntur, & de his, quæ perfecta venandi ars in singulis exigit: postmodum venatorum etiam duces constituentur, ut horum vnumquodque recte pertractare, ac præstare possint.

Qui magni oratores euadere intendunt, oratorum præstantiorum orationibus iam confectis, diligenter insistent, singulorumque arte percepta, imitatione eandem consequi enitentur, causis etiam ad libitum sibi confectis. Similique ratione, qui iudicum munia suscipiunt, & qui diriguntur ad rerum vtilium perfectam administrationem, ac procuracionem, tractabunt ea, quæ superioribus proportionem respondere videntur.

In eodem vero septenario Iuuenes non propria tantum, sed aliena etiam scrutabuntur, quatenus proprijs aliquid seu adiumentum, seu ornamentum afferre possint. sic enim proprij propositi perfecta adeptio speranda erit. Elicientur etiam alia commoda, minime speranda: iuuenes namque ita eruditi non tantum eiusdem directio-

Yyy ij nis

nis ciues iudicare poterunt, sed aliarum etiam: nam cognoscent vniuscuiusque directionis vias, seu certe fundamenta præcipua.

Præterea, dum iuuenum aliquis in tertij huius septennij cursu inuenitur vel parum idoneus, vel minus propensus ad propriæ directionis bona adipiscenda, Curatorum consilio, ac consensu, aliam directionem ingredi poterit, cuius non erit omnino expers.

In quarto septenario, iuuenes deducendi erunt ad ea, quæ vere, ac re ipsa pertinent ad propriam vniuscuiusque directionem, ac in illis tantummodo detinendi: ita enim summum perfectionis apicem in ea attingere poterunt. Quapropter, qui pietatem præcipue exquirunt, non sine magna ueneratione ad ea deducendi erunt, quæ diuinorum eloquiorum illuminationem continent, & ad sanctitatem perducere solent: simulq. tribus præstantiorum contemplationum ordinibus infudabunt. In Ecclesijs etiam ecclesiastica munia, prout illorum exiget ordo, exercere poterunt. Qui Sapientiam exoptant, serio ad ueritatum omnium fontem ducentur. illius uis, earundem seriem omnem, ac pulchritudinem percipient, tandemq. perducentur ad agendorum scientiam, ad hanc scilicet moralem, atque ad illius singulas partes perfectius, acutiufq. discernendas.

Quamuis autem, dum disciplinæ loca inhabitant, perceptioni potius, quam inuentioni studere debeant, curandum tamen erit, ut, disciplinæ loca egressi, eisdem contemplationibus insistentes, ea etiam inuenire, ac demonstrare possint, quæ ad summam humanæ Sapientiæ consummationem desiderantur. Eisdem demandanda erit cura iuniorum tertij septennij, necnon aliorum, qui disciplinæ locum inhabitant, cuiuscumque ordinis sint, quos in Mathematicis, ac in Dialecticis instruent.

Qui diriguntur ad militarem præstantiam acierum incessus, motus, ac cetera omnia, quæ vere, ac re ipsa bellica sunt, intelligent, in hisq. & ipsi exercebuntur, & aliorum ordinum ciues certis diebus exercebunt. Neque fortasse inutile erit, huius ætatis iuuenes, si forte hostis patrios fines attigerit, comitari milites, quibus finium custodia est demandata, ut hostiles acies intuentes, firmiores, ac prudentiores in illorum aggressionibus euadere possint. Aliarum directionum iuuenibus ea demandanda erunt, quæ his proportionem respondent.

*De his, quæ desiderantur ad pleniorum perfectissimæ societatis perceptionem, & de duabus rationibus, quibus Sacerdotes, ac Sapientes contemplari possunt. Cap. XIX.*



**D**OST enarrationem socialium munium, ac illorum, quæ decentem ad eadem sustinenda aptitudinem demonstrare possunt, ea perscrutanda sunt, quæ præterea desiderantur, ut perfectissima societatis forma clarius, ac plenius concipiatur, videlicet quibusnam ex decenti Naturæ ordine demandanda sit potestas Magistratum eligendorum, quam ratione illorum vnusquisque sit constituendus, & quodnam obtemperandi debitum, præcipiendi auctoritas, moderamen, numerus, ac sedes vnique conueniat. Præcipue autem animaduertendum videtur, tam primum, supremumq. sacerdotium, quam sacerdotes, huic summo proximos, ipsosq. sapientes, quorum ministerio humana societas præstantiora assequitur bona, duplicem contemplationem admittere, in se ipsis scilicet, & absolute, & quatenus humanæ societati assistunt: humana quippe mens, quæ trium præstantiorum affectuum, ex quibus hæc socialia munia colliguntur, fons, atque radix est, duabus similiter rationibus contemplari solet, videlicet in se ipsa, seu absolute, & quatenus corpori copulatur. Ex priori contemplatione neque Sacerdotes, neque Sapientes, societatis partes sunt, sed societatis inducendæ, atque perficiendæ vim continent, Ideoque societatis principia quam decentissime appellari possunt. Ex posteriori vero, societatis quidem sunt partes, sed ea ratione, ut neque a societate pendeant, neque proprium ab eo recipiant Esse. nam neque humana mens, quatenus in se ipsa, atque absolute consideratur, hominis seu pars, seu forma censenda est, licet hominis constituendi virtutem contineat: quatenus vero corpori, corporeisq. virtutibus copulatur, hominis quidem pars, ac forma est, ea tamen ratione, ut a corpore, corporeisue virtutibus proprium Esse non recipiat. Admirabili autem quadam dispositione euenisse videtur, ut hi tres regentium ordines præstantiores, (qui huius societatis principium sunt) & quattuor obtemperantium ordines inferiores (qui eiusdem materia recte censentur) Dei potius, ac Naturæ, quam humanis legibus constituentur: E contra vero quattuor regentium ordines inferiores, & tres obtemperantium ordines superiores ab hominum potius, quam a Dei, seu a Naturæ legibus ortum ducant:

cant: hac siquidem ratione perfectissima humanæ societatis semina, Dei, ac Naturæ munere imperfectiori eiusdem societatis materiei iniecta, hominum accedente industria, pariunt reliqua omnia, quæ desiderantur ad humanæ societatis formam educendam, ac consummandam: efficiunt enim quattuor regentium imperfectiorum ordines, ipsosq. tribus præstantioribus subijciunt.

Constituunt etiam tres obtemperantium ordines præstantiores, & quattuor imperfectioribus superaddunt: quæ simul coniuncta, humanæ societatis formam, materiam, eandemq. societatem omnem (vt nouimus) ad consummationem perducunt.

*De summi Sacerdotij constitutione, obtemperandi debito, præcipiendi potestate, moderamine, ac sede. Cap. XX.*



**Q**VAMVIS autem his præstantioribus dirigentium ordinibus commune sit, ortum ducere ex Dei, ac Naturæ potius, quam ex humanis legibus, Sacerdotum tamen constitutio, Summiq. præcipue, Sapientum constitutionem longe excellit. cum enim Sapientum origo ex ipsa humana sapientia, humanæ rationis vi facile attingi, ac concipi possit, in Sacerdotum origine, constitutioneq. percipienda, naturæ nostræ vis, ac omne naturale lumen omnino succumbunt: quemadmodum etiam, si quæratur, vtrum summi Sacerdotis ministerium, vni tantummodo, seu pluribus hominibus demandandum sit: Et, si uni tantum, quisnam tandem ille sit, qui tanta dignitate est præditus, eiusdem nostræ rationis virtus fluctuat, infirmatur, ac deficit: licet enim rationes aliquæ, illis haud dissimiles, quæ Naturæ, ac diuinæ legis vnitatem demonstrant, insinuare possint, Maximum hoc Sacerdotium vni tantummodo homini demandandum esse: nihilominus absque diuina reuelatione, & absque diuina, ac supernaturali directione, impossibile omnino esset, soluere, seu amouere fundamenta, veritatem hanc oppugnantia. igitur, quo ad vnici eiusdem æterni Sacerdotis veritatem, atque etiam quo ad Summorum Pontificum, qui æterni Sacerdotis vicem in terris gerunt, successionem; nec non quo ad horum omnium constitutionem, deputationemue, ea accipienda a nobis sunt, quæ diuinitus reuelata fuere. Neque tamen nostra hæc Contemplatio ob id minus firma reperietur, cum ex his præcipue omne illius robur deducendum sit: sicuti enim verus

Sacerdo-

Sacerdotio de medio sublato, nulla humanæ societatis consummatio sperari potest, ita, diuina lege, diuinisq. reuelationibus deficientibus, Sacerdotij constituendi nulla esset ratio. At ex ipsius etiam humanæ rationis intuitu, quam tutissime asserendum est, supremi Sacerdotij ministrum in his, quæ ad Pietatem pertinent, hominum vnicuique vere præesse, siue Magistratu aliquo fungatur, seu Magistratibus pareat, & siue maioris, siue minoris ætatis sit: nouimus enim homines omnes subijci diuinæ legi, teneriq. ad Pietatis actus, atque ad diuinum cultum, neque seniores iunioribus vlla in re magis prodesse, quam dum eos ad Pietatem, Deiq. cultum recte instituunt.

Et hæc quidem his consona sunt, quæ alibi diximus circa animi affectum nobilissimum, cui Summum hoc Sacerdotium proportionate respondet. Itaque huius Summi Sacerdotij potestas inferioribus Sacerdotibus, humanisq. potestatibus, legem imponens, neque ab illarum aliqua legem recipiens, singularum vim eminenter complectitur, haud secus, quam diuina lex ceterarum omnium legum virtutem admirabili quadam ratione contineat. Hæc tamen ita intelligenda esse non dubitamus, vt ceteræ potestates ex summæ huius potestatis adiectione perficiantur, ac ad modum reducantur, non autem amoueantur, seu destruantur: nam neque humana mens corporeis virtutibus addita ipsas corrumpit, neque diuinæ reuelationis lux, naturale nostræ rationis lumen repellit. Itaque Summi Sacerdotis potestas, ac in his, quæ ad Dei cultum pertinent, omnino soluta, ex eo tantummodo moderamen recipiet, quoniam in ceteris eatenus extendetur, quatenus diuinæ legis constitutionibus aduersari conspicerentur.

Quod uero attinet ad eiusdem Summi Sacerdotis Sedem, uniusquisque facile assentietur, eam constituendam esse in Ciuitate, totius Societatis principe: nam, cum unus tantum sit, summumq. dignitatis apicem attingat, in singulari, ac dignissima Ciuitate est statuendus.

Animaduertendum uero est, summam hanc potestatem diuinitus institutam, priori quidem ratione præesse perfectissimæ societati, sed ceterorum etiam hominum cura onerari, atque in his præcipue, quæ ad Pietatem pertinent. Itaque, sicuti singularis hæc Ciuitas, quatenus coniugatis Ciuitatibus præficitur, pro societatis amplitudine, seu Mariti, seu senioris Patris munia sustinet: ita, quatenus

tenu-



tenus est sedes Summi Sacerdotis, qui ab æterno Sacerdote, Deoq. Opt. Max. lege accepta, eidem filios assidue parere, enutrire, omnemq. colligere, ac fouere debet, senioris Matris partes exercebit, Nam summus Sacerdos non huic tantum societati præest, sed toto etiam orbi assistit, ac omnibus, seu per se, seu per alios (vt dabitur) ministrare debet. Ipse vero summus Sacerdos, vt nouimus, non ea tantum curabit, quæ pertinent ad præsentis boni fruitionem, quæq. ex primo affectuum actu colligenda diximus, sed ea etiam quæ tum oppositi mali repressionem, tum futuri boni adeptionem respiciunt.

Quapropter illius muneris erit quam diligentissime incumbere, ne aliquid, quod rectæ pietati aduersetur, irreperere possit, & siquid huiusmodi insit, radicitus euellatur.

Iuniorum etiam recte educandorum sollicitudine detinebitur. licet enim huiusmodi cura, quantum ad societatis ciues, minoribus tantummodo ciuitatibus tamquam totius societatis matribus sit demandanda, nihilominus hæc senior ciuitas pro totius orbis cura summo Sacerdoti iniuncta, a iuniorum sollicitudine vacare non poterit, quæ tamen ad ea tantummodo extendetur, quæ ad pietatem, ac sapientiam pertinent.

*De Sacerdotum inferiorum constitutione, obtemperandi debito, præcipiendi potestate, moderamine, numero, ac sede. Cap. XXI.*



**S**ACERDOTVM inferiorum constitutio ex Summi Sacerdotis potestate educenda erit; ea tamen ratione, vt illorum præcipuus ordo alios Sacerdotes instituere possit: non tantum enim a singulis societatis partibus, sed etiam ab externis omnibus Sacerdotum cura exspectanda est. Patet autem, neque ipsum Summum Sacerdotem Sacerdotes omnes instituere, neque omnes, qui ad Sacerdotium promouendi sunt, summum Sacerdotem conuenire posse. Hinc colligitur, horum Sacerdotum numerum extendendum esse, ex necessitate, & commodo humanæ societatis in his, quæ ad Pietatē pertinent. Sicuti autem Sacerdotum inferiorum institutio a Summi Sacerdotis potestate colligitur, ita etiam eorūdem potestas, quantum pertinet ad illorum sollicitudinem in alios exercendam, ex diuinæ legis directionibus pro Summi Sacerdotis arbitrio firmāda erit: quamuis enim

enim Sacerdotes omnes, tamquam veri Dei ministri, sint soluti ab omni humana potestate, necnon ab omnibus humanis legibus, eos tamen, prout singulorum ordini cōuenit, Summo Sacerdoti, alijsq. fortasse Sacerdotibus subijci necesse est. Neque vero ob id suspicandum erit, eos subijci humanæ potestati: nā ijs hominibus subijciuntur, qui ex diuina dispositione diuina potestate sunt præditi. Itaque, dum Sacerdoti, potestate diuina præditi, obtemperant, vere parent non homini, sed Deo, ac diuinæ legi. Hinc est, vt, diuinam legem interpretantes, a Summi Sacerdotis spiritu, doctrinaq. nulla ratione recedere possint, sed, dum aliquod occurrit difficile, ad summum Sacerdotem accedere debeant, cui, ex diuinæ legis constitutionibus omnia difficiliora, enodare, ac soluere datum est. Et hæc quidem omnia erunt intelligenda tam respectu præcipui Sacerdotum muneris, quo res diuinæ ad totius Ciuitatis commodum pertractandæ sunt: quam respectu muneris secundi, ac tertij, quibus malorum euulsio, atque emendatio, necnon iuniorum in his, quæ pertinent ad Dei cultum, disciplina est exercenda. licet enim filiorum educandorum, erudiendorumq. cura, minoribus Ciuitatibus, tamquam matribus, sit demandanda, ea tamen, quæ ad Dei cultum attinent, Ciuitatum unicuique cordi erunt, Ideoq. singulæ priori quadam ratione circa talem cultum elaborabunt.

Hæc vero eo moderamine præstanda erunt, vt neque ultra pietatis limites extendantur, neque a Summi Sacerdotis directionibus recedant.

Horum autem Sacerdotum numerus, ac Sedes, vt ex dictis patere potest, ex societatis amplitudine, ac ministrandi commoditate, modificandæ erunt.

*De Sapientum constitutione, obtemperandi debito, præcipiendi potestate, moderamine, numero, ac Sede. Cap. XXII.*



**S**APIENTVM ad commune societatis bonum constitutio, ab ipso Summo Sacerdote pendebit, non tamen ea ratione, qua ab eodem pendent Sacerdotes non summi. hi enim recipiunt a Summo Sacerdote proprium muneris esse, ac potestatem, simulq. potestatis usum: Sapientes vero non Sapientiam, sed Sapientiæ vsum tantum recipient. Horum vero duo similiter ordines admittendi erunt. nam

quidam incumbunt præcipue veritatis inuentioni, simulq. inueniendi, ac docendi rationes perquirent, ac demonstrabunt, Ideoque Sapientum præcipui appellandi erunt. quidam vero Sapientiam ab his inuentam docebunt, ac ad usum deducunt, secundumq. Sapientum constituent ordinem. Priores in ijs, quæ pertinent tum ad Sapientiam Naturæ lumine attingendam, tum ad naturalis legis, bonorumq. naturalium vsum inducendum, ac retinendum, singulis societatis partibus præerunt.

Quapropter potestatibus inferioribus aliquid molientibus contra Naturæ leges obsistent, idq. non iniuria. nam tales potestates non tantum diuinæ, sed Naturæ etiam legibus subijciuntur, Ideoque ipsi Sapientes sibi ipsis etiam leges imponent, necnon contemplantibus omnibus, qui priori quadam ratione illis subijciuntur, simulq. solliciti erunt, ne quis a recto veritatis cursu recedat. Illorum vero leges tales fortasse erunt. Qui contemplationibus incumbunt, ipsam veritatem ament, eamq. solam intueantur, nam ueritate dignus non est qui illi præfert laudem, vel lucrum, & eandem, quæ vere uiuit, ac sapit, a se recedere cogit: Qui contemplantur, non disputent, nisi ijs recte perceptis, quæ a Sapientiæ magistris tamquam talium disputationum principia constituentur.

Hæc vero principia ideo a Sapientiæ magistris præfigenda erunt, quoniam, si unicuique noua principia adducere liceret, hi, qui Sapientiæ incumbunt, nulla certa contemplandi via insistere possent. Primis veritatis principijs recte perceptis, duabus rationibus disputare liceat, videlicet exercitij gratia, & veritatis indagandæ plenius explicandæ causa. his non confuse, sed seiunctim utendū erit. Itaque vnusquisque aperte profitebitur, vtrum prima, vel secunda utatur. Colloquentes exercitij gratia, non recedent a principijs iam cōstitutis. nam, qui neque ad veritatem sermones dirigunt, neque certis veritatis principijs innituntur, summam obscuritatem pariunt, errorūq. multitudine vndequaue exorta veritas omni ex parte obruitur.

Qui colloquuntur veritatis indagandæ causa, nihil proferant contra interiorem animi sui sententiam, sed cuncta ex animo loquantur. Conueniant etiam in scibilium dispositione, in sciendi modo, necnon in ijs, quibus indemonstrabilia a demonstrabilibus sunt discernenda. Nihil demonstrabile proponatur absque ratione demonstrante, absque rationum iudicio, seu absque ipsius iudicij regula. Doctorum auctoritas ad contemplandum, non autem ad discernendum.

cernendum impellat. In his, quæ priori loco tractanda sunt, ab his, quæ posterius tractanda erunt, fulcimenta non quærant. Posteriora priorum vi demonstrantur.

Propositis, seu iam constitutis tribus rationibus contradicere liceat. videlicet, quia sint falsa: quia his, quæ illis priora sunt, parum consonent, seu etiam aduersentur: & quia a constituto sciendi modo recedant.

Qui ea tractans, quæ pertinent vel ad scientias perfectiores, vel ad hominum mores, ac actus, animaduertit constitutum sciendi modum in aliquo deficere, seu a veritate recedere, accuratius contemplationibus incumbet, ut attingere possit, quidnam sit addendum, & quid immutandum: quidquid inuenit, ac probauerit, illis proponet, qui Contemplationibus præsumunt: his enim in eandem sententiam deuenientibus, hæc, prioribus vel abrogatis, vel emendatis, legis locum obtinebunt.

Hæc humanam Sapientiam facile ad summum deducunt. interim autem vitabuntur multiplices sententiæ, ac disceptationes, seu potius contentiones vanæ, omninoq. inutiles, quæ ut plurimum Sapientiam obruunt.

Sapientum præcipiendi potestas erit talis. Obtemperandi vero illorum debitum Sacerdotes respiciet, summumq. præcipue. His vero obtemperabunt non in his tantum, quæ pertinent ad Dei cultum, ac ueram pietatem, sed etiam in ipsius Sapientiæ inquisitione, ac usu: diuina quippe lex, ac reliqua omnia, quæ diuinitus docentur, non possunt errori subijci. Naturæ autem lumen falsitati quam maxime obnoxium est. leges vero, quibus Summus Sacerdos Sapientes deuincire debet, hæc fortasse erunt, ne ea asserere, docere, seu aliter insinuare audeant, quæ diuinæ legis reuelationibus contradicunt. quin potius, siquid tale occurreret, non desistant a contemplationibus, donec veritas elucescat, omnisq. errandi occasio in posterum euellatur, & humana Sapientia ad summum perfectionis apicem deducta, diuinæ legi, ac reuelationibus, plene, ac decenter aliquando deseruiat: Quemadmodum enim Natura, seu Dei Opt. Max. Sapientia, corporibus, corporumq. virtutibus impressa, impellit ad eiusdem Sapientiæ, ac naturalis legis conceptum: ita humanæ Sapientiæ, ac naturalis legis conceptio, dirigit, tum ad legis naturalis decentem vsum, tum ad diuinæ legis lumina plenius recipienda, necnon ad illius ministros ardentius uerendos, ac audien-

dos. Itaque, si quis Sapientiæ incumbens aburatur his Dei, Naturæque directionibus, atque adiumentis his ab illis, qui in humana societate curam gerunt diuinæ legis, corrigendus, atque emendandus erit. Numerus uero Sapientum, societati ministrantium, definiendus erit ex maiori, minoriue amplitudine societatis: pater enim tot Sapientes desiderari, quot sufficere possunt ad directionem totius Societatis commode exercendam, Sapientes siquidem haud secus, quam Sacerdotes, essentialiter societatem præcedunt. Ideoque horum unusquisque sicuti singulos homines ad decentem societatem concipiendam, ac amplexandam impellit, ac dirigit: ita ab unaquaque societatis parte desideratur: Illi tamen, qui pertinent ad primum Sapientum ordinem, in Ciuitate, ceterarum omnium principe, erunt constituendi.

*De potestate, ac rationibus eligendi Magistratus, qui essentialiter pendent ab humana societate.*  
*Cap. XXIII.*

**E**XPLICANDA nunc sunt munia, ac constitutiones Magistratum, qui primo & essentialiter pendent non a Deo, seu a Natura, sed ab humana potestate, simulque demonstrandum, quam ratione ipsi etiam Sacerdotes, ac Sapientes his associantur, & eorundem muneribus præsent. Accipientes igitur, Ministrorum electiones in hominum societatibus summum pondus continere, summam animi tranquillitatem exposcere, summa cum animi sollicitudine, ac cura exercendam esse, ac magnam rerum, ac personarum peritiam exquirere: colligimus, Magistratum eligendorum potestatem nobilibus maioribus demandandam esse, quatenus, disciplinis recte percursis, socialia munia sustinere possint. Huius autem potestatis prima initia talia erunt. Ciues maiores disciplinarum loca egressi, in propria ciuitate minori simul collecti, eos magistratus eligere poterunt, qui in eadem ciuitate minori magis muliebria exercere debent, necnon eos, qui ab eadem ciuitate ad virilem ciuitatem, seu etiam eiusdem virilis ciuitatis auctoritate ad senioremi mittendi sunt. Simili ratione, qui a minoribus ciuitatibus ad virilem ciuitatem mittuntur, simul collecti eos magistratus eligent, qui in eadem ciuitate, propria illius munia exercere debent, necnon eos, quibus seu negotiorum externorum, seu minorum ciuitatum cura in his, quæ sunt magis

magis virilia, est demandanda, atque etiam, quatenus societatis amplitudo id exigat, illos, qui senioris ciuitatis directioni incumbere debent. Missi autem a singulis virilibus ciuitatibus, huius senioris ciuitatis senatum constituent.

Et hic quidem eos eliget, qui in eadem ciuitate certum aliquod munus exercere debent, necnon eos, quibus demandanda est curam externorum, quam ciuitatum virilium, prout legibus sancitum fuerit. Singuli uero hi magistratus ad tempus erunt: hoc enim ad totius societatis, & ad singularum ciuitatum, atque etiam ad eorundem ciuium commodum non parum confert. Lege autem cauendum erit, ne in minorum ciuitatum electionibus aliquis a consanguineis, seu cognatis eligatur, neue in virili ciuitate ullus a conciuie iudicetur, seu propriæ Patriæ præesse possit in his, quæ magis virilia sunt. Eadem ratione in seniori ciuitate nullus in comprouincialis electionibus suffragia dabit, neque etiam propriæ Prouinciæ præerit: omninamque diligentia curandum est, ut, cuiuscumque necessitudinis undequaue seiuncta, & Electores, & ipsi Electi propria munia liberius, ac utilius exercere possint.

Eandem ob causam statuendum erit, ut, quicumque uxorem ducere intendit, conciuie tantummodo nubat. Quod si aliæ nupserit, neque in propria, neque in uxoris patria virilia munia sustinebit.

*De deliberantium constitutione, obtemperandi debito, præcipiendi potestate, & moderamine.*  
*Cap. XXIII.*

**Q**UAE de Magistratum simpliciter humanorum eligendi potestate nuper constituta sunt, facile docere nos possunt, quam ratione illorum unusquisque sit constituendus: talis enim potestatis usus, & Magistratum ipsorum constitutio idem omnino videtur esse.

Exordientes autem a constitutione Deliberantium, quibus summa (quantum ad humana) potestas conceditur, dicimus, hos seligendos esse ex his, qui a minoribus Ciuitatibus ad senioremi mittuntur, ita tamen, ut seruetur eadem proportio, quæ seruanda est in Ciuibus, pecunijs, militibusque mittendis ad maiores Ciuitates, atque ad commune commodum: hac enim proportione seruata, a summa æqualitate nullatenus recedetur.

Illi autem, qui a singulis Ciuitatibus emittuntur, trium præcipuorum

rum ordinum erunt, videlicet Sacerdotes, Sapientes, atque rerum humanarum pro vniuscuiusque disciplinarum ordine Experti: totidem namq. collegia in ipsa Maiori Ciuitate erigenda sunt.

Primo igitur ex Sacerdotibus firmabitur Sacerdotum collegium. Quod ex Sapientibus Sapientum collegium instituet. Demum utroque collegio cocunte, ex his, qui tamquam prudentes, ac rerum humanarum experti, missi fuerunt, firmandum erit consulentium, ac deliberantium collegium, seu consilium.

Et hæc quidem in primo nostræ huius societatis exordio ex ipsius summi Pontificis consilio, & auctoritate disponenda erunt.

In eodem etiam mutuata quodammodo potestate, ipsi ciues non ex disciplinarum ciuiliū, sed ex singulorum studio, & ex domestica educatione feligendi erunt: postmodum autem non ex domesticis, sed ex ciuilibus disciplinis euocabuntur. Itaque, dum aliquis seu morte surripitur, seu ad aliud sociale munus emissus fuerit, ipsummet Deliberantium collegium, alijs in recedentium sedibus constitutis, seipsum refarciet. Idem etiam a duobus superioribus collegijs obseruandum erit, nisi forte decentius existimeretur, in restitutionibus primi collegij, quod ex Sacerdotibus constituitur, Summi Sacerdotis auctoritatem simpliciter sequendam esse. Sicuti autem Sapientum collegio aliqui Sacerdotum præesse debent, nequid contra diuinam legem, decentemq. pietatem tractetur; ita aliqui Sapientes, & aliqui Sacerdotes, Deliberantium collegio assistent. Superius siquidem sancitum est, Sapientum auctoritatem Sacerdotum auctoritate cohibendam esse, & Deliberantium summam, quantum ad humanam potestatem, ex Sacerdotum, ac Sapientum potestate moderamina admittere. quod tamen ea ratione præstandum erit, ut ipsi Sacerdotes, ac Sapientes humana tractantium, atque circa humana deliberantium partes nullo pacto surripiant, sed tantummodo fatagant, nequid contra Dei, ac Naturæ leges iam constitutas, atque omnibus notas, agatur, seu intentetur.

Quemadmodum enim animi affectio, quæ simpliciter est humana, dum rationis, (cui essentialiter copulatur, cuiusque directiones concipit,) virtutibus irradiatur, ipsiq. rationi obsequium decens præstat, ceteras omnes animi partes summo cum hominis bono quamdecentissime moderatur, ac regit: Econtra vero, dum a ratione dissentit, tenebris vndeque inuoluitur, ipsæq. imperfectiores animi potentiæ, ac affectus ad brutales habitus perducuntur, pessimamq.

namq. tyrannidem in totam animam exercent contra præcepta diuinæ legis, ac naturalis, non absque summa hominis calamitate: Ita supremus hic, quantum ad humana, Magistratus, dum Sacerdotibus, ac Sapientibus, simulq. Diuinæ, ac Naturæ legibus obtemperat, inferiores Magistratus, qui inferioribus animæ virtutibus proportionem respondent, quamrectissime dirigit, omnisq. societas felicissimam, ac decentissimam vitam degit.

Dum vero Sacerdotibus, ac Sapientibus aduersatur, simulq. diuina, ac Naturæ præcepta abhorret, ac spernit, ipse miserrimus effectus, ceteros Magistratus ad summa perducit mala, simulq. societatem omnem maximis calamitatibus afficit.

Ad huiusmodi igitur incommoda præcauenda, Deliberatores ita Dei, ac Naturæ legibus erunt deuinciendi, ut illorum acta, seu decreta, tunc tantummodo propriam consequantur vim, cum Sacerdotum, ac Sapientum subscriptio testatum reddet, nihil in eis contra Dei, ac Naturæ leges contineri: Eandem ob causam dum circa ea deliberatur, quæ huiusmodi sunt, ut nullo humano consilio, nullaq. ratione recte decerni possint, statuendum erit Deliberantium decreta firmanda non esse, nisi prius sacra legitime peragantur, supplicationibusq. ad Deum constitutis, pia summi Sacerdotis sententia accedat: nam tamquam exploratum accipiendum est, Dei Opt. Max. numen vere affuturum, dum in his difficilioribus, humana prudentia, diuinis directionibus, ac admonitionibus se omnino submittit: Econtra vero euentus calamitates allaturos, dum talia, inconsulto Deo, intentantur.

*De Deliberantium ordinibus numero, ac sedibus.*

*Cap. XXV.*



ELIBERANTIVM constitutio, præcipiendi potestas, obtemperandi debitum, ac moderamen, iam satis innotuere. Nunc ea perquirenda sunt, quæ attinent ad eorundem ordines, numerum, ac sedes. summa, ac absoluta deliberantium potestas, quæ in perfecta societate desideratur, vnica ex necessitate erit, atque in seniori Ciuitate collocabitur. Præter hanc tamen nonnulli etiam singulis Ciuitatibus, ab eisdemq. eligendi, præficiendi erunt, quibus eadem Deliberantium vox impertietur. nam in his Ciuitatibus, quantum ad humana, digniorem locum obtinebunt, & summæ potestatis vicem gerent.

gerent. Horum vero decreta deuiuentur non tantum Dei, ac Naturæ legibus, ac ministris, sed præstantiorum etiam ciuitatum constitutionibus, mandatis, ac præsentibus; neque fortasse extendi poterunt ad difficiliora, seu ad illa, quæ totius societatis bonum immediate concernunt. nam in talibus, maiorum Ciuitatum consilio, assensuque indigebunt. Deliberatores Ciuitates maioris ad duas classes fortasse deducendi erunt: illorum enim quidam consultationi, quidam uero deliberationi ex proprio munere incumbent.

In præfigendo consulentium numero curandum erit, ut illorum unusquisque communi sermone ex subsellijs utens, commode a præsentibus audiri, ac intelligi possit. Quapropter ob illorum numerum contractiorem, collegium paruum parient. Hi, rebus sufficienter digestis, accedent ad Deliberatores, quorum auctoritate, Sacerdotibus, ac Sapientibus non aduersantibus, decreta, ac leges firmandæ erunt. In Deliberantium uero numero definiendo curandum erit, ut illorum unusquisque orationem habens, ex loco superiori, ac uoce magis intensa a ceteris omnibus facile audiatur, ac tota sententia percipiatur. Consulentium igitur numerum non parum excellent, ex quo tota hæc deliberantium classis pariet collegium, quod Maius appellabitur. Eadem in ceteris etiam Ciuitatibus obseruanda erunt, habita tamen ratione maioris, minorisue singularum amplitudinis. Quamuis autem consultoribus, ac deliberatoribus humana omnia curanda sint siue per seipsos, siue per Magistratus inferiores, quibus consulentes, ac deliberantes assidue assistere debent, nihilominus circa tria, tamquam inter alia omnia præcipua, quammaxime inuigilabunt. Primum est, Iustitia, ac obedientia, quæ Iustitiæ pars præstantior censenda est: hæc enim optimis legibus additæ, non tantum mala omnia interiora, a societate expellent, sed etiam bona omnia parient. Secundum, rerum bellicarum cura. hæc enim societatem a quacumque externa ui tutam reddit, simulque, quatenus ad id veræ Religionis amor, ac recta ratio impelleret, ad externos quoscunque inuadendos, ac quamfacillime debellandos alacrem, ac fortem. Tertium, iuuenum disciplina: in ea enim tot, ac tantorum bonorum firmitas, ac perseuerantia omnis, simulque humanæ caritatis absoluta quies consistit. Quare sapientibus Reip. moderatoribus compertum erit, omnia prospere, ac feliciter successura, si rectam iuuenum institutionem, proprium huius admirabilis societatis, ac coniugij opus existimauerint, ac præcipuum duxerint.

*De inferiorum Magistratum constitutione, obtemperandi debito, præcipiendi potestate, moderamine, numero, ac sede. Cap. XXVI.*



ED ad reliqua socialia munia compendio explicanda deueniendum iam est. Oratoribus persuasio, quæ superiores, & æquales tantummodo respicit, quammaxime conuenit. Amicitia uero curatores dum communem amicitiam tutantur, ac firmant, oppositaque repellunt, non tantum persuasione id præstant, sed adiuncto etiam aliquo potestatis, ac imperij usu, qui circa minores exercendus est. Maior igitur totius societatis ciuitas ad minores ciuitates, siue uirilia, siue muliebria exerceant munia, Oratores non mittet, sed ad externos tantummodo. quod etiam præstare poterit, siue Exteri fines societatis ingrediantur, siue alibi reperiantur, neque ea tantummodo ratione, ut per Oratores propriam, totiusque societatis erga ipsos beneuolentiam testetur, exterorumque animum experiatur, sed etiã, ut nouum aliquod paciscatur, seu quatenus occasio id ferat iam constitutis renuntiet. Quod uero attinet ad amicitia Curatores, eadem maior Ciuitas hos ad minores Ciuitates mittet: Ciuitates inferiores e contra, Oratores ad externos non mittent, nisi forte, quatenus illorum aliquis præcipuam dignitatem obtinens, vel Exercitibus Præfectus, proprios fines ingrediatur: tuncque legationem instituent, beneuolentiæ testandæ, seu experiendæ tantummodo gratia, non autem ad aliquod nouum vel paciscendum, vel stipulandum.

Eadem ad superiores Ciuitates, quandoque etiam ad æquales, Oratores, recte destinabunt: Amicitia uero Curatores ab inferioribus ad superiores non mittentur: Singulae tamen Ciuitates hoc Magistratu ad ciuium amicitiam tuendam utentur.

Ipsa autem maior Ciuitas, quoniam summus Sacerdos, necnon Sapientum præcipui, quibus diuinæ, ac Naturæ leges demandantur, nihil humanum a se alienum existimant, amicitia Curatores ad Exteros etiam quandoque mittent, atque commune omnium hominum bonum auctoritate curabit, eosque coercebit, qui, Dei, ac Naturæ legibus aduersantes, alijs iniuriam inferunt.

Iudices tam criminales, quam ciuiles in unoquoque Ciuitatum ordine, desiderantur. Ciuium causæ ciuiles in propria Ciuitate uno, & altero, seu ad summum tertio iudicio terminandæ erunt: indecens quippe uideretur, ciues suarum rerum vel retinendarum, vel adipi-

scendarum gratia peregrinari, hisq. Iudicibus non acquiescere, qui ita educati, atque eruditi sunt, vt non possint seu ius ignorare, seu illud spernere, cum præsertim nulla cum his, qui iudicandi sunt, necessitudine teneantur. nam a superioribus Ciuitatibus mittuntur.

Simili ratione criminales ciuium causæ in eadem Ciuitate erunt iudicandæ, nisi aliquod contineant, quod totius societatis bono aduerfetur: tunc enim a maioribus Ciuitatibus cognoscentur.

Si inter huius societatis Ciuitates aliqua orientur ciuiles contro- uersæ, hæ a maiori Ciuitate cognoscendæ erunt, siue immediate, siue post primum mediarum Ciuitatum iudicium, quatenus minores Ciuitates agitent.

Milites in vnaquaque Ciuitate ( præsertim si illius fines, externorum finibus adhæreant) ad custodiam constituentur: Illi vero, quibus non tantum finium custodia, sed externorum etiam aggressiones demandandæ sunt, in medijs, atque in maiori Ciuitate præcipue, degent.

Ærarij præfides, reddituum Curatores, necnon priuatorum utilitatum, ac sumptuum Curatores, in vnaquaque Ciuitate aliqua ratione erunt constituendi, præcipue tamen in Ciuitatibus minoribus: bonorum namq. utilium cura licet ad virum attineat, vxori tamen aptissime demandatur: Ipsæ vero minores Ciuitates in reddituum dispensationibus certas leges obseruabunt: quæ tales fortasse erunt: His deductis, quæ Ciuitati in proprijs muneribus ( prout legibus statutum erit) sustinendis expendenda sunt, totum id, quod superest, diuidatur in duas partes. Harum alteram virilis Ciuitas accipiet, vt communibus totius societatis expensis deseruiat. Hæc, quatenus societas vnicam complectatur prouinciam, totum retinebit: quatenus vero dentur plures prouinciæ, non totum, sed partem. Reliquum transmittendum erit ad Ciuitatem, omnium Prouinciarum principem. Altera pars ab eadem minori Ciuitate sepouenda erit, non expendenda, nisi ob maiorem aliquam necessitatem, ac, vt lege sancitum erit. Interim autem deseruiet collectionibus frumenti, seu aliarum segetum, necnon armorum, ac bellicorum instrumentorum, æris, ferri, indumentorum ex lana, lino, & corio confectorum, ac ceterorum omnium, quæ militibus, ac rebus bellicis inferuire possunt. Et id quidem pacis etiam tempore Ciuitatibus omnibus varias utilitates afferet: populi siquidem exploratum habentes, Ciuitates hæc pretijs constitutis empturas esse,

his

his artibus insudabunt, non absque magno tum communi, tum domestico commodo.

Eadem etiam in totius societatis redditibus, tum a maiori, tum a medijs Ciuitatibus, expendendis obseruanda erunt. Leges autem communium reddituum Curatoribus imponendæ erunt, vt ea, quæ sponte vt plurimum oriuntur, neque animalibus nutriendis, ab ipsa Natura parantur, vt puta, mineralia, sales, ac cetera, quæ tum ex terræ, tum ex marium visceribus eruuntur, tamquam iure quodam Naturæ non ad vnius, sed ad multorum bonum pertinentia, totius Ciuitatis sint. Ideoq. vnaquæque Ciuitas diligenter inquiret, quidnam horum regio, vel omnino sponte afferat, vel arte aliqua adiuncta, facile afferre possit, seduloq. incumbet, vt ex his commoda, ac emolumenta, prout fieri potest, maxima accipiantur. Illi vero, qui his præficiuntur, curam adhibebunt, ne Resp. aliquid vel fraude, vel socordia detrimenti patiat. Eadem sollicitudo adhibenda erit circa vectigalia, quæ commune bonum similiter respiciunt, quæque in vnaquaque ciuitate erunt vel omnino eadem, vel certe proportione ad inuicem similia. Siquid agri Resp. possidet, eadem diligentia colendum, ac custodiendum erit. Reip. ager numquam venundabitur, quin potius curabitur, vt in dies magis accrescat, ideoq. legibus sancitum erit, agros venales pretio constituto Reip. nomine emendos esse. optabile quippe foret, regionem omnem ad ipsam Remp. absque alicuius iniuria pertinere. Quare etiam legibus decerneretur, regiones bello acquirendas retinendas esse tamquam bona Reip. vel ciuitatis in ea constituendæ, ea tamen lege, vt communis possessio singulorum ciuium commoda adaugeat, militumq. præsertim, qui legitime pro Rep. certantes in ciuium maiorum, ac benemeritorum ordinem post victorias semper ascribendi erunt. Præterea societatis redditibus adauctis Resp. admittet maiorem puerorum instituendorum numerum, absque vlla illorum expensa: vectigalia diminuet, ciuibus plura elargietur, præcipue autem egestatem, omnemq. incuriam, simulq. nimium diuitiarum luxum ( quæ maxime Reip. obesse solent) a Ciuitatibus eliminabit.

Hæc autem Reip. bona partim locari poterunt, partim ciuium vsui concedentur mercedis, vel præmij loco, diligenti tamen omnium enumeratione præuia, atque cum adaugendi condicione: partim etiam alicui, rationem reddituro, demandanda erunt. Horum autem, necnon aliorum, qui illis præerunt, educatio, atque

iam a teneris accepta disciplina, necnon præmiorum spes Remp. certam reddent, omnia ab illis summa fide, ac diligentia tractanda fore.

Ciuiibus autem graue, aut molestum non erit, in his, quæ sibi a Rep. conceduntur, filios hæredes non instituere: percipientes enim, hos, tamquam Reip. filios educari, atque ab eadem summa cura optimis disciplinis imbui, non dubitabunt, illis longe firmiorem, amplioremq. hæreditatem paratam esse, cum præsertim non ignorant societatis leges circa ciues, ac illorum omnem posteritatem tuendam. Magistratus, qui priuatorum curam gerunt, in his, quæ pertinent ad earundem rerum vtilium tam dispensationem, quam adeptionem, curabunt, vt vnusquisque domui suæ recte præsit, ab omnibus superuacaneis, ac immoderatis absteat: siquid, demptis necessarijs, superest, Remp. imitetur, magnumq. lucrum, ac decus existimet, si bellorum tempore plurima ad militum vsum proferre possit.

Inuigilabunt etiam, vt Ciuitas ab omni desidia vacet, mercaturamq. præcipue fouebunt: quippe, quæ ad ciues ditandos, ad populos nutriendos, ad vectigalia adaugenda quamaptissima sit.

Hi omnes Magistratum ordines, licet, tamquam ex propria natura domestici, minoribus Ciuitatibus præcipue conueniant, in maioribus etiam Ciuitatibus erunt constituendi: nam virile etiam est, bona vtilia, vt decet, respicere, conferuare, & adaugere.

Magistratus, qui artificibus præfunt, simulq. solliciti sunt, ne defint seu artifices communi bono deseruientes, seu materiæ, circa quas illorum vnusquisque versatur, sed cuncta, vt decet, abundant, in vnaquaque Ciuitate erunt constituendi, ita tamen, vt, qui arma, ac bellica instrumenta conficiunt, a maioribus, ac ab ipsa omnium ciuitatum principe præcipue colligantur. Idem etiam circa librorum impressores curabitur: hi namq. præcipuis Sacerdotibus, ac Sapientibus propria quadam ratione deseruiunt.

His omnibus Magistratibus commune erit, in proprijs obeundis muneribus subijci Deliberantium mandatis, ea tamen ratione, ut in his pertractandis, non æquali polleant potestate, sed digniores exercentur modo quodam liberiori; minus digni (prout illorum patitur ordo) aliquanto contractiori.

Singulorum autem dignitas accipienda erit, ex ordine humanarum virtutum, ex quibus singuli deducuntur. Quapropter potestas Consulen-

Consulentium, qui Deliberantibus assistunt, nullis legibus erit astringenda, sed permittetur singulis, vt libere proponant, ac proferant, quæcumque ad societatis commodum attingere existimarint. hi siquidem ita ministri sunt, vt inter Principes recte collocari possint.

Oratorum, amicitia Curatorum, atque militum potestas ab ipsa Consulentium potestate declinans ad certam aliquam vel amicitiam, vel expeditionem tractandam coarctatur, ita tamen, vt ministri in his pertractandis, libere eligere possint ea, quæ ad rem recte perficiendam conducere existimauerint. Itaque his mandata dantur sermone, vel litteris, non autem legibus. E contra, illis, qui iudicia exercent, necnon illis, qui redditibus præfunt, ac ceteris inferioribus, potestas, ac agendi ratio contractius præfinitur: nam, quid agendum, ac attendendum sit, percipiunt, non ex sermone, seu epistolis, sed ex statutis, & legibus.

*Ex his, quæ hætenus dicta sunt, propositæ societatis formam, plene concipi, hancq. vere perfectam esse. Cap. XXVII.*



NSISTENTES exemplari, quod nobis a Natura paratum est, ad contexendam eam hominum societatem, quæ humano affectui summam pacem afferre potest, attingimus communiorem illius formam, percursisq. differentijs omnibus humanarum operationum, vt humanæ societati ministrare possunt, ab eisdem, quasi ex proprijs fontibus, deriuauimus humanæ societatis partes omnes obtemperantes, ac moderantes tam ad præsentem decentium bonorum fruitionem, atque ad oppositorum malorum compressionem, quam ad tutiorem vtriusque vsus perseuerantiam. Docuimus præterea, hominum vnumquemque, nisi a recta religione recedat, seu data fide legitime se aliter deuinxerit, tamquam perfectissimæ huius societatis ciuem colligendum esse, ea tamen lege, vt magistratum pondus sustinere non possit, nisi a ceteris curis, ac sollicitudinibus solutus sit, & decentibus disciplinis imbutus. Itaque ciues in certos ordines distinguendos diximus, & puerorum, iuniorumq. educandorum, ac erudiendorum leges, ac rationes obiecimur, tandemq. magistratum materia sic præparata, potestates quoq. demonstratae sunt, quibus tamquam efficientibus causis, Magistratus sunt constituendi in certis sedibus, ac ad proprium munus dirigendi. Quemadmodum,

admodum igitur, his ad actum deductis, societas re ipsa constituitur, ita, eisdem sufficienter expositis, illius doctrinam ad decentem consummationem perductam esse censendum est. Vtrum autem hæc humanæ societatis forma vere perfectissima sit, vnusquisque perpendens tam illa, quæ ad humanæ societatis perfectionem desiderari diximus, quam hanc ipsam societatem, non difficile decernere poterit. Perfectio quippe oritur ex ampliori hominum operantium multitudine, ex operationum diuersitate, dignitate, perseverantia, fructusq. bonitate, ac nobilitate, ex pleniori, ac decentiori retentione, ac vsu libertatis, quæ homini essentialiter conuenit, ex præstantiori, ac constantiori moderantium directione, promptiorique, ac alacriori obtemperantium obedientia, ex clariori perceptione, ac approbatione eorum, quæ a singulis tractantur, ac agenda sunt, & ex communis operis fruitione communiori.

Huic autem societati hæc omnia adsunt. complectitur enim, seu complecti potest omnem hominum multitudinem, absque vlla propria formæ perturbatione, quin potius summa cum proprii fructus intensione. nam, dum plures ciues, plures ciuitates, ac plures Prouinciæ illi accedunt, ac eisdem legibus subijciuntur, singuli ciues, singulæ ciuitates, ac singulæ prouinciæ, proprium, ac commune totius societatis commodum admirabili quadam ratione, extendunt, ac illustrius reddunt. In eadem societate, vt patet, exercentur indefinenter omnes humani actus, ac ad omnem vsu rationi consonum diriguntur, siue aprentur viris, siue mulieribus, siue senioribus, siue adolescentibus. Præterea (quod vere singulare, ac diuinum est) decens pietas, ac veræ religionis cultus in ea haud secus firmatur, quam in Summo Sacerdote, qui a Deo institutus est, cuiq. in his retinendis spiritus diuinus assistit. Illi namq. hæc societas, in his, quæ pertinent ad religionem omnino subest, neque aliquid sancire, seu aggredi potest, quod diuinæ legi aduersetur. Eadem etiam veræ sapientiæ, ac optimæ virtutis firmitas illi aptatur, ex qua omnia humana bona quamtutissime deducuntur. Quapropter summa totius operis præstantia satis euidens est: constituitur siquidem in consummatione humanæ felicitatis, huic statui consonæ, quæ totam societatem felicem reddit, & ad vnquamque prouinciã, ad vnquamque ciuitatem, & ad vnumquemque ciuem pro singulorum captu vberrime effunditur.

Et hæc quidem ita firma sunt, vt ex communi Naturæ, ac rerum humana-

humanarum cursu nulla perturbatio, seu deficientia timeri possit: nam, si respiciantur interna, facile conspici licet, singulas humanæ societatis partes quamartissime, atque absque vlla naturalis legis perturbatione copulari. illarumq. nullam dissolutionem inducere aut posse, si velit, aut velle, licet adesset potestas. sicuti enim deliberantes subijciuntur immutabilibus Dei, ac Naturæ legibus, ita Magistratus inferiores deliberantibus, & ciues omnes Magistratibus parent.

Præterea ciuium vnusquisque, & ciuitatum vnaquæque ita alijs subest, vt eisdem præsit, & ita alijs præest, ut eisdem subfit. ciuitas enim proprijs ciuibus carens, consistensq. ex collectione ciuium a minoribus ciuitatibus siue immediate, siue mediate emissorum, dum ceteris ciuitatibus imperat, ac leges imponit, non ipsa vere id præstat, sed illæ potius ciuitates, quæ ciues proprios ad id emiserunt. Quare, sicuti minores ciuitates eo pacto maioribus subijciuntur, vt easdem per proprios ciues regant, ita maiores ciuitates, atque ipsa etiam princeps ciuitas, ea ratione minoribus præsent, vt, dum demandant illarum ciuibus regendi munus, eisdem vere subijcianantur.

Eadem ciuibus singulis, seu certe familijs singulis aptari possunt. dum enim in vnaquaque ciuitate illi colliguntur, quibus regendi potestas committitur, & collectio omnis, & familiæ, ex quibus hi colliguntur, similiter, & præsent, & subsunt. Itaque ciuium vnusquisque, & ciuitatum vnaquæque, quatenus præest, propria libertate vtitur: quatenus vero subest, in recto libertatis vsu retinetur, tutissime quidem, (vt patet) sed non violenter, tum quoniam hæc a singulis exercentur absque vlla aliorum iniuria, seu detrimento, sed summo cum vniuscuiusque lucro, tum etiam, quoniam singulorum pietas, deuotio, sapientiæ studium, caritas, magnanimitas, fides, ac ceteræ morum virtutes singulis ordinibus summa cura infixæ, vnumquemque iustitiæ, ac communis boni cupidissimum reddunt, cum præsertim his, qui merentur, quamtutissime superaddantur gloria, diuitiæ, ac cetera omnia, quæ uiri præstantiores exoptare possent, atque ita copiose, vt nullus ab hac societate seiunctus, ex summæ, seu ambitionis, seu auaritiæ, seu licentiæ vsu maiora consequi, seu concipere posset.

Ex his autem quamtutissime demonstrantur reliqua, quæ huius societatis internum robur, ac sanitatem plenius confirmare possent, ac ad societatum perfectionem desiderantur, in ea scilicet decentissimo,



fimo, ac tutissimo libertatis usui adiungi summam moderantium prudentiam, ac sollicitudinem, paratissimam, hilaremq. obtemperantium obedientiam, cuncta & singulis aperta esse, & a singulis approbari, tantiq. operis fructus vberrimos ad singulorum commodum, ac vsum effundi.

Quod autem ad exteriora attinet, satis apertum est, societatem, quæ omnium hominum felicitati deseruiat, quæ singulos accedentes amplectetur, ac eiusdem felicitatis consortes reddat, quæ sibi ipsi indissolubiler cohæreat, quæ decoretur pietate, sapientia, prudentia, animi magnitudine, ac bellica disciplina, tam respectu Imperatorum, quam respectu militum, quæq. armis, ac ceteris omnibus expetendis abundet, illorum tantummodo inimicitiam experiri posse, qui impie, inhumane, ac stulte aduersantur diuinæ legi, Naturæ directionibus, ac sibi ipsis: eandemq. talibus (licet illorum numerus præter omnem rationem adaugeretur) sese exhibituram terribilem, ac formidabilem, non opinione tantum, sed rebus ipsis ad pleniorum Dei Op. Max. gloriam, & omnium hominum pacem, ipsorumq. præcipue deuictorum.



# CONTEMPLATIONIS QVINTAE,

## Pars Tertia:

Quæ complectitur Institutiones humani consilij, ceterorumq. actuum consilio exercendorum, ac præsentis Doctrinæ vsus demonstrat.



*De ijs, quæ in hac parte tractanda sunt. de communioribus actuum humanorum differentijs. & de ijs, quæ humanorum actuum rectitudinem inducere, seu amouere solent. Cap. 1.*



A nunc explicanda sunt, quæ continent institutiones humanorum actuum qui ex decenti Naturæ ordinationi subijciuntur, ac rectæ voluntatis, rectæq. comprehensionis viribus sunt dirigendi. Itaque illi actus discernendi erunt, qui seu a uegetantibus uirtutibus effluunt, & naturaliter exercentur, seu naturalium modum retinent, quod nonnullis manuum, ac digitorum motibus euenire solet. Illi vero, qui rectæ voluntatis, rectæq. comprehensionis exposcunt vsus, plurium ordinum sunt. quidam enim pertinent ad communem rerum dispositionem. quidam deseruiunt adeptioni, seu moralium virtutum, seu facultatum recte expetendarum. quidam earundem vsus continent, & illarum fructus afferre debent. Horum vero actuum unusquisque recte exerceri poterit, si, vniuersalibus, quæ ab hac scientia demonstrata sunt, ad particularia recte contractis, conspicuum erit, quid ab vnoquoque dato certo rerum statu agendum, seu non agendum sit, hisq. tam agendi propositum, quam ipsi actus, adhaerebunt. Hoc autem nihil aliud est, quam recte consulere, simulq. recte deliberata executioni mandare, seu præsentis philosophiæ doctrinam.

doctrinam ad decentem usum perducere. nam hæc tria in unum cadunt. Siquis enim recte volendi, recteq. concipiendi institutiones, quæ in hac scientia demonstrantur, opportune contrahit ad particularia, & his insistens operatur, idem consulendi actum optime exercet, consuleq. agit, & præsentem scientiam ad decentissimos usus perducit: eademq. ratione, qui horum aliquod recte præstare potest, idem necessario vniuersalia ad particularia opportune contrahet, ac illorum moderationi insistet. Horum vero vnumquodque indistincte intuetur omnes humanos actus, qui ex Naturæ dispositione rationis legibus subijciuntur. nam præsens scientia (nisi a proprio munere deficiat) respicit omnes humanos actus, & omnes humani actus, dum ex recto consilio exercentur, rationi consonant. hæc tamen intelligenda sunt de consilijs, quæ præsentibus humanis actibus, quatenus complectuntur moralium virtutum, seu vitiolorum vim. actus enim, qui continent artium, facultatumue humanarum usum, quatenus huiusmodi, ex earundem artium, ac facultatum rationibus recte exercentur, & sub consilium cadunt. Eadem tamen præsentis scientiæ directionibus subijciuntur, simulq. moralium consiliorum continent vim, quoniam præsens scientia, ac ipsa moralia consilia impellunt ad facultatum, artiumq. inuentionem, ac usum, & artium actus, dum recte exercentur, moralium consiliorum imaginem aliquam retinent.

Sicuti autem humani actus, dum moralis scientiæ vim recte colligunt, ac ad usum perducunt, simulq. ex perfecto consilio prodeunt, Naturæ ordini, ac rationi omnino sunt consoni: ita, dum his directionibus destituuntur, neque Naturæ, neque rationi consentiunt. quod tamen pluribus modis euenire solet. nam quandoq. ratio iam brutalis effecta nihil rectum obijcit: quandoq. veris falsa coniungit: quandoq. veritatem quidem demonstrat, sed vel imperfectam, vel imperfecte, vel imperfectam, ac imperfecte. quandoq. etiam id, quod ratio obijcit, non recte contrahitur ad particularia, ut puta, dum aliquis non ignorans ex rationis legibus amicos amplexandos, Patriæq. hostes comprimendos, atque his legibus summe assentiens deceptus amplexatur hostem quasi amicum, & amicum ut hostem comprimit. Et hic quidem error, nisi ex negligentia accidat, minus culpari solet. nam fortasse neque rationi, neque voluntati ascribendus est, sed sensui tantum. At, si adsit negligentia, ratio præcipue, & voluntas, ut rationem excitare potest, culpandæ erunt. nam ad illas etiam

etiam attinet, cautionem in his retinere. Dum ratio veritatē imperfectam obijcit, (quod ut plurimum euenire solet ob inscitiam, seu imperfectam perceptionem eorum, quæ ab hac scientia expetenda sunt) Voluntas prosequens minus fortasse culpanda erit, sed ratio magis.

Tunc vero humani actus imperfecti quidē erunt, sed non omnino prauis: agens enim vniuersalia confuse, ac imperfecte attingens licet ducatur opinionibus, optimi tamen amorem utcumque retinet. Dū ratio veritatem perfectam obijcit, sed imperfecte, si id fiat ob vehementiores exteriorum impulsus, qui animum summe perturbant, atque a summa rectitudine diuertunt, ut puta dum mors, ac cruciatus minantur, nisi imperatis, quamuis inhonestis, assentiatur, error ita voluntati, & rationi ascribendus erit, ut utriusque potius sit miserandum, quam indignandum. Dum vero externa perturbantia sunt infirmiora, seu etiā deflexus ab internis oritur, culpa summe reprehendenda erit. tunc enim appetitus assimilari possent filijs inobedientibus; ratio vero, ac recta voluntas matri, quæ sedens illos actu delinquentes arguit, ac valde tepide. Dum ratio non tantum imperfecte obijcit, sed imperfecta etiam, res vehementius inclinatur, ac ad peiora ruunt. Quod si talia ob ebrietatem eueniant, delinquens duplici fortasse pœna mulctandus erit, ob delictum scilicet, & ob ebrietatem, quæ, dum rationis vim vehementius comprimit, homines ad peiora pronos, ac paratos reddit. Illi tamen longe magis detestabiles sunt, quorum ratio vicens falsa obijcit, & ad malū impellit. Hoc vero vel summe deprauatam educationem arguit, vel mores summe corruptos. Hinc animus ad pessimum detruditur. tandem enim decernitur, cuncta ad libitum agenda esse. Itaque appetitus vndeque irruentes, libere dominantur, ratione a propria sede penitus detrusa.

*De his, quæ recto humanorum actuum usui obijciunt. de voluntario, ac inuoluntario, quæ etiam pluribus rationibus copulari solent. & de ijs, quæ facilius, seu difficilius consilio decernuntur, ac executioni mandantur.* Cap. II.



ROSECVTIONES rectorum actuum rationi deseruientium, plura impedimenta admittere solent. Horum aliqua agenti sunt interna, neque ullam Naturæ necessitatem continent; aliqua externa, seu ab interna Naturæ necessitate ortum ducunt. Quæ interne impediunt,

pediunt, & Naturæ necessitatem non continent, sunt Affectuum imperfectiorum vires obsistentes impulsibus rationis, ac affectuum præstantiorum, & agendi imperitia. Prima perturbat internam pacem, obijciturq. dum actio moralium virtutum adeptionem intendit. Secunda internam imperfectionem conuincit, tuncq. maxime expellenda est, cum morum virtutibus firmatis respiciuntur facultatum, ac artium habitus. Externa sunt indecens rerum hominumq. status, ac dispositio, & eorundem aduersa vis, cui interna corporis ægritudo, ac Naturæ necessitas recte adiungi possunt.

Hæc externam pacem perturbant: simplex tamen externorum confusio, quæ singulis actionum ordinibus aduersatur, ab optima tantummodo agendi ratione diuertit, neque ad aliquod absolute vitandum impellit. Vis autem aduersa, atque opposita siue oriatur a Natura interne externeue cogente, seu ab homine, vehementius urget. nam rationem eo pacto astringit, vt eligere cogatur alterum ex duobus, quorum vnumquodque seiunctim acceptum continet seu manifestum rerum abusum, quem ratio summe abhoret, seu etiam inhonestam iniuriæ sufferentiam, quæ rectæ voluntatis propensione fortius aduersatur; ideoq. cum vtrumque vitandum sit, horum electio licet voluntaria, inuoluntario carere non potest, sed aliquid inuoluntarij necessario continet, magis tamen, ac minus, prout vis opposita eligentis libertatem magis, seu minus comprimit. Cetera impediencia, licet voluntati resistent, humanos tamen actus inuoluntarios non reddunt. dum enim resistunt, agentis electio non tantum est soluta, sed etiam summe viuida. nam imperfectiorum affectuum vires obsistentes retundit. Idem euenit, dum imperitia obsistit actibus, qui arte exercendi sunt, & artes, seu facultates inquiruntur. Indecens quoque rerum dispositio licet, voluntatem ab optimi, quod summe intendit, prosecutione repellat, nullum tamen inuoluntarium parit. neque enim impellit ad electionem alicuius, quod absolute vitandum est. Inuoluntarij autem, quod ob vim oppositam voluntario coniungitur, quattuor gradus videntur esse: dum enim ob peiorum vitationem absque ulla iniuriæ perpeffione eligitur simplex rerum abusus, electio plurimum voluntarij, & parum inuoluntarij continet, vtpote dum nauigantes, tempestatibus ingrauescentibus ne suffocentur, diuitias in mare projiciunt, eisdemq. (nam ad hominum vsus parari solent) manifeste abutuntur, seu dum ægrotantes, vtreliquum corpus saluetur, membrum aliquod tradunt secandum, seu

seu vrendum, eodemq. (quod a Natura ad proprium opus est traditum) manifeste abutuntur. Dum homine inhoneste urgente, homines, ut uexationem uitent, uexanti bona utilia, ac commoda libere relaxant, inuoluntarium magis adaugetur. hæc nempe continent iniuriæ sufferentiam, cui hominum natura summe aduersatur. Damnum tamen, seu incommodum, quod præterea sustinetur, reparabile est. Dum hostes, seu impij dant optionem uel aliquid contra Patriam, seu Deum perpetrandi, uel mortem subeundi, inuoluntarium magis intenditur: nam iniuria maior est, & uitæ damnum ex communi rerum ordine est irreparabile. Dum nulla condicione accepta, qua mors uitari possit, homo ab homine uiolente trucidatur, inuoluntarij portio ad summum perducitur. tunc siquidem, qui patitur, passioni uel omnino resistit, uel ob præstantiorem tantummodo libertatis exercendæ rationem illi assentitur, quoniam scilicet non ignorat, talia non euenire absque permissione diuina, cui humiliter, ac pie assentiendum cognoscit, ac re ipsa assentitur. Si quis autem, his constitutionibus obsistens, inuoluntarium metiri uelit non ex solo rerum abusu, iniuriæq. perpeffione, sed ex quacumque seu mali sufferentia, seu boni reiectione, hic amouebit fortitudinem omnem, cuius partes sunt, voluntarie sustinere plurima mala, ac incommoda, quæ licet rerum abusum non completantur, nihilominus per se accepta expetenda non sunt: Temperantiam tollet, cui proprium est, plura bona spernere, quæ eadem ratione absolute spernenda non sunt: fateriq. cogetur, singulas hominum actiones, & optimæ virtutis optima libere prosequentis vsus semper aliquid inuoluntarij continere. Quibus admillis, terrenæ virtutis, ac terrenæ felicitatis ratio omnino periret, neque enim Inuoluntarium, ac felicitas, se inuicem compatiuntur.

Cum autem in humanorum actuum consummatione duo præcipue desiderantur, recta scilicet perceptio eorum, quæ agenda sunt, & eorundem executio, quandoque horum vtrumque est summe difficile, quandoq. primum omni difficultate caret, & secundum est summe arduum: quandoque econtra, primum difficile, & secundum facile: quandoque vtrumque facile. Summa vtriusque facilitas est, dum, firmato totius vitæ cursu, adeptisq. morum virtutibus, ac facultatibus, quæ ad eum recte sustinendum desiderantur, externa omnia illarum vsui summe fauent, quod tamen extra societatem perfectissimæ formæ raro, ac paucis euenire solet. Primum est difficile,

eile, secundum facile, dum externis perturbantibus decernitur, quid circa externa agendum sit: tunc quippe & particularium cognitio, & certa electio summam rationis vim exposcunt, sed his recte definitis, dum adsunt morum virtutes, ac facultates, quarum usus desideratur, executio nullam difficultatem continet. neque enim nobis difficile est ea agere, quæ decentissime concipimus, quæque actu consummare & volumus, & possumus, licet hæc ex sui natura, ac ex communi rerum cursu difficillima censerentur. Primum est facile, secundum vero difficile, dum decernendum est, quænam morum virtutes, ac facultates desiderantur, ac re ipsa inquirendæ sint. data enim moralium uirtutum doctrina, non est difficile circa hæc decernere, cum præsertim nemo inuitus decipiatur, circa ea, quæ circa se attendenda sunt. E contra, horum habituum realis adeptio, seu inductio summam difficultatem habet, longeq. maiorem, dum morales virtutes acquirendæ sunt, ac per nos ipsos. tunc enim nostra interna obsistunt. quod in facultatum prosecutione non euenit, præsertim si adsint morales virtutes, & naturalis aptitudo, quæ, dum recte constituta sunt, quæ pertinent ad vitæ totius cursum, abesse non potest. Ipsa vero totius vitæ dispositio summam difficultatem continere videtur tam respectu electionis, quam respectu executionis, cuius etiam signum est, quoniam extra perfectissimam societatem, in qua omnia facilia sunt, homines has definitiones diutius protrahere solent, sæpeq. inceptos cursus deflectere. Hæc vero, quæ non raro deliberantium defectui ascribi possunt, semper tribuenda sunt rerum externarum statui, assiduisq. perturbationibus. Itaque, data etiam summa sapientia, talia incommoda cauere vix possunt. Imperfectiores vero homines ideo magis anguntur, quoniam communis hominum infirmitas, naturalis filiorum cupiditas, ac ceterorum hominum dilectio vix patiuntur, aliquem ab omni hominum cœtu recedere, vitamq. omnino solitariam degere, seu ita inter alios viuere, vt ex naturali, gentiumq. iuribus, vitæ cursum libere dirigere possit. perfectiores e contra, talia incommoda facilius, ac illustrius declinare videntur, dum vehementius incumbunt pietati, ac Sapientiæ, quæ paucorum hominum usum exposcunt, & afferre solent firmiora Dei auxilia, simulq. ad alia bona dirigere, quæ summe expetenda sunt, ac internam vniuscuiusque felicitatem tutari possunt. Quæ dicta sunt, satis aperte demonstrare possunt, ad felicitatis humanæ constitutionem summe expetendum esse, ut

non

non tantum communi rerum dispositione firmata humani actus, pariant internam pacem, peritiamque, sed etiam ut ex moralium virtutum, ac rectarum facultatum usu curetur quammaxime, ne homines seu ad inuoluntaria detrudantur, seu ab optimæ virtutis usu libero, ac optimo repellantur, sed incommodi utriusque causæ diligentissime caueantur, ac pro uiribus comprimantur. Et hæc quidem consummanda erunt ex optimo huius scientiæ usu, optimaque consilij exercendi ratione, uel absolute, uel prout certo rerum statui conuenit.

*De triplici presentis scientiæ usu, ac consilij exercendi ratione, ac de consilij natura, & partibus.* Cap. III.



**H**ÆC vero contemplatio non tantum docere debet, humanos actus ex recto suimet, ac consilij usu decentem consummationem adipisci, sed obijcere etiam ea omnia, quæ ad hos usus plenius concipiendos conducere possunt. hæc ab ea decentissime expetenda sunt, quoniam circa ea uersatur, quæ inter uniuersalia extremum obtinent locum, ac particularibus summe adhærent. Quapropter illius muneris est, docere decentissimos transitus ad particularia, atque ad existentia omnia, quæ (ut alibi demonstratum est) tertium rerum ordinem pariunt. idem quippe, eisdemq. ob causas ipsa logica præstitit. docuit enim propriæ doctrinæ usus, ut a rationis entibus, quæ primum rerum ordinem constituere diximus, transitus ad res secundi ordinis, ad has scilicet rerum ueritates uniuersales, tute & inchoari, & protendi posset. Hinc etiam factum est, ut presentis contemplationis usus, simulq. moralium consiliorum exercendorum, ac consummandorum rationes logicæ doctrinæ usus imitentur, & trium similiter ordinum sint. Itaque primus erit rectus, simulq. perfectus, quoniam non tantum intuetur bonum, sed exquirat etiam bonorum omnium copulationem, eademq. decentissime prosequitur. Secundus erit rectus, sed imperfectus, quoniam bonum quidem respicit, sed disiunctim, ideoque, dum bonorum, quæ sibi inuicem essentialiter fauent, nexum dirumpit, unumquodque infirmat, neque humano bono perfecte ministrat. Tertius nec perfectus, nec rectus, sed deprauatus, qui apparenter ad bonum dirigitur, & re ipsa malum intendit. At, ut facilius attingi possint ea, quæ uniuscuiusque

cuiusque usus rationes continent, præsens contemplatio contrahenda est ad ipsum consilium, cui certa executio adiungitur. in eo enim præsentis philosophiæ uis ita colligenda est, ut per illud ad omnes actus consilio moderandos abunde deriuari possit. Præcipue uero statuendum erit, contemplationem, considerationem, rememorationem, cogitationem proprie dictam, & consilium, in pluribus conuenire, & in pluribus differre, simulq. pluribus modis ab inuicem pendere, & se inuicem parere. Contemplatio siquidem uersatur circa uniuersalia, seu singularia, ut uniuersalium naturam referunt, quatenus sunt ignota, & ex ueritatum collatione nouam rerum non bonitatem, sed ueritatem prosequitur. Consideratio ex eo tantummodo differt a contemplatione, quoniam uersatur circa particularia. Rememoratio uerum similiter respicit, non autem bonum: uersatur tam circa uniuersalia, quæ circa particularia quatenus præcognita, atque etiam ut præterita, ipsumq. uerum respicit, ut antiquum sui intuitum renouare potest. Meditatio (ut nunc accipitur) omnia quidem respicit, ut plurimum tamen particularia præsentia, ac præterita, seu etiam, quæ nullam temporis rationem habent: circa futura uero raro, ac indirecte, quatenus scilicet prius cognita, uel prius cognitis euidenter annexa. Dirigitur ad bonum, ita tamen, ut non certi actus, sed certi affectus bonitatem respiciat.

- Consilium uersatur circa particularia ut determinata, seu circa singularia æterna, quatenus particularium continent uim, & tam rememorationis, quam cogitationis adiumentis uniuersalium uim ad eadem particularia, ac præsentia contrahit, simulq. ad futura dirigitur, intenditq. præcipue non uerum, sed bonum, ut aptatur non affectui, sed actioni, nõ absolute, sed relative. illi siquidem proprium est, ex præcedentium ueritate decernere, quid a certis hominibus, quorum bonum intuetur, dato certo rerum statu, eligendum, atque agendum sit. ideoq. illi etiam singulariter conuenit respicere bona, quatenus magis, seu minus profutura. Contemplatio pluribus rationibus præest consilio, & ad illud impellit. nam illi uniuersalia principia parat, illius naturam, partes, fructum, ac institutiones cognoscit, & considerationem prouocat, ex qua certa particularia sunt cognoscenda: quibus non perceptis, nulla datur consultatio. Ipsa uero Consideratio, prout illi conuenit, eadem consilio exhibet. nam non tantum particularia principia obijcit, sed communia etiam, ac experienda, quæ non paruam uim afferunt ad futurorum prænotionem,

nem, & aliorum, quæ firmiorem coniecturæ usum exposcunt. Hæc uero, quæ tam a contemplatione, quam a consideratione consilio parantur, meditatio, ac rememoratio immediate obijciunt. harum siquidem unaquæque consultationes actu concomitantur, cum tam contemplatio, quam consideratio præcedant, non autem concomitantur. Ipsum uero consilium non dissimili ratione proprias uires ad alios actus effundit. nam tunc decentissime contemplamur, consideramus, meditamus, ac rememoramus, cum in his consulte detinemur. Ex his omnibus colligendum est, consilium, ut decernit, constitui ex quinque, tamquam ex subordinationis partibus, quarum ultimam executio concomitantur. & sextum obtinet locum: Pars prima appellari poterit attentio, secunda prænotio, tertia perpensio, quarta dijudicatio, quinta electio. Harum autem unaquæque considerationis, ac contemplationis actus supponit, ita tamen, ut priores considerationi, posteriores uero contemplationi magis innitantur: Attentio siquidem præsentia, & præterita rememorat, quatenus phantasia, ac sensibus imperfectioribus percipi solent. Prænotio futura obijcit, quæ animaduersis adiungi solent, quæque licet ex sui natura ad eosdem sensus pertineant, Æstimatorum tamen uires percipiuntur, Experientiæ, seu scientiæ uiribus non deficientibus. Perpensio experientiæ, ac scientiæ uiribus tam præsentium, quam futurorum percipit naturam, ac pondus. Dijudicatio singulorum naturam concipiens, ac singula singulis conferens, ex rationis ui, quid absolute sit præferendum, discernit. Electio attendens statum illius, cuius bonum intenditur, singula ad illum refert, docetque, quid illi pro tali rerum statu sit eligibilis. Præter hæc nihil ad internum consilij actum pertinere uidetur. nam, dum hi actus reperiuntur, noua consilij actio oritur.

*De ijs, quibus attentionis actus sunt instituendi.*

*Cap. IIII.*



N attentionis usu tria præcipue desiderantur. Primum, ne consulentem lateat, circa, quæ attentio exercenda sit. Secundum, ne ignoret, quid circa horum unumquodque attendi debeat. Tertium, ut calleat deceptions, quæ in his attentionibus uitandæ sunt. Inter ea, circa quæ uniuscuiusque consulentis attentio detinenda est, ipsemet consulens præcipuum locum obtinet. uniusquisque enim primo se

ipsum attendere debet, & ex sui relationibus tam immediatis, quam mediatis, ad alios homines certos, ac ad res certas, colligere cetera omnia, ad quæ seu immediate, seu mediate propria animaduersione extendenda sit. Et hæc quidem accipienda sunt tam absolute, ac respectu omnium, quæ consilio modificari oportet, quam respectu certæ alicuius operationis. nam, si attendantur omnia, ad quæ parari debemur, relationes omnes animaduertendæ erunt. Sin autem respiciatur vnica consilij actio, cum illi, tum illa tantummodo attendenda erunt, ad quæ talis consultatio, & quæ illam consequuntur, immediate, seu mediate referri possent. Vnusquisque autem facile perducitur ad horum pleniorum enumerationem, ea memoria repetens, quæ superius enarrata sunt circa naturales, ac industrias societates, circa amicitiarum, ac inimicitiarum gradus, circa pietatis, deuotionis, ac humanæ caritatis debita, & circa singulorum affectuum obiecta, bonaque, quorum aliqua primo, aliqua vero consequenter respici solent. Ea vero, quæ circa horum vnumquodque sunt animaduertenda, ex iam demonstratis similiter colligi poterunt. quædam enim naturalia sunt, quædam industria orta, quædam interna, quædam externa, & eas differentias admittunt, quæ patent ex naturali philosophia, ex moralium virtutum doctrina, & ex ijs, quæ circa humanarum societatum differentias, ac partes demonstrata sunt. Hæc omnia vnusquisque circa seipsum attendere tenetur: circa alios vero, certos, & alia certa, non semper omnia, sed ea tantum, quæ pro singularum relationum, seu necessitudinum decenti vsu ignorare non licet. Horum autem discretio facilius erit, ac tutior, si tamquam harum animaduersionum signa communes operationum partes (quarum aliquas concomitantia, aliquas subordinationis nominandas in logicis dictum est) constituentur, videlicet Agens, Vis, quæ impellit ad agendum, finis cui, seu res, cuius bonum intenditur, finis, propter quem operatur, Media, quæ ad finem perducunt, Res, circa quam agitur, Vires, quibus operatio perficitur: Instrumenta, seu adiumenta, quorum vsus assumi potest, Ea, quæ ex huiusmodi actu, consequenti quadam ratione oriuntur, seu oriri possent: atque operandi modi. hæc ad operationis essentiam pertinent. His accidentali ratione adduntur rerum certus status, occasio, locus, tempus, & aliquorum præsentia, seu absentia. & hæc quidem sunt partes concomitantia: Subordinatæ vero, certa exordia, certi progressus, ac certæ consummationes. Plurimæ au-

tem.

tem dictarum partium subiiciuntur hominis operantis electioni, & ad libitum immutantur. Itaque simul attendendum erit, quænam partes in re proposita immutari possint, & an ex tali immutatione, quod proponitur, magis, seu minus expetibile fiat. sicuti enim operationis existentia, ac qualitates oriuntur ex harum partium concursu, ac dispositione, ita ex earundem immutatione, Existentiæ rationes, ac qualitates immutari necesse est. Et hæc quidem eo magis ad attentionis actum recte exercendum paratos nos reddent, si prioribus rationibus contrahantur ad singulos humanos actus internos; externos, naturales, morales, politicos, siue ad Magistratus, siue ad artes exercendas pertineant. Præcipue tamen hæc inquirenda erunt respectu eorum, quæ ad actus referuntur, vtputa, potentia, seu impotentia, habitus, dispositiones, debita, consuetudines; & respectu modorum, quibus singulæ operationes exerceri possunt, vtputa, vehementer, quiete, patienter, secreto, aperte, per nos ipsos, per alios. Deceptionum vero, quæ circa hæc occurrunt, causæ plures sunt. præcipua est, dum absque regula, seu regulæ vsu ea asseruntur, quæ absque regulæ vsu vere cognosci non possunt, vtputa, dum aliquis existimatur iustus, discretus, seu magnanimus, Iustitiæ, Discretionis, ac Magnanimitatis rationibus non conceptis, seu ad illum, de quo affirmatur, non deductis. Et hæc quidem deceptio, dum nos ipsos iudicamus, oritur potissimum ex regulæ defectu. adaugetur tamen ex amore, quo nos ipsos prosequimur, fortasse etiam ex negligentia in proprijs perpendendis. Dum vero alij iudicantur, accedit internæ voluntatis imperscrutabilis natura, de qua tamen, dum plures actus idem testantur, neque aliud contrarium persuadet, ambigere nefas est. In quibusdam timenda sunt incuria, memoriæ lapsus, sensuum alucinatio. Quod si aliorum testimonijs innitamur, nisi asserentis fides, ac probitas, plene perspectæ sint, a fraude præterea cauendum erit. His ad attentionis directionem sic constitutis, nonnulla, quæ ad ceterarum partium consilium constituentium directionem attinent, dicenda sunt.

*De Prænotionis, Perpensionis, Dijudicationis, ac Electionis institutionibus.* Cap. V.

**R**ÆNOTIO, quæ dirigitur ad futura, quatenus vel actu consequuntur, vel his, quæ agenda proponuntur, si re ipsa agantur, necessario, vel probabiliter consequuntur, innititur his omnibus, quæ ex animaduersione concipiuntur, illis tamen accedentibus, quæ moralium virtutum, ac vitiorum impulsus docent tam absolute, quam etiam, dum ad sunt, vel absunt, sanitas, agilitas, robur, ars, libertas, diuitiæ, amici, dignitates, eloquentia, & sapientia. nam, dum aliqua nouiter fiunt, ij, quibus hæc grata, seu ingrata futura sunt, ad ea agenda prouocantur, ad quæ proprii mores talibus bonis accedentibus, vel remotis, illos pronos reddunt. Itaque coniectatur, hos pro rerum suarum statu quædam vel acturos, vel non acturos.

Ipsa vero prænotio tot usus habet, quot sunt ea, quæ in consultationem veniunt. si enim nouum aliquod agatur, noua quædam euenient, quæ tot differentias admittent, quot sunt actus, qui proponuntur. si nihil agatur, nonnulla fortasse corruent, vel peiora succedent. Perpensio singulos rerum status, præsentem scilicet, & eos, qui ex vnaquaque sententia attendendi sunt, diligenter comparat, habita ratione expensarum, ceterorumq. omnium, præsertim autem discriminis, quod inter prænitentium certitudinem, & futurorum incertitudinem constituitur.

Dijudicatio, cuius partes sunt discernere quid absolute sit eligibilis, proprium opus recte perficiet, si recte perpensis insister, & ea ad usum deducet, quæ superius dicta sunt circa bonorum, ac malorum gradus, & differentias.

Electio, in qua consilium interius consummatur, (ut diximus) in eo differt a dijudicatione, quoniam dijudicatio bona, ac mala absolute, & in seipsis respicit; electio vero singula relative intuetur, quatenus scilicet ad certos homines referuntur, & dato tali rerum statu, huius usus rectus censerit poterit, si accuratius percipiuntur ea, quæ propositum ita eligibile reddunt, ut simul æqualia sint oppositis, quæ fortasse illud idem respuendum demonstrant. Ea vero, quæ ad electionem impellunt, vt videtur, sunt quattuor. quorum vnumquodque recipit etiam magis, ac minus; nam contrarium posituum admittit. Primum docet, propositum esse desiderabile, & expetibile,

bile, seu econtra. Secundum docet, illud possibile esse, seu impossibile. Tertium, rationabile, seu irrationabile. Quartum, decens, seu indecens. Hæc attendenda erunt eadem hac serie. vane siquidem inquiritur, an aliquod possibile sit, si nullo modo constet, illud expetendum esse, sicuti etiam frustra laboramus, dum inquirimus de eo, quod expetibile non est, seu expetibile quidem, sed omnino impossibile, an sit rationabiliter eligendum, vel non eligendum. Simili ratione, nisi constitutum sit, rem rationabiliter eligendam esse, importunum erit, illius conuenientiam confirmare, præsertim si conclusio sit affirmatiua. Dum autem negatiua fouetur, posteriores ad priorum confirmationem decenter adiungi poterunt.

*De recta, simulq. perfecta consilij exercendi ratione.* Cap. VI.

**C**ONSILII natura, partes, ac partium munia ita enarrata sunt. Nunc singulæ consilij exercendi rationes, quas superius enumerauimus, accuratius explicandæ sunt, exordio sumpto ab ea, quam rectam, ac perfectam appellandam diximus. Id vt rectius fiat, accipimus, ex iam constitutis, hominum consilia omnia necessario versari circa ea, quæ vel pertinent ad communem dispositionem rerum, personarum, & actionum, vtputa, dum de totius vitæ dispositione agitur; vel conducunt ad aptationem moralium virtutum, uel dirigunt ad facultatum, artiumue habitus consequendos; uel perducunt ad moralium uirtutum, ac facultatum, seu artium usus, illarumq. fructus uberores effundunt. Accipimus etiam, horum consiliorum nullum recte, perfecteque exerceri, ac ad actum perducî posse, siue certorum hominum, siue certæ domus, siue amplioris societatis bonum intendat, nisi ab illis exercentur, qui non tantum morum virtutibus præditi sunt, sed summa etiam sapientia, ac prudentia præstantiori abunde præstant, tuncq. tantummodo, cum, quæ ab illis recte, ac perfecte concipiuntur, absque ullo impedimento executioni mandantur, dum scilicet hominum multitudo satis ampla simul collecta horum consilij, ac moderationibus prompte assentitur, & parer. neque enim in dubium reuocari potest, (si obseruentur ea, quæ circa perfectissimam hominum societatem enarrata sunt) quin hæc consilia ex ea parte, qua intendunt communem rerum, personarum, ac actionum dispositionem, eandem perfectissimam hominum

num societatem paritura sint. Et hæc quidem consilia tamquam ex dignitatis ordine prima virtute complectentur ea, quibus hominum vnusquisque, & domus vnaquæque decernit tam circa ea, quæ pertinent ad totius vitæ cursum, seu ad certam viuendi rationem, quam circa reliqua, quæ virtutum, ac facultatum consecutiones, & vsus respiciunt, accepto præsertim ab vnoquoque, ea, quæ in primo sui ortu a Deo, seu a Natura obtinuit, licet ex proprio gradu non optima censerentur, sibi uere optima esse. nam ex recto illorum vsu diuinis donis accedentibus ad summum bonum perducitur potest.

Hæc vero satis aperta sunt ijs, qui memoria retinent constitutæ societatis dispositionem, partes, ac munia. Talium autem hominum, ac talis societatis consilia perfectissimam consulendi rationem uere retinere, ex eo etiam confirmari potest, quoniam singulæ illorum partes, attentio scilicet, prænotio, perpensio, dijudicatio, atque electio vna cum executione, quam optime exercebuntur, ac ab omni errore erunt summe tutæ. in ea enim omnia omnibus patent, singula ex experientia certa tractantur, simulq. certis legibus ita definiuntur, ac disponuntur, ut raro ob virium defectum ab illis diuertere necesse sit, quæ absolute eligibilia sunt. Siquis igitur talem tum consilij ineundi, tum præsentis scientiæ ad vsum deducendæ rationem conferat logicæ vsibus, hic facile assentietur, eam ad decentissimam demonstrandi methodum proportionem habere. quemadmodum enim ex recta demonstrationum protensione omnes veritates effluunt, ac recte admodum copulantur, ita hæc consilij ineundi ratio, & talis moralis scientiæ vsus, bona omnia effundit, ac decentissime colligit.

*De recta, sed imperfecta consiliorum exercendorum ratione. De animi conciliationibus, affectuumq. excitationibus, seu repressionibus, quæ dum in societate imperfecta alijs consulitur, probationibus adiungendæ sunt. Cap. VII.*



**E**ODEM modo recta, sed imperfecta consiliorum exercendorum ratio, rectusq. sed imperfectus moralis scientiæ vsus, si ad logicæ vsus referatur, dialecticas argumentationes imitabitur. versatur enim circa bona disiunctim accepta, nec singula annectere potest, optimo, ac summo bono, quod probabili syllogismo respectu veritatis conuenit,

conuenit, qui veritatem similiter intuetur disiunctim, neque ab ijs veritatibus exorditur, quæ absolutæ sunt primæ. Itaque exerceri solet ab illis, qui recti quidem censerentur, sed seu sapientia, ac prudentia præstantiori vere destituuntur, seu inter eos versantur, qui præstantioris prudentiæ vsui obsistunt. Sed, quo talis consulendi ratio est difficilior, eo diligentiores institutionem exposcit. huius tamen rationes non difficile colligi possunt ex doctrina tam moralium virtutum, quam humanarum societatum, præcipue vero ex diligentiori animaduersione eorum, quæ circa perfectissimam societatis humanæ formam enarrata sunt. communis siquidem dispositio agendorum, necnon certa viuendi, seu moderandi norma eo perfectior erit, quo, pro rerum captu, magis accedet ad illam, quæ perfectissimam societatem parit, & eiusdem societatis domos, ac ciues dirigit. Ex his vero facile demonstrabitur, quibusnam morum virtutibus, ac facultatibus præcipue insudandum sit, quæque diligentius exercendæ. nouimus enim singula hominum munia certæ alicui animæ virtuti proportionem respondere, tuncq. tantum modo recte sustineri posse, cum adsunt, & exercentur morum virtutes, ac facultates, quæ ad eiusdem uirtutis perfectionem desiderantur. Cum autem consiliorum uis, & ad propria, & ad aliena extendi soleat, ille, qui sibi recte consulit, alijs etiam consilium recte dare poterit. in eo tamen exhibendo extra perfectissimam societatem probationibus, quæ rationibus docere possunt, quid agendum sit, seu non agendum, ea annectenda erunt, quæ reddunt auditori faciliorem ad assentendum illi, qui consulit, & propensorem ad id, quod proponitur amplectendum. Primum tunc præstat, cum audiens prouocatur ad beneuolentiam erga illum, qui loquitur, atque ad decernendum, eum uere esse virum bonum prudentem, ac sibi amicum. Secundum, dum idem auditor impellitur ad eos affectus, qui propositæ sententiæ fauent, & ab illis auocatur, qui eidem aduersari possent. Vtrumque in toto sermonis cursu. nam absque sermone, alijs consilium dari non potest, præstandum erit: primum tamen præcipue in exordio, secundum in peroratione. probationes uero, & ea, quæ ad probationem conducunt, mediam partem obtinebunt.

Quamuis autem nullum horum adimpleri possit absque vi syllogistica, vnumquodque enim nouum aliquod ex aliquorum præcognitione intendit, nihilominus nullum argumentationem perficit. probatio enim Enthymematibus inniti solet, illisq. præcipue, quæ maiorem



maiores propositionem pronuntiant, minorique supposita conclusionem obijciunt. Dum affectus excitantur, seu comprimuntur, minor tantum propositio obijci solet omissa propositione uniuersali, seu magis indeterminata, ac conclusione. uniuersalia namque, ac indeterminata animum interne colligunt, conclusionis uero illatio eundem interne exercet, quorum unumquodque aduersatur affectuum motionibus, quibus animus ad externa profunditur.

Dum auditoris animus conciliatur, atque ad assentiendum propensus redditur, decentissime tota argumentatio, ac singulae illius partes omittuntur, sed ille, qui sermonem habet, circa ea detinetur, quae auditorem excitare possunt ad totum Enthymema per se conficiendum, sequitur ipsum interne colloquendum, ut puta, si quis dicat, sermonis mei exordium ab oratione sumendum est, Deusque Opt. Max. precandus, ut ea, quae dicturus sum ad uestrum commodum, ac ad totius Reip. pacem, quae mihi (ut decet illius ciuem) est summe cordi. talia enim audiens internis oculis loquentis pietatem intuetur, & summum in Remp. amorem, iamque ad illi assentiendum paratior redditur. Haec loquendi forma ideo his animi conciliationibus aptatur, quoniam illum, qui de se ipso loquitur, ab omni arrogantiae culpa tutissimum reddit, & auditori summam fidem facit. nam homini proprium est, his quammaxime assentiri, quae ex proprio ingenio colligit. Affectus uero, qui seu excitandi, seu comprimendi sunt, ex totius consilij conclusione definiendi erunt. Itaque sexdecim ordinum censerentur. cuiuscumque enim consilij finis est aliqua actio, uel aliqua omissio, quarum unicuique, ut exercetur, adiungi solent respectu illius, cui consilium datur, seu incommoda, animi sollicitudines, labores, ac dolores, seu commoda, animi relaxationes, quies, ac voluptas, pariuntque respectu aliorum, seu voluptatem, ac commodum, seu dolorem, & incommodum, continentque seu amicitiae, seu inimicitiae signa. ut consummatur, affert aliquod bonum, seu malum aliquod amouet. Itaque, quatenus actio suadet, illae [1] morum uirtutes laudandae erunt, quae animum ad agendum propensum reddunt, ut puta Magnanimitas, ac iusta indignatio, & [2] ea uitia reprehendenda, quae retrahunt ab actione, ut puta Accidia, pusillanimitas, Irae uacuitas, & animi infirmitas. Quatenus demonstrat ab actione abstinendum esse, [3] insistet in laudibus uirtutum, quae homines in agendo tardiores reddunt, ut puta, Discretionis, modestiae, moderationis, & [4] detestabitur uicia,

tia, quae impellunt ad agendum, ut puta Indiscretionem, Immodestiam, Ambitionem, & Iracundiam. Dum parti, quae suadet, annectuntur incommoda, animi sollicitudines, labores, dolores, [5] celebranda erit fortitudo, & [6] reprehendenda mollities. E contra, si illam associet commoda, animi relaxatio, quies, & voluptas, [7] laudandus erit decens suimet amor, ac custodia, & [8] reprehendenda uana praecipitatio, & nimius suimet despectus. Dum id, quod suadet, aliquibus molestiam, ac damnum affert, & inimicitiae usum complectitur, [9] immorandum erit in laudibus illarum uirtutum, quae praecipunt in faciem hominum respiciendum non esse, dum aguntur ea, quae recta exposcit ratio, & praestantioribus bonis legitime incumbitur: & [10] reprehendenda uicia, quae, dum uidentur ad plura circumspicere, a proprijs muneribus homines retrahunt. E contra, dum ea, quae intenduntur, pluribus alijs commoda allatura sunt, & plures nouis amicitiae uinculis deuincire possunt, [11] insistendum erit in encomijs uirtutum, quae impellunt ad hominis cuiuscumque commoda, & cuiuscumque amicitiam fouendam docent, ut puta, caritatis, beneficentiae, amicitiae, liberalitatis, ac magnificentiae: & in illa [12] uicia uehementius inuehendum, quae ex aliorum bonis contristantur, & ex alienis malis delectantur, ut puta, in inuidiam, in maleficientiam, & in alias, quae homines sic affectos reddunt. Quatenus bona consecutura sunt, & mala recessura, prout uniuscuiusque sententiae conuenit, talium bonorum uel [13] cupiditas, uel [14] despectus, & talium malorum uel [15] paruipensio, uel [16] detestatio excitanda erit, praesertim, dato tali rerum statu: quamuis enim haec ad perpensionem, ad dijudicationem, & ad electionem pertineant, nihilominus ex proponendi modo, affectuum excitationem, seu repressionem inducere possunt. idem quippe, dum argumentationem ingreditur, probandi vim continet, & dum, seu solitarie profertur, seu cum quadam indirecta deductione, si res prolata ad id ualeat, affectus attingit, praesertim si propositio sit particularis, ac unde quaque determinata.

*De locorum Dialecticorum sufficientia ad ea omnia suppeditanda, quæ in consiliorum usu desiderantur: & de quibusdam, quæ ad quorundam probationem proprii ratione deseruiunt. Cap. VIII.*



**Q**VAECUMQUE in consilijs recte exercendis desiderantur, quatenus ignorantur, locorum Dialecticorum adiumentis facilius perquiri poterunt. horum enim vnumquodque aliquam veritatem vel continet, vel obijcit, neque veritas vlla inueniri potest, quæ termini alicuius rationalis relationis vim non contineat, licet quæstio sit rhetorica, pertineatq. seu ad clariorem perceptionem eorum, quæ sub consilium cadunt, seu ad eorundem consiliorum expansionem, contractionemue, eaq. attendenda sint, quæ seu terminorum, seu præmissarum, seu probationum vim continent, & deseruiunt, seu probationibus, seu affectuum impulsibus, ac moderationibus, seu animorum dispositionibus. Silentio tamen demandandum non est, subordinatas, ac concomitantes actionum partes, earundemq. relationes, si recte perpendantur, summam vim continere ad electionem, ex qua internum consilij opus consummatur, tute exercendum: expetibilitas siquidem, quæ prima electionis fundamenta constituit, demonstranda est ex relatione illius fructus, seu boni, quod ex actione deducendum est, ad illum, cuius bonum intenditur, quatenus, seu huiusmodi bono caret, & oppositis malis premitur, vel eo præditus est, & ab oppositis liber. dum enim his bonis caret, & malis premitur, ea actio illi expetibilis erit, quæ talia mala expellit, & bona opposita parit. Dum vero his bonis est præditus, & ab opposito malo liber, talis actio, seu actionis fructus illi expetibilis non est. Itaque sani, quoniam iam adest sanitas, & abest ægrotudo, medicina non vtuntur, quæ tamen illis est expetibilis, qui carent sanitate, & certo morbo afficiuntur. Ex eisdem relationibus maior, seu minor expetibilitas demonstrari poterit. nam, quanto firmiter, seu infirmiter bona, vel mala adsunt, seu absunt, & quo bona sunt præstantioris, vel minus præstantis ordinis, & mala magis, seu minus detestanda, ac inhærendi modus est magis, seu minus firmus, tanto expetibilitas maior, seu minor erit. Possibilitas, quæ secundo loco est attendenda, ad electionis confirmationem, conuincitur ex relatione virium, instrumentorum, & adiumentorum, quæ exquiruntur in actionis propositæ consummatione ad ipsum agens, quatenus hæc obtinet,

net, vel facile obtinere potest, seu eisdem caret, nec facile parare valet. similiq. ratione, ex maiori minoriue, horum copia, seu carentia, maioriq. adipiscendi facilitate, ac difficultate, maior, seu minor possibilitas confirmabitur.

Rem vero expetibilem, simulq. possibilem rationabilem, seu non rationabilem esse demonstrari solet, ex euentibus, qui actionem concomitantur. sæpissime enim ea, quæ vere expetibilia sunt, ac possibilia, fortasse etiam facilia, recte omittuntur, quoniam ea prosequentes, seu ex Naturæ vi, seu ex hominum voluntate, malis longe detestabilioribus subijcitur. Operationis vero conuenientia ex partium quidem omnium ad agentem causam collationibus, sed ex ipso agendi modo præcipue demonstratur. plurima enim, quæ, si cetera respiciantur, parum decent, ex agendi modo decentissima fiunt. plurima etiam, quæ ex ceterarum partium collationibus conuenientia demonstrantur, ex agendi modo ad indecentiam delabuntur. Ipsæ vero concomitantæ partes, si illarum series recte attendatur, etiam seinuicem demonstrare possunt, quod non parum momenti affert tum ad nouorum consiliorum excitationem, tum ad incepti consilij consummationem. Itaque, cum vnusquisque tam Naturæ, quam rationis legibus impellatur ad aliquid agendum, ac agentis partes sibi sustinendas non ambigat, si ea diligenter attendit, quæ sibi seu essentialiter, seu accidentaliter aptantur, non difficile decernet, quibusnam impulsibus assentiri, seu aduersari debeat, & ad quorumnam commodum proprias actiones dirigere. His vero positis, quam tutissime deueniet primo ad certi alicuius finis constitutionem realem, mox hoc perpensio media seliget. Hæc autem, quoniam certa aliqua ministeria continent, res, seu personas, circa quas hæc ministeria exercenda sunt, facile demonstrabunt. quorum recta perceptio vires, quæ in opere perficiendo requiruntur, conuincet. Ex his instrumentorum, & auxiliorum necessitas ostendetur, ex quorum omnium perpensione, fructus collectio certius concipietur, simulq. varij exequendi modi, ex quibus varij euentus innotescunt. Hinc vero tutissime deuenietur tum ad certum modum præfigendum, tum ad electionem loci, temporis, occasionis, certiq. rerum status, quorundamq. præsentia, seu absentia recte optabitur. talia enim (vt dictum est) sæpe in agentis potestate sunt constituta, & quammaxime conducunt ad malos euentus declinandos, bonosq. inducendos.

Quoniam autem ex multitudine eorum, ad quorum commodum actiones dirigendæ sunt, oritur consequenter multitudo tam finium, quam ceterorum, quæ finis vniuscuiusque adeptioni deseruiunt: in harum partium prosecutione, ac usu curandum erit, vt singulæ sibi inuicem consentiant, ac opitulentur. neque enim inconuenit, vt idem bonum respectu diuersorum, & finis, & medij, & instrumenti munia recipiat. Itaque hæc recte concepta in causa erunt, ut tam eorum, quibus est inseruiendum, quam eorum, per quos est inseruiendum, numerus summo cum vniuscuiusque commodo quammaxime adaugeatur, & amicitiarum leges non parum roboris assequantur. Hæc tamen attendenda erunt in his tantummodo, quæ ex caritatis, seu amicitia legibus agenda sunt. nam, dum iustitiæ debitum vrget, seu diuinus cultus, nulla ceterorum ratio habenda erit.

*De his, quæ ad morum habitus inducendos vim habent. Cap. IX.*

**A**D pleniorum doctrinam eorum, quæ continent Institutiones humanorum consiliorum, ac humanorum actuum, qui rectitudine quidem præditi sunt, sed a summa perfectione deficiunt, explicandum est, quam industria moralium virtutum adeptio, ac inductio (quas summam difficultatem continere diximus) recte inchoari, protendiq. possint, ac Deo adiuuante quamturissime consummari. Sciendum igitur, vires omnes, quæ animam aliquo pacto immutare possunt, necessario attingere vel primo superiores illius partes, postmodum vero inferiores, vel econtra primo inferiores, postmodum autem superiores, vel vtrasq. simul.

Quæ attingunt primo superiora, respectu nostri sunt meditationes, respectu aliorum sermones, ac admonitiones: horum enim vnumquodque cogitandi vim primo excitat, atque exercet.

Quæ primam vim iniiciunt in inferiora, sunt passionis animi, quatenus, seu voluptatem, seu dolorem continent. talia siquidem respectu partium inferiorum vehementiores impulsus pariunt. Quæ vtrasque partes simul exercere videntur, sunt externi actus, quibus annectuntur colloquutiones, ac consuetudines. nam in his copulari solent cogitationis, ac sensuum vires, ac vt plurimum voluptatis, seu tristitiæ vim complectuntur. Quoniam pacto hæc affectus in-

ternos

ternos immutare, prouocare, seu comprimere possint, ex superioribus constitutionibus satis apertum est. Illorum autem vires si recte exercentur, ita ad morum virtutes inducendas, vitiaq. opposita expellenda conducunt, vt vnumquodque certam quandam communis, ac ceterarum moralium virtutum partem proprii quadam ratione videatur inducere: admonitiones siquidem, ac meditationes rationi consonæ, aptissimæ sunt ad eam moralium virtutum partem excitandam, quæ est magis intellectualis, & Prudentiæ nomine proferri solet. Externæ operationes, sermocinationes, & consuetudines, Iustitiæ, rectæq. intentioni inducendæ, ac confirmandæ præcipue deseruiunt. Passiones contristantes, seu oblectantes si recte adhibeantur, ac ad vsum deducantur, fortitudinem, ac temperantiam parere, & firmare solent. contristantia enim, quæ oriuntur siue ex malorum obiectione, siue ex bonorum amotione, dum absque villo moderamine rectas actiones præcedunt, vel concomitantur, fortitudinem clarius testatam reddunt. dum arte aliqua certis quibusdam commodis, ac voluptatibus temperantur, infirmos in officio retinent. dum adhærent prauorum actuum consummationi, penitentiam pariunt. Non dissimili ratione oblectantia, cuiuscumque ordinis sint, siue id fiat ex Naturæ dispositione, diuinæq. prouidentia, siue ex hominum industria, dum adduntur rectorum actuum consummationi, rectos habitus firmant. dum ab illa amouentur, exercent puriorem virtutis dilectionem. hæc tamen, quatenus morum alienorum mutationem tantum intendunt, præcipue circa pueros, & circa eos, qui ob rationis infirmitatem pueriles sequuntur mores, ad vsum deducenda sunt. nam ipsa etiam fortitudo, ac temperantia, quibus oblectantium, contristantiumq. obiectiones fauent, desiderantur, præsertim respectu eorum, quæ neque essentialiter, neque absolute sunt seu mala, seu bona, & quæ attingunt imperfectiores affectus, qui in pueris, ac iunioribus quammaxime vigent. Itaque rectissime sancitum est, pueros per lætitiâ, & dolorem erudandos esse. Eadem tamen contristantia, ac exhilarantia vim habent circa maiores, dum exercentur seu ad præmium, seu ad pœnam. Quapropter fuit Antiquorum sententia, Pœnam, & Præmium Magnos Deos appellandos esse.

De

*De moralium meditationum materia, & materiei dispositione. Cap. X.*

**M**ORALIS philosophia omnia quidem obijcere debet, quæ ad mores componendos conferre possunt, sed meditationum rationes præcipue prosequi. homini enim propriissimæ sunt, ex Naturæ ordine inferioribus præ sunt, ac tamquam rationi summe adhærentes illius moderamina vberius, ac facilius colligunt. easdem ad inferiores potentias effundere possunt. Itaque circa ipsas meditationes adhuc immorandum est, accuratiusq. demonstrandum circa quæ detinendæ sint, & quo ordine, tam respectu materierû, quam respectu propriarum partium protrahendæ, ac consummandæ. his namq. recte perceptis, proprias illarum vires ad animi affectus excitandos, ac inflectendos, & dilucidius perspicientur, & ad usum facilius deducentur. Quod ad primum attinet, fanciendum est, Meditationes detinendas esse circa morum virtutes, vitiaq. opposita, circa horum habituum partes subiecta obiecta, ac circa horum relationes omnes. cum enim morum virtutes nihil aliud sint, quam decentes humanorum affectuum habitus, necessarium est, eas affectuum naturam retinere. Itaque, sicuti affectus excitantur, seu remittuntur ex perceptione eorum, quæ ab ipsis prosequenda, declinandæ sunt, ita ex recta intuitione eorundem modorum, quibus horum vnumquodque recte præstari potest, ad decentes motus, ac habitus diriguntur, simulq. morum vitijs purgantur, virtutibusq. decorantur. Harum autem meditationum ordo sumendus erit ex iam constituta doctrina moralium virtutum, ac vitiorum, semperque oppositorum meditationes erunt copulandæ. nam bonorum amor ex detestando eorum odio adaugetur, & detestandorum odium ex bonorum dilectione firmatur, ac roboratur. Primo igitur ea meditari oportet, quæ ad decentem suimet dilectionem, quatenus communiorum virtutem parit, impellere solent, simulq. ab indecentibus prosecutionibus repellere. Secundo meditatio conuertenda erit ad partes eiusdem virtutis communioris, Iustitiam videlicet, Prudentiam, Fortitudinem, ac Temperantiam, necnon ad vitia communiora, communiorumq. vitiorum partes, simulq. curandum, vt rectorum habituum amor, ac oppositorum detestatio vehementiores, ac robustiores efficiantur. Tertio accedendum erit ad meditationes virtutum consummatarum, exordio sumpto ab ipsa Pietate, oppositaque impietate,

impietate, cui Deuotio, philosophia, ac humana caritas annectuntur ad virtutis optimæ consummationem, & robur. Quarto deueniendum erit ad ea, quæ afferre possunt dilectionem Magnanimitatis, Æquanimittatis, Fidei, vtriusque Iustitiæ, Discretionis, ac Modestitiæ, & oppositorum vitiorum detestationem. Quinto eniten- dum erit, vt eiusdem meditationis vi acutius inspiciantur pulchritudo ceterarum virtutum, deformitasque, ac peruersitas septem vitiorum capitalium, necnon reliquorum omnium, quæ ab illis effluunt. Sexto admirabilis, eximiaq. chorea virtutum omnium se inuicem amplexantium attendenda erit, simulq. oppositorum vitiorum summe detestanda associatio. Ex his vero Deo adiuuante virtutum amor vndequaue ignescet, & vitiorum detestatio fortis, ac viuida apparere poterit. Hic tamen Naturæ ordo decentius commutari poterit, cum anima vitiorum malitia premitur, seu etiam extrema vicissim attendenda erunt illorum more, qui dum aliquod valde graue impellunt, nunc impediencia remouent, & viarum inæqualia plana faciunt, nunc viribus omnibus innituntur, vt mobile procedat. nam vires tanto facilius exercentur, quanto magis impediencia absunt, & impediencia tanto minus obsistunt, quanto vires validius exercentur. Itaque, dum alicui virtuti singulariter incumbendum est, & oppositum vitium comprimendum, aliquando intimiora, ea scilicet, quæ primo respiciuntur, aliquando remotiora, quæ consequenter attendi solent, uehementius meditari oportebit: priora siquidem magis urgent, posteriora uero animum minus obsistentem reddunt, leniusq. alliciunt.

*De Meditationum partibus, consummatione, & fructu. Cap. XI.*

**M**EDITATIONVM vero moralium consummatio sum- menda est non ex materia, seu ex certo aliquo modo, sed ex fine tantummodo, atque effectu. nam ea, quæ meditatur, ex relatiuorum vi extendi possunt non tantum ad uniuersaliora omnia, sed etiam ad particularia. Itaque meditationi hac ex parte certos limites, ac modos præfigere impossibile est. Id uero ad meditationum fructus facilius, vberiusq. excipiendos non parum conducit. quanto enim meditationum campus est spatiosior, ususq. liberior, tanto illarum uis redditur fortior, ac decursus iucundior. nam eadem perlustrandi ratio fastidium.

fastidium non affert, sed contra noua rerum facies, nouusq. aspectus & facilius allicit, & indefinenter oblectat, cum præsertim quorundam omisso, dum alia idem præstant, meditationum decorem, ac fructus longe puriores reddat, atque tutiores. quemadmodum enim ciuitas, complectens ordines omnes Magistratum, ac ministrantium sibi inuicem decentissime cohærentes, ex aliorum additione non perficitur, sed perturbatur: ita etiam meditatio nostra, dum ex singulis meditando ordinibus, ac modis certa aliqua feligit, singulaq. ita disponit, ut & propriam consequatur formam, & ad propria adimplenda sufficiat ex noua meditabilium adiectione, modorumq. assumptione, (nisi id ualde modeste fiat) ut plurimum deturpatur, & eneruatur. Ea autem, quibus harum meditationum fructus colligi possunt, ac fines attingi, ut uidetur, sunt duo, Sufficietia scilicet, & Efficacia. Ad sufficietiam duo itidem desiderantur.

Primum est, nullum eorum præterire, quæ ab illo affectu, cuius inflexionem intendimus, primo respiciuntur, expetuntur, ac fugiuntur, sed horum unumquodque attendere una cum his, quæ de illis scientificè demonstrari possunt, ac ipsum prosequente ex Naturæ ordine ad prosecutionem recte exercendam impellunt, siue sint absoluta, siue relativa.

Secundum, scientificæ perceptionis robur primo confirmare, oppositas sententias penitus explodere, simulq. eiusdem ueritatem, quatenus ueretur circa communia, experimentis, ac rerum successibus confirmare: quatenus uero respicit singularia, coniecturis, ac eisdem rerum successibus. Et hæc quidem eorum, quæ scientificè patuere, inhumanationem parient: innituntur enim experimentis, coniecturisq. hominum Naturæ propriissimis.

Tertium, ad illa accedere, quæ ab ipso prosequente expetuntur, firmanturq. ex commemoratione legum, admonitionum, eorum, quæ naturaliter impellunt, eorum, quæ pertinent ad commune hominum bonum, eorum, quæ amicis, ac inimicis gaudium, seu mærorem afferre possunt, & similium actionum, quæ tamquam exempla attendenda sunt. Horum uero unumquodque recte agendi debita fortius probat, ac inhumanationi summam confirmationem adiungit.

Quartum, ea animaduertere, ex quibus ceterarum virtutum consensus, seu repugnantia est inspicienda, quæque summæ confirmationi summæ consonantiæ intuitum superaddunt.

Quintum

Quintum eandem conclusionem tam recte cathogorice, & per primæ figuræ modos, quam oblique conditionaliter, diuisiue, ac per ceteros argumentandi modos confirmare, ac repetere, ut summæ consonantiæ clarius intuitus accedat, ueritasq. concepta animum vndeque repleat, illiq. omnino familiaris efficiatur. Hæc omnia moralium meditationum sufficietiam pariunt. Efficacia uero, quam præterea ad earundem consummationem requiri fancitur est, tunc inducitur, cum rerum ueritas ad animi familiaritatem iam deducta primo efficitur uiuida ex adiectione certæ alicuius similitudinis, quæ semper sumenda erit ab ijs, quæ magis sunt nota, sensibusque proximiora. nam tales similitudines aptantur præcipue phantasiæ. Itaque, dum ab ea plene amplexantur, ueritatis vis in eisdem uigens illam ita replet, ac uerberem reddit, ut sensus, ac affectus inferiores, quibus ex Naturæ dispositione præficitur, necessario attingat, & prouocet, eosq. si forte morosiores inuenerit, certissimis ueritatibus innixa uehementius impellat, seu comprimat. Tunc uero ipsa ueritas appellari poterit non tantum uiuida, sed etiam uirgens, ac uehemens. Anima uero his impulsibus, prout decet, obtemperante, eadem ueritas appellanda erit non tantum familiaris, uiuida, ac impellens, sed etiam regens, & moderans. nam & externos actus ad libitum pariet, & tam a repellentibus, quam a diuertentibus tutos reddet, ex quibus oritur interna animæ quies.

*De deprauata consulendiratione.*

*Cap. XII.*



RECURSIS his, quæ rectæ, sed non perfectæ consulendi, ac exequendi rationi utcumque prodesse possunt, nonnulla dicenda sunt circa deprauatam eorundem rationem, quæ æmulatur deprauatum logicæ usum, nam deceptionem similiter intendit, ea amplexatur, quæ ut uitanda demonstrata fuere, ac Sophistas parit, illis tamen longe deteriores, qui profitentes ueritatem falsitatem docent. hi enim (quod abhorreri magis debet) se probitatis studiosos assunt, & re ipsa prauitatem amplexantur, exercent, ac passim effundunt. Quamuis autem, singulis logicæ doctrinæ abusibus certi aliqui moralis scientiæ abusus obijcere possint: (nam proportio, quam totum ad totum habet, ad utriusque totius partes ex necessitate extenditur) nihilominus admonuisse sufficiet, omnes moralis scientiæ

Eccc

abusus,

abusus, deprauataſq. conſiliorum, ac actionum exercendarum rationes colligi poſſe ex ſimulatione. hæc nempe proportionem retinet ad æquiocationis fallaciam, in qua cetera omnia logice decipienda, virtute contineri nouimus. Sicuti autem æquiocationes conceptum quidem excitare uidentur, ſed uere nullum conceptum pariunt, & uoces æquiocæ aliquid uidentur obijcere, ſed nullum certum ſignificant, eademq. dum in argumentationibus medijs termini ſuſtinent partes, & præmiſſarum vnãquamque ingrediuntur, in maiori propoſitione unum ſignificant, & aliud in minori: ita ſimulationes aliquod certum uidentur afferre, ſed nihil afferunt. nam, qui exempli gratia Sapientiam ſimulant, plurima percurrere, ac tangere ſolent, ſed reiſa nihil dicunt, & dum negotia tractant, facta, & dicta manifeſte diſcrepant. laudant ſiquidem uirtutes, & in uitij detinentur: celebrant pietatem, ac caritatem, ſed impie uiuunt, & ſingula ad proprium commodum dirigunt: reprehendunt ambitionem, & auaritiã, & nihil magis optant, quam honorari, & in pecuniarum coaceruationibus toto corde incumbunt: Ingentitatem, ac animi puritatem quam maxime profitentur, cum nihil ſincere dicant, ſeu faciant: quos odio proſequuntur, ſummi amoris ſignis decipiunt, paruis ſiquidem beneficijs eos afficiunt, ut a præſtantioribus facilius retrahere poſſint, & aliquãdo penitus obrudere: quos diligunt, odiſſe aſſerunt, eademque eſt ceterorum omnium ratio. Hæc utcumque percipere non parum prodeſt, ut caueantur. Sciendum tamen eſt, diſſimulationes, quas parentes ad filiorum, & Imperatores ad totius exercitus commodum quandoq. exercere ſolent, reprehendendas non eſſe, ſed laudandas potius, præſertim ſi mendacia caueantur. Idem aſſerendum eſt, circa ſimulationes, quibus iſdem Imperatores hoſtes deludere conantur: bello ſiquidem indicto, niſi nouæ intercedant ſponſiones, partium vnãquæque proficitur aperte, ſe aliam oppugnaturam, ſeu arte, ſeu uolentia, ſeu utriſque. Itaque, deceptio decepto potius, quam decipienti, uitio aſcribenda eſt. Et hæc quidem reſpondent Sophiſticis deceptionibus, quæ recte exerceri uidentur, cum ſeu iuniorum ingenia acueri, ſeu aliquorum peruicaciam refrangere intendunt. In reliquis ſimulatione omnis, præſertim cum ad malum tendit, tamquam humanæ ſocietatis peſtis ſumme deteſtanda eſt. Sententia uero, qua aſſeritur, *Artem arte fallendam eſſe, tunc tantummodo recte retinetur, cum peſſima ſimulationis ars, optima Prudentiæ arte deluditur.* Siquis autem,

autem uitium etiam uitio appugnandum dicat, hic uitiorum potius fautor, quam oppugnator, cenſendus erit. tunc enim res ad id deducuntur, ut plures, dum deceptiones uitant, deceptionibus incumbant, breuiq. labe hac peſſima omnes inficiantur.

*De contemplationum percurſarum uiribus, ad induſtriam hominum perfectionem pariendam.* Cap. XIII.



VAE ab humanorum actuum directrice philoſophia uidebantur expetenda, iam enarrata ſunt. Reliquum eſt, ut demonſtrentur vires, uiriumq. concurſus tam præſentis, quam præcedentium contemplationum, quas certa ſerie percurrimus, ad induſtriam hominum perfectionem propria quadam ratione inducendam. ad hanc enim omnia directa ſunt. Id ut recte fiat, fingere liceat, has humanæ perfectionis partes arborem aliquam magnam, ac proceram formare, illarumq. vnãquamque in ea munus aliquod ſuſtinere. hæc ſiquidem ſic concepta, facile patere poterit, ea, quæ in noſtrarum contemplationum exordio conſiderata fuere, talis arboris ſemen decentiſſime appellari poſſe. colligunt enim omnium ueritatum vim, animumq. ſapientiæ amore uehementius uigent, uereq. ob id ſeminalem naturam referunt. Quæ in logicis demonſtrata ſunt, eiſdem arboris radices pariunt, ac effundunt. nam rationem ad proprias operationes certa lege exercendas reddunt paratiorẽ, ac firmiter, ſimulq. ipſum ſcire ad quandam diſtinctionem, certiorẽq. diſpoſitionem perducunt. quod uere nihil aliud eſt, quam induſtriæ perfectionis radices extendere, ac firmiter deſigere. Ea, ad quæ mens noſtra ex primæ ſcientiæ curſu perducta eſt, ob ſententiarum ſublimitatem, ac certitudinem, ex quibus ceteræ ſcientiæ oriuntur, ac ſuſtinentur, trunci firmiter, ad quem omnis radicum uis concurrit, munia obibunt. Ipſa uero naturalis philoſophia hiſ innixa, ac eadem ad propria contrahens, præcipui cuiuſdam rami, ac maximi naturam manifeſte retinet. Demum hæc moralis ſcientia aperte imitatur rami huius præcipui præcipuos ſurculos, ac iam gemmatos. nam ea ratione a naturalium contemplationibus oritur, ut ſcire noſtrum, quod ex præcedentium decurſu propriam reſolutionem conſequitur, ad cõlummatam plenitudinem deducat. iam enim percurſis omnibus vniuerſalibus non tantum deuentum eſt ad certam

Dei

Dei legem, quæ vnica existens singulis hominibus certa, ac determinata ratione præest, sed etiam ea omnia in medium allata fuere, quæ ab vnoquoque homine attendenda sunt, quæque licet respectu proferentis vniuersalium vim retineant, respectu tamen audientium particularia videntur reddi. Itaque, dum præsentis contemplationis decentes vsus ad decentia consilia ad decentes sermones operationesque, ac ad decentia opera reipsa impellent, simulq. scientiæ, ac Sapientiæ effusiones summe expetendas parient, hi gemmati surculi propria folia flores, ac fructus ferent, huiusque præstantissimæ arboris omnes effundentur vires. recta siquidem consilia, dum singulis præsumunt, & singula regunt, si in iam constituta similitudine persistatur, foliorum munia assumunt: operationes, quæ decentem rerum, ac personarum dispositionem inducunt, seu ad moralium virtutum, rectarumq. facultatum adeptionem dirigunt vna cum moris colloctionibus, flores, hiq. suauiter olentes censerit poterunt: operationes, quæ virtutum, optimarumq. facultatum rectum vsum continent, & sermones earundem operationum vim complectentes vna cum illarum operibus, fructuum naturam obijcient. Enixius orandum est, vt summus Iustitiæ Sol, ac totius Sapientiæ auctor, nostram hanc arborem, hominumq. mentes diuinis irradiationibus calefaciat, aura spiritali recreet, rore diuino reficiat, fontibus, pluuiâ que præstantiori assidue irriget, atque aspergat, ne recte concepta putrescant, fascinentur, seu comburantur, sed admirabili ipsius providentiâ vndequaue tuta, ac summelata, simulq. ad plenioram maturationem perducta, homines his folijs tegant, ac muniant, his floribus ornent, exhilarentque, & his fructibus saluberrime nutriant, atque impinguent.

F I N I S.

Hæc, & cetera omnia, qua decet reuerentia, Sanctæ Sedis  
Apostolicæ iudicio submittimus.

